EPISTOLAE

Digitized by Google

ist. 235 Epistolae

Digitized by Google

<36615947970018

<36615947970018

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Illustrium & clarorum
Virorum

Epist. 235

EPISTOLAE
SELECTIORES,

Superiore sæculo scriptæ vel à Belgis, vel ad Belgas.

Tributæ in CENTVRIAS II.

IN QVIBVS

Multa Theologica, Politica, Ecclesiastica, Historica, quædam etiam Iuridica, & Medica.

Nomina autorum prodet Index, qui Præfationibus subijcitur.

LVGDVNI BATAVORVM,
Apud LVDOVICVM ELZEVIRIVM.
Anno cIↃ IↃ cXVII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

LECTORI,

DE INSTITVTO ET autoribus Epistolarum, quæ conscriptæ à diuersis, simul hic eduntur.

FASTIDIOSVM *est hoc sæculum, cui nulla placet cœna, nisi valde dubia, nec iter vllum nisi in quo crebro interiungitur. Quare longa ac perpetua scriptorum moles nihil hic habet quod agat: exspectanda est illis ætas alia, quæ firmioris stomachi homines producat. Interim obsequendum nos ijs putauimus inter quos viuimus, quorum plerique nec otium ferre nec negotium possunt. Et quid illi potius legant quam epistolas,*

Digitized by Google

quæ nec longa Præfatione nauseam geminant, nec vna se materia tenent, & vbi lubet desinunt? Quis non Romanam Rempublicam ex Ciceronis ad Atticum & ad familiares epistolis quam ex historiarum voluminibus malit discere? quis non Senecæ ad Lucilium literas operoso philosophantium labori anteferat? quem non delectet Plinianus in argumentorum varietate tractanda nitor? Videmus studiose euolui qui hoc scribendi genus patrum memoria aut nuper etiam sunt imitati, siue illi diuinæ legis tractant quæstiones, siue quid publice expediat quærunt, siue res gestas fideliter narrant. Imo tam grata est epistolica scriptio, vt etiam sine argumento sæpe solo sermonis lenocinio nos delectet: quid ni? cum & congerronibus horas largiamur?

Epistolæ

Epistolæ quas nos damus intra hoc sæculum scriptæ sunt à Belgis aut ad Belgas. Itaque gentis quoque istius libertatem præferunt, tum in sacris tum in publicis rebus, siue narrandum quid, siue disputandum incidat. Quare tu quoq; Lector, eandem in iudicando libertatem sume, qua in scribendo usi sunt harum autores. Sermonem de diuinis rebus ad trutinam sacræ scripturæ, cætera ad rectæ rationis examen reuoca. Ita tibi optimè lectionis fructus constabit. Altera Belgarum virtus est, animi candor, remotus à calumnia, quem hic sæpissime deprehendas in ijs qui aut in Republica, aut in Ecclesia partes diuersas sectabantur: quem ipsum quoque, vt synceri iudicij fidelissimum comitem imitandum tibi proponimus. Sed præ-

fari desinam, ne vnius te epistolæ longitudo ad alias minus alacrem transmittat. Vnum tamen addam, quominus de editionis fide dubites: archetypas literas Nobilis ac clarissimi viri scrinijs diligenter seruari.

DANIEL

DANIEL HEINSIVS

Nobiliſs. viro

CORN. VANDER MYLE

S. D.

SEmper in ea verſatus ſum opinione, Vir Nobiliſſime, nihil eſſe quod poſteritatem magis inſtruat quam familiaris ſermo qualis eſt epiſtolaris: ſi à maximis præſertim viris ad interioris notæ, vt ſolet fieri, amicos, apud quos nec fuco nec fallaciis eſt locus, libere inſtituatur. Huius generis non paucas olim literas vidiſſe apud te memini: quarum aliæ à parente tuo, viro maximo, aliæ ad eum ab eiuſdem loci fere ac dignitatis hominibus, nonnullæ, tempore eodem ac ætate, maxima ex parte, ad præclaros aliquot, tum eruditione tum nobilitate viros, erant perſcriptæ. Quas cum diligenter à te, vere φιλοκάλῳ, aſſeruari meminiſſem, monui aliquando, nihil plane indignum munere & exiſtimatione tua eſſe te facturum, ſi

nonnullas typis deſcribendas dares. Iudicabam enim fore vt vtilius hæc legerentur quam quiſquiliæ & ineptiæ nonnullæ, quæ cum maxima autorum moleſtia, nullo lectorum fructu, infelicibus ac vel idcirco perituris chartis, quotidie illinuntur. Sciebam quoque quanta diligentia id ipſum ab antiquis eſſet præſtitum. Noſtra quoque aut parentum memoria, viros eruditos, Platonis, Ariſtotelis, Iſocratis, Philippi, Bruti, Alexandri, aliorumque maximorum hominum, quæ aut alibi, aut in eorum ſcriptis legerentur, literas ſeorſim edidiſſe. Quod non ignorarent, cætera fere vniuerſe aut ſcribi aut dici, epiſtolarum argumenta, à ſingulis temporibus occaſionibus ac locis, & vt ille ait, ἀπὸ τῶν ἀεὶ πρὸς τὸ παρὸν ἁρμοζόντων καὶ καθηκόντων, deſumi. Quæ res proprie prudentiam informat. Quo in genere non paucas eſſe apud te meminerã, quibus res pleræque maxime inſignes, quæ paulo ante in hoc Belgio, Gallia,

lia, Germania, Britannia, alijsque regnis eueñêre, fide hiſtorica continebantur. quarum ſemper ſingularis quædam ac peculiaris eſſe ſolet vtilitas. Quippe, vt omittam, oblectare ea vehementer & inſtruere eos qui verſantur in Republica; quænam maior ſeges aut fertilior, ex vllo genere ſcribendi petitur hiſtorico? cui veritas in manum traditur, nonnunquam & iudicium ſuppeditatur. Neque id à plebeis animabus, ſed ab illis, qui res maximas hoc tempore geſſerunt, aut interfuerunt ſingulis. Quorum nec poſtremus fuit parens tuus, nec poſtremis ſe coniunxit: partes autem ſemper eas eſt ſecutus, quæ pro patria & animi tranquillitate ſtarent. Cuius rei cauſa, ipſam quoque patriam reliquit. Erant & alterius non paucæ generis, quæ præclaras de religione diſputationes continerent, aut inſignem in nonnullis animi integritatem atque moderationem declararent. Idque ætate illa, qua

expreſſam eius verbo, Dei voluntatem legere, aut decretis aduerſari hominum, crimen habebatur, flammis vindicandum. Talis erat eo tempore Georgius Caſſander: talis erat qui aſſiduam in veritate inueſtiganda & antiquitate perluſtranda, huic operam nauabat, Cornelius Gualtherus; domo Gandauenſis. tales qui Caſſandro aut fauebant, aut, ab eius inſtituto alieni non erant, inter eruditos; Vicelius, Metellus. & quod inſtar eſt prodigij, Ximenius; Hiſpanus & Theologus. talis erat eo tempore inter illuſtres dignitate viros, ſummus vir Hopperus. Qui cum inter hoſtes moderationis principes, & maiores eius hoſtes verſaretur Theologos, cum Antwerpiæ plerunque aut Bruxellæ eſſet, quæ tum innocentum ſanguine quotidie madebant, ad Caſſandri cauſam ſingulare ſtudium ac moderationem attulit. adeo vt Lindanum, Panopliæ artificem, magni ſpiritus & animi Theologum, ad

eandem

eandem inuitare auderet. quod tum erat, stipem Elephanto dare. Talis erat (libere enim est dicendum) inter eos qui se Euangelicos dicebant, mitis ac sincera Bullingeri anima, qui non semel ad Cassandrum, quia neutri (sicut ipse loqui amat) parti se addixerat, prouocare in nonnullis audet: eundem, *veræ pietatis pariter & eruditionis studiosissimum, virum doctissimum, fratrem charissimum*, vocat: *eum se amare, & propter pietatem & literas, neq; minus cupere vicissim ab eo amari*, profitetur. quodque his omnibus fortasse maius est, eius & sanctorum precibus, candide & sincere se commendat. Et hic est Henricus ille Bullingerus, quem & eruditione & candore nemini secundum, in Elogijs pronunciauit Beza. *Beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur*, ait ipsa veritas. Talis & Bucerus erat. qui dissensiones Zwinglij & Lutheri, nimiamque immodestiam, cum patriæ coniunctam detrimento, in epistola ad Lascum insectatur, quē diuinum Matt. 5.9.

diuinum vocat virum, cum nonnihil tamen in doctrina ſacramenti, aut in formulis loquendi, adhuc trepidaret. Qui nonnulla quoque, quæ à ſe de hoc ſubiecto eſſent ſcripta, libere ſe retractare ait. magnum Auguſtinum & cœleſte illud Ariſtotelis effatum ſecutus, Δεῖν ἐπὶ ζωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν. Tales noſtro tempore Marnixius & Loſelerius fuerunt. Denique vt quiſque plus ſcientiæ ad negotium religionis, eo plus prudentiæ ac moderationis afferre ſolet: reliqui, vt gracculi, in Rebuſpublicis & domo Dei, tempeſtatem nunciant & creant: Furoris & Contentionis ſacer-
Ioh.14.27 dotes, non illius qui reliquit nobis ſuam pacem. Veri, inquam, & inſani

χαρακῖται, ἀπείριτα δηριόωντες.

Tales erant inter Principes eodem tempore, ſed diuerſarum partium, Imperator Ferdinandus, & Maximilianus. Quorum ſingulare in veritate inueſtiganda ſtudium, plurimæ ad Caſſandrum quæ hic exſtant

literæ

literæ teſtantur. De quibus vere illud dici poteſt, *Si duo prætereà tales.* Non paucis enim ſine dubio calamitatibus Europa liberari potuiſſet. Sed ſic viſum erat Dei filio, vt ſuorum ſanguine vineam ſuam irrigaret: &, quemadmodum per crucem ipſe in gloriam aſcenderat, ita per eandem plurimos ad ſe aſſumeret. Vt tam diu miſeros tyranni laniarent, quam diu, inquit Cyprianus, non eorum fidem, quæ inuicta erat, vincerent, ſed carnem, quæ infirma eſt, fatigarent. Inter cæteras quæ ibi extant eruditione inſignes, maxime Metellum illum miror, vere πολυίστορα. Singulæ enim ſunt refertæ rebus, exquiſitæ iudicio, ſcientiæ varietate quadam & cognitione rerum plurimarum, præ reliquis eximiæ. Si, quæ ibi extant Theologicæ, ſpectentur; omnes ſuperant Marnixianæ: quæ præſertim accurate de Swenckfeldianis ſunt cõſcriptæ opinionibus. Equidẽ non dicam dolo, vel illarum cauſa erat operæ dediſſe

cæteras.

exteras. Neque decipit me amor viri, cui cum in Academiam hanc primum veni, commendatus fui, & cui, nisi fata (si fic loqui fas est Christiano) nobis hanc felicitatem præripuissent, plura eram debiturus. Quin ex animo sic iudico. Erat quippe præter accuratam linguarũ omnium cognitionem, præter infinitam eruditionem atque immensam, mira quædam eius viri in scribendo perspicuitas ac perspicacitas, & in refutandis aduersarijs dexteritas, tum ἀγχίνοια plane admirabilis. Ita vt Albadam doceat quid senserit Swenckfeldius: cuius ille partes tanto opere & molimine tuetur, sicut nosti. Sæpe de Albada isto inter nos sermonẽ incidisse memini: quem parenti tuo, notæ intimæ dum viueret fuisse amicum, satis ex his constat, & in quo fuisse dotes singulares; prudentiam præsertim & facundiam inusitatam, vt & vtriusque iuris raram & eximiam cognitionem; sæpe ex te audire memini. Ego

quis

quis in cæteris videri mihi soleat, quandoquidem id velle te intelligo, exponam. Erant, cum in Belgio sæuiret Hispanorum furor & credendi leges ferro præscriberet, non pauci summæ dignitatis atque loci homines, qui vbique tutius existimabant se victuros, quam in patria. Præ qua alij aliud exilium malebant. Qui cum integram Romanam Ecclesiam damnarent, cuius corruptelas plurimas notauerant; peius de illa propter summam quæ tum ab Ecclesiasticis nonnullis exercebatur crudelitatem, sentire cœperunt. Et, vt est hominibus plerisque nimiam post seruitutem pronum ad licentiã, non in vita tantum sed ad noua quoq; dogmata ingenium, cui libertatis nomen imponitur; cum Euangelicorum disciplinam, in quibusdam sane locis satis rigidam, nouam esse seruitutem iudicarent, contra autem, in moribus & vita nonnullorum, multa improbarẽt; sicut terras alij alias, ita diuersas

quoq;

quoq; opiniones aut secuti sunt aut inuenerunt. Alij etenim Castalioni, alij Swenckfeldio, alij Franco, alij Dauidi Georgio hæserunt: nam & istos noui. alij Taulerum & Germanicam Theologiam in deliciis habuerunt. Possem infinitos numerare, quorum nominibus nunc parco. Inter eos & Albada fuit, cui placuit Swenckfeldius. quanquam, Franco quoque & postremis illis, aliquid tribuere videtur. Cæterum, cum pius, sicut sæpe accepi, & in primis studiosus patriæ vir esset, neq; opiniones suas pertinaciter defenderet aut pernicioſe propagaret, libertatis quoque Christianæ causa exularet, modestissime cum eo egit Marnixius. vt qui hominem in sacris literis exercitatissimum vocet: nec parenti tuo visus est indignus, quem in amicorum numero haberet. cum præsertim idem in Repub. sentirent. Habet autem hoc theologia proprium, ex eo tempore præcipue quo in partes itum est, vt quod de cælorum

regno

regno ait Dominus, vim patiatur, & cuiuscunq; generis ac loci homines, aliquam illius sibi vindicent scientiam. Tota eius de cœlesti Christi corpore Epistola, vno alterove verbo potest confutari. Postquam enim paginis duabus fere, quicquid de diuinitate Christi passim legitur in sacris literis, collegit; opponit illis quæ de vero eius corpore & humanitate orthodoxi sentiunt, imo sacræ literæ diserte testãtur. Quasi sit difficile intellectu, hæc & illa, eidem Christo conuenire: eiusdem: personę respectu, non respectu eiusdem naturæ. Iam cum ille & omnes alij qui partes has sequuntur (nam hic rei caput est) concludunt, quæ de Christo tanquam Deo dicuntur, illa toti cõuenire Christo; quis non vno verbo totum hoc negocium decîdat, si respondeat: idem quoq; & orthodoxis videri. sicut nempe quæ de homine, tanquam animato, dicũtur, de toto homine dicũtur. Vt, exempli gratia, esse immortalem, esse diuino semine

(vt sic loquar) oriundum: sicut rursus quæ de homine, tanquam corporeo dicuntur, de toto homine dicuntur. Nam vt cætera omittam, quis non homines quotidie mortales vocat? Sane & poetæ, & historici, & oratores, sic loquuntur. Et hoc ipse vsus approbauit. Si inferre pergant, Ergo quæ diuinæ naturæ tribuuntur, humanæ quoque tribuuntur: ego vicissim inferam, Ergo quæ animæ tribuuntur, tribuuntur corpori. Iam enim separant naturas. de quibus separatis, falsum est quod inferũt. Aut si causam addunt, quia vtraque natura hypostatice in vno Christo est cõiuncta; sicut nempe anima & corpus in eodem sunt coniuncta homine; iam eodem recidunt, & argumentum soluunt. Ante enim diximus, respectu eiusdem personæ, non eiusdem naturæ, illa dici. Vides rem planissimam & cuiuis quoque imperito *ξύνετον*. Adde, non quod dicitur de toto Christo, etiam de toto Christi, dici. Sicut nec quod dicitur

de toto

de toto homine, de toto hominis necesse est dici. Totus homo corpus est & anima: at non totum hominis est anima, aut corpus. Si quis immortalem esse dicat hominem, loquitur de toto homine: non autem loquitur de toto hominis. quia tantum animæ respectu loquitur. illa autem non est totum hominis. Nec propterea immortale quoque aut cœleste eius corpus efficit. Ita Thomas, Deum suum, vocat Christum, (nam hunc locum inter alios Albada laudat) quia de diuinitate eius loquitur. Totus enim Christus, Deus est & homo, vnione personali: ideoque quod sit Deus, dicitur de toto Christo: sicut quod sit homo, dicitur, de toto Christo. Totum autem Christi, non diuina tantum est natura Christi: sed diuina & humana. Paulo aliter Marnixius: quanquam prorsus luculéter & præclare. Vtar obuio & vtrique nostrum notissimo exemplo. Baudius, vt meministi, noster, omnes homines, *mortales* vulgo appellabat,

& hoc illi verterat in consuetudinem. Hic, si exclamasset aliquis, indignum esse ac impium, *mortales* eos dici, quibus vitæ melioris in scripturis facta est promissio: quorum causa mortuus est Christus: quibus resurrectio promittitur; & quæcunq; alia in sacris, de homine dicuntur; nonne inepte prorsus diceretur sapere? Quis ignorat enim, corporis respectu ita hominem vocari, cui moriendum est, etiam vt suscitetur: non respectu animæ, quæ mortis expers semper est futura? Plane idem ab Albada factũ est. Lege quęso, & sic iudicabis. Tota etenim Epistola, vna est fallacia. quam, τὸ πῇ ὡς ὅλως λεγόμενον, in scholis vulgo dicũt. Christus in scripturis, Deus, Christus, filius Dei, & non pauca alia, quæ ille studiose colligit, vocatur. Sane πῇ sic dicitur. vnius scilicet naturæ respectu, non simpliciter aut ὅλως. Nam & homo, & filius hominis, non semel in iisdem dicitur. iterum non ὅλως aut simpliciter, sed πῇ. naturæ scilicet humanæ

humanæ respectu. Quippe, quod priora illa ad naturam humanam & illius exaltationem refert, aut cum ea cõfundit, plane est ἀθεόλογον. Nam quemadmodum naturas, ita locos inter se quos adfert cõfundit. quia non omnia respectu eiusdem, in scripturis dicuntur. Et hoc rursus est παραλογίζεσθαι. quod in disputando magis apparet. Vt si ex me quęrat aliquis, Cum Christus, Deus, dicitur à Thoma, mortuorum primogenitus vocatur à Paulo, splendor gloriæ & character patris substantiæ, ab autore ad Hebræos nominatur, an non ista de humana eius natura dicuntur? Et si hoc concedam; sine dubio sim captus. Aut si negem: in eodem rursus luto hæream. Primus enim locus ad diuinam, alter ad humanam, tertius vero, ad vtramq; est referendus. Thomas enim Christi prædicat diuinitatem, cuius vi & potestate resurrexerat: Paulus loquitur de corpore quod resurrexerat: autor ad Hebræos loquitur de

filio, qui carnem induerat, quanquam aliter Cyrillus & veteres: qui hunc quoque ad diuinam tantum referunt. Atque ita locum non haberet, vt & primus locum non habet. Itaq; erit lusus, quem, παρὰ τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν, Philosophi dixêre. Non enim eodem modo de omnibus, sed distinctè de singulis, esset respondendum. Rursus si de altero illo Pauli ex me quærat, vtrum Christus humanæ an diuinæ naturæ respectu, primogenitus vocetur mortuorum: dicam eum carnis & humanæ naturæ respectu, sic vocari: eius enim naturæ respectu resurrexit, quamuis diuinitatis suæ vi resurrexit, quamuis homo & Deus fuerit qui resurrexit. Vides quæ & qualia elegerit loca, quomodo coniunxerit, & callide vsus ijs fuerit. nam & cæterorum eadem est ratio. Vt nisi plane exercitatus in scripturis, id videre nequeat. Vellem aliquid de singulis Marnixius. qui cum Christum, filium per gratiam à patre adopta-

adoptatum vocat, quod Albada vrget, excusare id equidem quam approbare malim. Nam vt de diuina sic loquatur, prorsus est ἀσύσταλον: neq; illi hoc in mentem venit. qui vbique, vt omnes orthodoxi, eum filium essentialem Dei vocat. Absit vero. Sin de altera: tum ne patrem quidem Christus habet. Ἀμήτωρ ὡς πλάσης, ἀπάτωρ ὡς πλάσμα, dicunt veteres Theologi. Et profecto satis est quod filius Mariæ dicitur; de S. Spiritu conceptus. neq; symbolum nos aliter vult loqui. Iam vero, argumentū plane stramentitium est, cuius causa huc confugiendū sit. Christus dicitur filius Dei, ergo simpliciter sic dicitur. Nunquā me pudebit cum scriptura loqui, à qua filius hominis vocatur. Audio patrem de filio dicētem, tertio Matthæi v. 17. *Hic est filius meus*, adest Sanctus Spiritus de quo conceptus fuerat, qui tale nihil dicit. Iterum de virgine, Luc. 2. v. 7. *Peperit igitur Filiū suum*. Quod si concedendum est, respectu vtriusq; esse Dei filium, &

humanũm scilicet naturę & diuinæ, quod Swenckfeldiani vrgent, illo modo naturalem esse dicam, hoc per gratiam tantum: non adoptionis quidem cum Marnixio. (vt hoc nobis relinquatur, qui profecto adoptiui sumus filij; non per adoptiuum Dei filium, verum per proprium & naturalem,) Sed per vnionis, vt loquuntur scholæ. Et sunt alia quæ docent, voluisse hoc Marnixiũ. Scimus quoque in Francofurtensi synodo, Eliphandum Toletanum, & Felicẽ Vrgelitanum, episcopos, fuisse damnatos, quod sentirent, Christũ esse adoptiuum Dei filium. Et profecto, sicut ait optime Paulinus Aquileiẽsis, qui hoc dogma refutauit eleganti scripto, *adoptiuus dici non potest, nisi is qui prius alienus est ab eo à quo adoptari desiderat.* Quis non admiretur autem, (rursus de Albada loquor) virum bonum, virum eruditum, virum patrię amantem, virum qui prę-claras dignitates recte gessit, maximas cum impetrare posset, recusa-

Vide pag. 535.

uit,

nit, serio & graui vultu, sicut solent pueri, è stipulis & fœno casam fabricare, & materiã ludendi è sacrarum literarum locis mutuare? Quare, *qui hæc illi tradidit*, vt loquitur Seruator noster, *maius peccatũ habet*. Sed iudicium illius nõ absoluitur. Sane ex sacris literis, & quidem ipsis loquendi generibus, discere hunc errorem ac emendare debuisset. Quippe qui non potest ferre aut intelligere, eidem Christo, in quo rei cardo vertitur, diuersa attribui; ille non διάνοιαν sacrarum modo literarum, sed τὸ ῥητὸν quoque, imo phrases ipsas & loquendi genera oppugnat, aut necesse est, vt, quod fecit olim Marcion, scripturas truncet, & inprimis omnes ἐπιζεύξεις ὀνομάτων, siue ἀντιδόσεις, aut quemadmodum loquuntur vulgo, κοινωνίας tollat ἰδιωμάτων. in quibus quod naturæ vni conuenit; vel alteri, vel toti tribuitur Christo. qui in vtraque perfecta, & humana & diuina, verus homo est & verus Deus. Nullum enim est periculum,

ne dum sic loquuntur sacræ literæ, aut diuinũ aut cœleste Christo corpus tribuant. Et nos hymnum Dei Filio vernacule cõscripsimus, in quo totam de persona Filij doctrinam, versu partim, partim prosa, ex antiquitate orthodoxa complexi sumus. In quo, ex his maxime loquendi generibus, colores duximus poeticos.

Ioh. 8. 58. Ecce, *Priusquam Abraham fieret ego sum*, ait Dominus. Et qui ista dicit, in sequenti versu, fugit Iudęorum lapides. Vides ergo quali fuerit indutus corpore. Discant ergo piæ animæ, quemadmodum, cum Deus dicitur Actor. 20. v. 28. proprio sanguine Ecclesiam acquisiuisse, nihil diuinæ detrahitur naturæ: ita cum idem verPsal. 22. 7 mis à Dauide, vir dolorum ab Esaia Esa. 53. 3. dicitur, dici de eodem, qui in sæcula est Deus benedictus: nec idcirco eam deprimi naturam, quæ patri consubstantialis est, vt loquuntur hodie, & coæterna. Nihil diuinę eius detrahamus naturæ, nihil humanæ addamus. Adoremus eam quæ effecit

fecit vt hæc pati pro nobis posset, neque cum ea confundamus eam, quæ quid esset, satis est testata, cum passa est. Ne dum extra sacras literas tribuere ei aliquid volumus, inane efficiamus quod ab ea accepimus. Equidem, sæpe tacitis apud me gemitibus deploro, cũ tam multi vel hoc tempore vel olim circa fidem fecerint naufragiũ, omnes fere in persona filij offendisse. quorum alij diuinam, humanam illi detraxerunt naturam: aut in ijs aliquid periculose immutarunt. Hanc scilicet, terra & lutum, creatori suo pariter & seruatori gratiam rependit, vt formare pro arbitrio ac fingere eum velit, & naturam eius immutare, absque qua seruari nemo potuisset. Vtraque autem æque ad tam ineffabile opus ac mysterium requirebatur. Tempus est vt iterum exclamet Dominus, *Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: populus meus non intellexit* Esa. 1. 1.2.

me

me. Neque ex illis quisquam peccat, qui non alterum peccatum adiungat: vt autoritate scilicet sacrarum literarum abutatur. Non eodem tamen omnes modo. Alij enim ex simplicitate, qui decipiuntur; alij ex malignitate, qui decipiunt. In priorum numero fuisse Albadam, plane existimo. & in hac opinione magis etiam à te sum confirmatus. Volui hæc interim perspicue & breuiter. ne quis in hoc feraciſſimo sectarum sæculo, autoritate eius viri moueatur, aut iudicium de eo tuum nesciat. tum vt constet, quare multi eo nihilominus familiariter sint vsi: & quale in plerisque eo tempore esset pacis studium ac moderatio. Altera Epistolæ illius pars, in ijsdem partim, partim in commemoratione & elogio Ameliani loci, occupatur. Quem Amelium, cum negat se legisse Marnixius, error est memoriæ: aut potius, ad manum patres tum non habuit; Reipublicæ, vt verisimile est, aut aliis intentus.

Nulla

Nulla enim ad nos eius scripta peruenerunt. Sed quem eius hic adduxit locum, ex Eusebio, aut recenti aliquo scriptore adduxit, nisi fallor. Nondum enim eo tempore Theodoreti Θεραπευτικὴ Græcorum, erat edita: cuius in secundo quoque adducitur. Sed & aliter citatur ab Albada: tum corrupte & sine sensu. Neque emendatur à Marnixio, qui posteriora tantum ponit. Fuit iste Amelius, si Suidæ credimus, discipulus Plotini & Porphyrij præceptor, summi hostis Christiani nominis; Origeni familiaris, qui theologiam suam è Platonicorum, qui quotidie cum Christianis eius temporis agebant, somnijs & allegorijs, vir summus alias, non parum inquinauit. Et ipse multa è theologia sua & scripturis sacris, fecit vt in scripta sua illi deriuarent. Quanquam nullo pene loco inter suos hunc Amelium fuisse, docet ipse Eunapius; ipse quoque Christianis parum æquus. Eius locum de quo agimus,

antiqui

antiqui patres adduxerunt, vt ostenderent, Platonicos, vel ex traditione, vel communicatione, vel naturæ lumine, etiam de Dei filio nonnulla credidisse, neque sine approbatione quæ diuinitus de eo à Iohanne primo capite dicuntur, præterire potuisse. Hunc Albadæ aliquis in manum dedit. Atqui locus ille, si vt hominis à Christo alieni, aut pagani adducatur, confirmabit in opinione sua Christianos: vel propterea, quod de Iohannis Euangelio non male iudicauit: quamuis Barbarum hunc vocat. quæ Græcorum est ciuilitas. Sin vt Christiani, aut Swenckfeldiani; non euadet quin blasphemus merito dicatur, qui de Christo ista dicat. Imo quot sunt prope verba, tot in eo sunt blasphemiæ. Quare dignus est commiseratione optimus vir, cum *paganos* ait (de hoc autem loco loquitur) *longe melius mysteria & virtutes fidei intellexisse, quam nos miseri hodie intelligimus:* & deinde (horresco referens)

adducit

adducit verba, quibus certæ theſes continentur. Quarum prima eſt, *Quod Chriſtus in humanam carnem inciderit.* contra fidei articulos, qui docent, Seruatorem noſtrum ex Maria virgine natum eſſe: quem è carne mulieris ſiue ſemine, ortum eſſe, etiam Swenckfeldiani negant. contra horribile Iohannis carmen, qui pronunciat: *quicunque ſpiritus non profitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt.* Contra impium Amelium: & magis impium, ſi ita loquitur Swenckfeldium. Sed hæc vetus & iam exoleta Apellis & ſimilium opinio eſt. Secunda theſis eſt, *Quod Chriſtus, cum corpus induiſſet, hominis phantaſma fuerit, non homo.* vel, vt Græca verba ponam, ὅτι ὁ Χριστὸς ἄνθρωπος οὐκ ἐφανερώθη. Sane etiamſi, φαίνεσθαι dixiſſet, tamen impium fuiſſet. non enim homo appparuit, ſed fuit. At hoc omnẽ ſuperat impietatem. Nam ſi iſtud verum eſt, τὸν πάντων ἐφανερώθη: & per conſequens, phantaſma eſt pro nobis mortuum, & phantaſma

taſma erat, cuius ſaucio è latere, aqua pariter & ſanguis fluebat. Itaque non carnem modo & oſſa, ſed & φεναπάρδιον phantaſma habet. Poſtrema eſt, *Quod Chriſtus corpore depoſito, iterum deificatus fuerit.* Nam profano ἐπιθέσεως verbo vtitur. Quo verbo aliqui ex illis, non de Chriſto (qui ſi factus fuit aliquando Deus, fuit aliquando non Deus, imo nunquam fuit homo; nullus enim homo poteſt Deus fieri, verum Deus potuit aſſumere hominem) ſed de ipſo homine vtebantur. Cum non intelligerent, Chriſti ſpiritum, niſi mediante humana non communicari natura: qui illorum cauſa quos participes illius facit, illam quoque aſſumpſit. Rurſus, verbo quo hic vtitur, ἀναλυθέντα nempe, eo quoque vſus eſt Apelles: qui dicebat, Chriſtum ſua ſponte poſiturum corpus ſicut ſumpſerat, ἀναλύσαντα τὸν ἀνθρώπινον. Prima continet non tantum manifeſtam, inter ſanctam ſeruatoris noſtri ἐνσωμάτωσιν

& ἀνα-

ἐνανθρώπησιν, hoc est, incarnationem, contumeliam, & Apellis, sicut diximus, delirio affinis est: qui tamen quanquam ex elementis ei corpus daret, verum esse aiebat, teste Epiphanio. *veniisse* præterea, non *incidisse*. Secunda Manichæo, Marcioni, & Docetis est vicina, nisi eadem sit prorsus: certe eodem fine excogitata. Omnes enim veram Christo carnem detrahunt. Tertia omnem sane impietatem longe excedit. Et tamen audi quid Albada rursus dicat. Postquam enim locum ipsum tanquam normam fidei adduxit, *Ex quibus*, inquit, *appareret, quæ tum Christianorum de Domino suo fides fuerit.* Apage hanc fidem. Vt iam plane verum esse discant qui philosophorum scriptis nimium inhærent, aut plusquam debebant, ijs tribuunt, quod de illis eleganter asserit Tertullianus, *Philosophos hæreticorum Patriachas esse.* Sed præcipue Platonicos, qui, vt ante dixi, Originem formarunt: cui quanquam in

 Ruffini

Ruffini causa nimium fortasse vir sanctissimus Hieronymus detraxerit, de quo maximo Doctore vere potest ~~potest~~ dici,

tantæne animis cœlestibus iræ?

tamen fatendum est, plerisque hæresibus occasionem dedisse. Equidem, si quisquam, multum tribuo Platoni, & fortasse pauci sunt qui æque eius scripta πεπαπήκασι. verum in diuinis, præ Platone & Socrate, Apostolum audire malo, qui diuinitus nos omnes monet, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν: & quidem singulos, ὡς ὁ θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως. Quod si omnes meminissent, non tam multi velut facto agmine in theologiam inuolarent. Verum fucus aliquis aut planus, qui Albadæ ista persuadere non audebat, locum ei tradidit Amelij, qui ambabus eum manibus amplexus est. At Marnixius, notare ista sigillatim non potuit. quia vnde sumptus esset locus, & quis esset iste Amelius, nesciuit. Puto illud quoque iam videre te, de quo inter nos nonnun-

nonnunquam egimus, cur Macarium tantopere parenti tuo commendauerit, quem nos pene pueri autorem diligenter volueramus. Constat, sicut ante dixi, studiosum pietatis fuisse hominem, & cui in actionibus non pauca displicerent. Quare quantum potuit, prouectior ætate, quasi rerum & ambitionis satur, eos potissimum amplexus est scriptores, qui ad pietatem inuitarent. qualis est Macarius. Qui non tantum scriptis, sed viuendi quoque ratione, & vt proprie de eo loquar, τῇ ἀσκήσει, talis fuit. Libero præterea arbitrio, nonnunquam plusculum concedit: quanquam aliis in locis nemo ei minus tribuat. Nam vtrumque obseruauimus. Animæ perfectionem, quam ἀνάπαυσιν, &, alibi, ni fallor, sicut isti, ἀποθέωσιν vocauit, suadet, & ad illam operose inuitat. Verbum Dei, esse Deum, sicut verbum mundi esse mundum, alibi inculcat. Itaque non leues causæ sunt ob quas deificandis illis placeat. Plurimas

denique allegoricas & anagogicas ſacrarum literarum explicationes habet, imo totus eſt in illis. Quibus, ſicut noſti, omnes iſti quos ſpirituales vocant, multum delectantur. Et in iſtis paſſim ſpecimen Albada dedit: vſque ad prophetandi ex ſcripturis lubidinem, doctoribus quos habuit fidelis diſcipulus. Sed vt finem faciam: habebunt in his literis, ſi recte, (quod confido fore ab ijs quibus hoc negotium mandaſti,) & cum fide ac cura edantur, Politici quod notent, Hiſtorici quod ſcriptis ſuis inſerant, Theologi quod diſcant, fugiant, & imitentur: qui magnorum hominum viuendi rationem propius cognoſſe volent, etiam priuata & minuta, quæ oblectent pariter & inſtruant. Nam ne iſta quidem ſine fructu omnium legun-tur. Niſi qui Læertium, Plutarchum, & quicunq; hodie Elogia aut Vitas ſcribunt, nihil agere exiſtimet. Plinius aiebat, nullum eſſe librum tam malum, vt non aliquid ex eo boni diſceret:

discerret: ego nullum reor esse tam bonum, vt non excusari aliquid in eo debeat. Tantum abest, vt præstare velim quicquid alij scripserunt: quod nec tibi est in animo, aut vnquam fuit. Nam qui in magnorum hominum epistolis, quales hi plerique sunt, qui omne vitę tempus patriæ & actionibus non rhetori dederunt, linguę elegantiam & exquisitam puritatem καὶ τὸ κομψὸν ἐς τὸ ἀκριβὲς, (id quod Platoni quoq; obliquè in Politicis obiecit Aristoteles) requireret; iniquus planè in eos esset ac iniurius. ipsius quoque Aristotelis, quem fontem elocutionis limpidissimum fuisse nemo nescit, Epistolæ laudantur, quia τὸν ἐν χρῇ διάλογον, repræsentabant. hoc est, eum quo in colloquendo passim vtimur sermonem. Ego tantum profeciſſe glorior & gaudeo, vt res magis ponderem quam verba, & ex iis quæ prodesse mihi posse iudicem, desumam. Deniq;, si excusationem quæris, optimam excogitaui. Vt quod

tu minaris, ego prorsus subterfugio, eam quam nunc legis, cęteris adiungas. Est enim plane impolita: neque quicquam quamdiu vixi æque festinanti excidit. Sed abripuit me, Myli nobilissime, &, si quisquam, amicissime, scribendi quidam quasi æstus, cum & operas, quod non ignoras, morer, & non pauca nunc incumbant nobis, quæ, vt ille loquitur, præuorti est necesse. Quale est Dordrechtanum illud. in quo nullus procurator Hagæ tanta fide est, cuius vti velim opera. aiunt enim tantum per præsentes ista fieri. Sane alluuiones tuas malim. Iis enim qui hoc agunt, semper aliquid decedit. Interim hæc boni consules: quæ ne relegendi quidem, vt decebat, spatium concedebatur. Vale decus nostrum, & hæc flammis trade: aut, si tanti sunt, locum inter tua aliquem concede.

Alia

BENIGNE LECTOR.

NEque legem, neque epistolam cum proœmij apparatu probari scio: Et tamen non possum committere, quin altera quoq; Præfatione hic te compellem; occupemq; breui adloquio vacaturas alioqui pagellas. Damus Epistolas superiore sæculo scriptas, non ab hominibus quibusdam proletarijs, aut capite censis, sed ab illustribus viris, quos virtutis atq; eruditionis merita iampridem in cœlum vocauerunt. Has ego quum primum egregio Nobilissimi viri D. Cornelij vander Myle beneficio inspexi, dici vix potest, quomodo adfectus fuerim. Quanti enim apud me fuisse censes, quod liceret chirographa tot Illustrium Heroum videre, inque ijs tanquam signo aliquo Phidiæ, aut tabula Apellis obseruare scribentium animos? Emicat enim è chartis istiusmodi maximorum virorum ingenium, multò etiam quam in pictura aut statua manifestius: licet q; fere ex ipso literarum ductu & lineamentis de moribus autorum face-

re coniecturam ; quum fluentes periodi expeditas facilesq; scribentium meditationes; interruptæ autem & intercursantibus liturisfractæ, indicant arcanas cogitationes deliberantium, & priores inuentiones seueriore styli censura castigantium. Quum vero animum subit cogitatio, illaspsas chartas quas manibus contrectas, huius aut illius viri fuisse, cuius tam multa exstant & tam præclara in Rempublicam merita, non potest non veneratio quædam subnasci, ex admiratione tot præstantium virtutum. Nam quemadmodum numum aliquem Catonis, aut Bruti, aut Augusti magis æstimamus ex effigie, quam ex metallo ; ita scripta ista non ex vili chartæ aut membranæ pretio, sed ex ijs censemus, quorum spirantem adhuc virtutem inter illa litterarum lineamenta contuemur. Iam verò in hac ipsa diuersitate scribentium quam est volupe dissimilem quandam conspicere animorum similitudinem ? Habent enim singuli præter bonum illud commune in quo omnes inter se conueniunt, proprium quoddam, & vel natura sibi insitum, vel

moribus

moribus & consuetudine acquisitum loquendi & scribendi genus, ex quo non minus singulos, quam olim Apellem Protogenes, dignoscas: Estque hoc ita certum, vt etiã constet fuisse, qui veros & genuinos Plauti versus potuerint à suppositiis sola auditione discernere. Est enim animorũ multo etiam notabilior quam corporum varietas, si modo contente quis & curiose aduertat: Emicatq; in hac re mirabilis Dei optimi maximi sapientia, ex tam diuersis & dissimilibus veluti chordis egregiam illam constituentis mundi harmoniam. Confer inter se, si placet, illos ipsos quos nunc damus. Bullingerus sedatus est, Bucerus incitatus & præceps, Marnixius pressus, & torrentis in modum impetuosus, Castalio lenis, Metellus varius, Beza acer, Albada sollicitus & religiosus, Villerius pacificus, Mylius candidus, Cassander iudicij plenus, Gualterus apertus & verè Heluetius. Est in Aldegondio multa eruditio, in Hoppero mira grauitas, in Mylio summa prudentia, in Albada religionis zelus, interdum etiam ad prophetici spiritus calorem, in Levvio

patriæ amor. Atque hæc quidem ita singulorum sunt, vt tamen eadem sæpè sint omnium. Quod si verò de Imperatorum quoq; & Regum maiestate nobis iudicare fas est, (cur autem fas non sit, modo id timidè fiat, & cum reuerentia?) quis non miretur in Ferdinando pietatem, in Maximiliano Ecclesiasticæ concordiæ studium, in Antonio Nauarræ rege conatum religionis bene in Gallia reformandæ? Iam si seposita delectatione vtilitas ex Epistolarum lectione petenda est, nusquam certius interiora tot præstantium virorum iudicia quam ex mutuis ipsorum epistolis cognosces. In his ipsi se produnt, & sine fuco pandunt interiores animi recessus. Itaque de Republica, de Ecclesia, de religione, de rebus priuatim publicèq; suscipiendis tam liberi hic sunt sermones, vt interdum etiam cum delectu legendi sint. Narrant multa Metellus & Marnixius, quæ vix alibi in historijs offendas. Quam religiosa est illa de iuramento Episcopali deliberatio Guilielmi Electi Monasterienſis cum Georgio Cassandro? Quam erudita Marnixij

nixij cum Boenio & Albada disputatio de veritate humanæ Christi naturæ? Quam graue rescriptum Theologorum Belgicorum ad Ioannem Nassauium Gubernatorem Geldriæ de seruanda fide Pontificijs semel data? Quid de reformatione Ecclesiæ potest vel dici vel cogitari grauius sententia Hopperi? qui in constituenda & pacificanda Ecclesia hoc efficiendum putauit, vt non tam prauis opinionibus (tametsi his quoque) quam malis moribus Ecclesia repurgaretur, in quo vno salus Reipublicæ Christianæ consistit: curandumq;, vt intelligant homines, nos non minus malis moribus nostrorum hominum quam aduersariorum malis opinionibus esse infensos: Quibus si accedat, vt incipiant animaduertere, veram religionem non subtilitate disputationum, variarumq; quæstionum constare, sed sola in Deum ac Christum pietate, & aduersum homines amore, non multum amplius repugnaturos multos, quin opiniones illas suas inanes & superfluas missas faciant, & ad veram Ecclesiam repurgatam ac restitutam se recipiant. Sed non

Vide pag. 137.

pag. 176.

non est nostrum hoc tempore argumenta Epistolarum recensere, satis fuerit digito ad fontes exserto ostendere, vnde tot & tam ampla commoda peti possint. Tu istis, Lector, vtere & fruere ad Dei gloriam & tuum in vera pietate & modestia profectum; quumq; videas, tam insignes & præstantes viros in illa opinionum dissensione amicitiam tamen & fraternitatem seruasse, cogita idem tibi faciendum esse. Vale.

P. BERTIVS.

INDEX

Numerus Romanus indicat Centuriam priorem, Barbaricus posteriorem.

ADrianus Cardinalis Dertusensis qui postea Pontifex factus est, ad D. Laurentium du Bliou, XCIX. M. Florentio Oem de VVingaerden, c.
Adrianus văder Myle, Carolo Francorum Regi XXVII. Georgio Ludouico Hutteno XCI. 56. D. Zinđelino, 1. Nicasio Ellebodio 12. Bonauenturæ Vulcanio 25. 26.
Aggæus Albada Adriano văder Myle LXXV. LXXVI. LXXVII. LXXXII. XCII. XCIV. XCVI II. 15, 19, 21, 48, 63, 65, 69, 72, 73, 74, 75, 76, 78, 79, 80, 82, 83, 84, 87, 89, 90.
Andreas Masius Cassandro. LII.
Antonius Rex Nauarræ Cassandro, XXXVII.
Beza, vide Theod. B.
Bonauentura Vulcanius Adrian. vander Myle, 29. 46.
Bullinger. vid. Henricus B.
Centuriatores Magdeburgenses Geor. Cassandro & Corn. VVouters. IV.
Daniel Rogersius Adriano vander Myle, cum Elegia. 31.
Elbertus Leoninus Adriano văder Myle 88, 91. 93.
Erasmus Rotterodamus Car-

d by Google

mus Cardin. Campegio x. Vincentio Cornelij LVI, LXIV. Guilielmo Montijoio LVIII. Audomaro Edingo LX. Petr. Vulcan. LXII, Cornelio Scheppepero LXVII. Petro Ægidij LXIX.
Euſtathius à Knobbelſdorf Caſſandr. VI.
Ferdinandus Imper. Caſſandro XXXIX. XLI.
Franciſcus Balduinus Caſſandro, XII, XXX, XXXII. XXXVII. XXXVIII.
Georgius Caſſander Guilielmo Electo Monaſterienſi Epiſcop. XVI. XXI. XXXIII. Ferdinando Imperatori XL. Maximiliano XLV. Ioachimo Hoppero XLVII. Ioanni Heſſels à Louan. L. Cornelio VVouters, LIV.
Georgius Ludouicus Huttenus Adriano vander Myle XC. 13
Georgius Ratallerus Adriano vāder Myle LXXIII. LXXXIII LXXXIV. 5, 16, 53.
Georgius Sambucus Metello LIX.
Georgius VVicelius ſenior Caſſandro LV, LXXI.
Gerardus Falkēburgius Bonau. Vulcanio 33.
Giphanius, vide Obertus.
Guilielmus Princeps Arauſionenſis, Comes Naſſauiæ, &c. Legatis illuſtr. Generalium Coloniæ agentibus. 55.
Guilielmus Feugereus Rector Acad. Leid. Adriano vander Myle 534.
Guilielmus Ketler Electus

Electus Monasterienſis Epiſc. Caſſandro XV, XX, XXII, XXIV, XXV.
Henricus Bullingerus Caſſandro I. XVII, XIX, XXVI, XXVII.
Henric. Killygræus Adrian. vãder Myle, 99.
Hermannus Comes à Niweenaer Geor. Caſſandro XVIII.
Iacobus à Burgundia Caſſandro. III.
Iacobus Dryander Caſſandro XI.
Ioachimns Hoppe-rus Caſſandro XX-IX. XLVIII. Cornelio Wouters XXXVI. Adr. vander Myle LXXIV. LXXX.
Ioannes à Laſco Caſſandro IX.
Iohannes Heſſels à Louanio Caſſand. XLIX. LI.
Ioan. Metellus Sequanus Caſſandro XXXIV. LVII. LXI. LXIII. LXV. LXVIII. LXXII. Cornelio Gualteri XXXI. LV. Petr. Ximenio LIII.
Martin. Bucerus Ioanni à Laſco, V.
Matthias Flaccus Illyricus Caſſandro XIII.
Maximilian. Imperator Caſſandro XLII. XLIII. XLIV. XLVI.
Nannius Foreſtus Adriano vander Myle. 36.
Nicaſius Ellebodius Adria. vander Myle LXXXI. XCV. XCVII. 7. 9.
Obertus Giphanius Adria. vander Myle. LXXXV. XCVI. 67. 94.
Petr. Ximenius Caſſandro XIV.
Petrus Roſinus Adr. vander Myle. 10.
Petr. Sborouius Palatinus

latinus Cracouiens. & Capitaneus generalis Illustr. Principi Guiliel. Princ. Aur. Com. Nassou. 3. Philip. Marnix. 4.
Petr. Loselerius Villerius Adria. vander Myle 59. 86.
Ph. Marnixius Santaldegondius Bernardo Bœnio LXXXVI. Ag. Alba. LXXXVII. LXXXIX. Adria. vander Myle. 35, 37, 38, 39, 41, 42, 58, 60, 64, 66, 67, 81, 85, 92, 96, 97, 98, 100. Elberto Leonino 44. Casparo verheiden 52. Bonau. Vulcanio 62, 68, 71, 77.
Ratallerus vide Georgius R.
Richardus Coxus Elienſis Epiſcopus
Geor. Cassandro 11.
Rudolph. Gualterus Bon. Vulcan. XCIII. 40, 43, 45, 47, 49, 50, 53.
Sambucus vide Georgius.
Sebastianus Castalio Cassandro VIII. XXXV. N. Belgæ. LXX.
Serranus vide Ioannes S.
Theod. Beza Thom. Tilio 2, 5, 8, 11, 14, 17, 29, 22, 95.
Theodorus Leeuius Adrian. vander Myle, 23, 24, 27. 30. 32.
Theologi Eccleſiarum reformatarum in Belgio Ill. D. Ioanni Comiti Naſſouiæ, &c. Gubernatori Geldriæ 70.

Illustrium & Clarorum
Virorum

EPISTOLÆ SELECTIORES,

Superiore sæculo scriptæ vel à Belgis, vel ad Belgas.

I.

Studiosissimo veræ pietatis & eruditionis iuueni D. Georgio Cassandro, Argentinæ agenti, in ædibus D. Pauli Fagij, amico singulari.

GRATIAM & vitæ innocentiam à Domino. Recepi tuas, Cassander doctissime, literas, omnibus ministris inscriptas, quibus etiam exhibui: ac ago tibi pro egregio illo tuo in nos studio maximas gratias. Vtinam verò sint illa in nobis præstantia dona, propter quę tu nos tan- *Theologica, Historica.*

topere veneraris. Ora autem pro nobis datorem omnis boni, Deum Patrem, per Filium eius vnigenitum Iesum Christum, vt nos nominis sui studiosos gratia sua doniſq; perfundat, quò ipsius negotium in Ecclesia fideliter agere, ipsique placere possimus. Dolet sane & nobis non mediocriter, ex symbolo concordiæ sacratissimo affectus hominum tantas seuisse discordias. Sunt qui nos in causſa esse putant, omnemq; in nos reijciunt concertationis pestilentissimæ culpam: Verum nos nostram causſam referimus ad iustissimum iudicem Christum, Regem & Pontificem nostrum, satis securi in animis nostris de innocentia nostra. Nunquam non promptissimos nos ijs præbuimus, qui syncerè nostram iustam & in verbo Dei syncero consistentem concordiam nobiscum inire postulauerunt. Silere verò non potuimus, quum Ecclesiæ nostræ damnatæ, fratres viui & mortui, doctrina denique nostra hæreseos accusaba-

cusabatur. Christiana sane patientia ad quælibet obmutescit conuitia, ad hæreseos blasphemiæque criminationem si obticeat, Christiana patientia non est. Respondimus ergo conuiciatori Luthero, ac nihil peccauimus, opinor, contra modestiam: Exposuimus doctrinam Ecclesiarum nostrarum, fideique nostræ, ac nihil impij aut erronei asseruimus. Extat liber, quem à te visum & lectum arbitror. Scimus sanè quorũdam iudicia, & meliora de te speramus, quum neutri parti te addixeris hactenus, ac liberius haud dubiè iudicare queas. Exspectamus iam quid Lutherus sit responsurus, quæ vbi viderimus, nuspiam deerimus, Deo volente, veritati. Valde doleo quidem Ecclesias Christi in Belgica sic exerceri, verum scio rursus, agrum dominicum sanguine sanctorũ rigatum fertilissimum ab ipsis fidei Christianæ initijs esse factum. Faxit Christus Princeps & caput Ecclesiæ suæ, vt hæc persecutio cedat ad gloriam nominis sui

& Eccleſiæ incrementum. Sentiet aliquando Cęſar, ſentient eius Conſiliarij quem ſint perſecuti. Pro Dialogo ſatis lepido magnas ago gratias. Implebunt & Theologi iſti menſuram patrum ſuorum, & ſentient in quem calamos ſuos ſtrinxerint. Videt enim Deus & iudicat. Vtinam vigilemus omnes, lætique compareamus in eius iudicio. Cornelium Gualterum vnà cum hoſpite tuo D. Paulo Fagio viro doctiſſimo nobiſque chariſſimo officioſè ſaluta. Salutant te ac illos fratres omnes. Vale, Tiguri, 1. Auguſti Anno 1545.

Heinrichus Bullingerus tuus.

II.

Eximiæ pietatis & eruditionis viro D. Georgio Caſſandro amico meo longe chariſſimo apud Coloniam Agrippinam.

Priuata. Theologic. Hiſtorica.

SI omnia humanitatis tuæ officia erga me enumerare pergerem, fruſtra equidem laborarem chariſ-

ſime

sime in Christo Cassander. Interim in pectoris mei adyto repositaea esse scias, vtpote quorum nulla me vnquam ceperit obliuio. Postquam visum fuit Domino nostro, de cuius prouidentia semper pendemus, nos in patriam reuocare, cumprimis ipse Wormacia discessi, & Coloniam veni, ibi meum Cassandrum Cornelium q; salutaturus, eisq; valedicturus. Neutrum reperi. Illinc recta in Angliam. Ibi pacata omnia, sit Deo gratia, mortua Maria. Regnat Elisabetha pietatis amatrix & fautrix. Per hanc pulsa superstitio Papistica, restauratum Euangelium Christi, pulsi ministri Papistici, restituti pastores Christi. Det Dominus vt Euangelij Christi professionem vita Euangelio digna exprimamus, ne scilicet posthac deterius nobis contingat. Non contentio est, sed neque integra inter nos consensio de imagine crucifixi in templis erigēda, quemadmodum hactenus vsurpatum fuit. Alij existimant licere, modo absit cultus

aut veneratio ipsi imagini exhibenda. Alij putant ita in vniuersum omnes imagines prohibitas, vt nefas sit, vllam omninò in templis perstare, propter periculum ita inseparabiliter annexum. In hoc autem statu nunc sumus, vt nulla hodie in Ecclesiis exstare cernatur. Hac in re quoniam iudicio tuo plurimum semper detuli, te vehementer rogatum velim, vt animi tui sententiam paucis mihi explicare digneris. Quod scribam ad te hoc tempore nihil relatu dignum habeo, nisi quod Scoti nobis vicini sibi nonnihil à Gallis metuant, præsertim qui Euangelium amplectuntur, quæ pars illorum benè magna est. Rogandus Dominus, vt ab illorum partibus stare dignetur. Libenter cognoscerem, Ducem vestrum, pro ea qua illum prosequor veneratione veram Christi religionem propagare inuitis Papistis omnibus. Vale in Christo charissime Cassander, salutemque dicito fidissimo Achati tuo, dominisque

nisque meis dilectissimis, Gerardo Mercatori, Ioanni & Gualtero Gymnico, & Ambrosio, Duisburgensibus. E ciuitate Londino in Anglia, ex ædibus meis Holburnensibus 4. Martij 1560.

Tui studiosissimus

RICHARDVS COXVS
Elienſis Epiſcopus.

III.

Optimo Viro Georgio Cassandro amico & singulari in aula Comitum Nouæ aquilæ. Coloniæ.

QVi meas tibi reddet literas adolescens est, & probè mihi notus, dignusque cui fidem habeas in his quæ ex illo de me audies. Qua ratione factum putabis quod prolixiores de rebus nostris ad te non dederim literas. Periculosissima enim hæc nostra tempora me *Priuata.*

quoque in scribendo breuiorem & rariorem faciunt, quibus nihil ferè tutò literis committi potest. Nam & magna est eorum qui literas vulgò perferendas suscipiunt perfidia, & plerique sunt huiusmodi, vt eos non pudeat commissas sibi literas resignare, & lectas pro arbitrio vel reddere vel supprimere. Quum igitur præsentem nuntium aliqua negotiorum meorum portio non lateat, malui te illam ex eo intelligere, quam in scribendo longam ponere operam, ne & illa mihi pereat, & amicum in discrimen aliquod vocem. Vale, nosque de ijs certiores facias, quæ nos scire oportere putabis. Salutabis ex me D. Cornelium, etiam nomine vxoris. Datum Genabi 25. Iulij, anno 1549.

Tuus Iacobus à Burgundia.

IV.

IV.

Doctiſſimis & integerrimis viris, D. Cornelio Gualthero & D. Georgio Caſſandro Dominis & amicis ſuis colendis. Coloniæ.

INtegerrimi & Clariſſimi viri: Sciſtis procul dubio, quod maximis ſumptibus & laboribus Hiſtoriam Eccleſiaſticam in Eccleſia Chriſti ſummopere neceſſariam comportare & contexere Deo adſpirante conemur. Cum autem publicum ſit hoc opus, eiuſq; cura ad vniuerſam Eccleſiam Chriſti pertineat, non dubitamus, quin omnes pij tale inſtitutum ſponte probent, & parati ſint omnibus officijs illud iuvare. Intelleximus autem ex præſtantiſſimo Viro D. Doctore Caſparo à Nydbruck vos duos vniuerſæ antiquitatis ſtudioſiſſimos & peritiſſimos eſſe, & ingentem ac pretioſum theſaurum veterum monumentorum pro vtilitate Eccleſiæ ex multarum re- *Hiſtorica.*

gionum bibliothecis conquisiuisse. Prædicauit etiam idem Doctor vestram pietatem & humanitatem, & fecit certissimam spem, quod à nobis rogati, nihil nobis, quod quidem ad publicam vtilitatem spectare videretur, denegaturi essetis. Mittimus ergo iam magna confidentia ad vos hunc nostrum Wilhelmum, ac petimus in re omnium amplissima vestrum auxilium & piam communicationem. Inprimis autem cuperemus eiusmodi libros, qui aliàs non exstarent, & ad historiam annorum Christi vsq; ad millesimum pertinerent. Nam cætera recentiora existimamus facilius haberi posse. Ac si integra quædam volumina vsui nobis dari possent ad breue tempus, faceretis rem nobis gratissimam. Bona enim fide quocunq; velletis tempore vobis summa cum gratiarũ actione restituerentur. Sin transmittere omnia quæ nobis profutura essent non potestis, saltem huic studioso potestatem faciatis rogamus, vt quædam

quædam deſcribere, quædam colligere, & excerpere iſtic apud vos liceat. Ante omnia verò vt omnium Indicem quamprimum ad nos mittat. Hoc officium ipſi Chriſto, cuius hiſtoriam teximus, totiq; eius Eccleſię gratum erit, & nos viciſſim de aliquo gratitudinis munere cogitabimus. Methodon noſtri inſtituti Wilhelmus habet, ex qua intelligere poteſtis, ſi non ſumma induſtria, ſaltem accuratè & fideliter omnia à nobis fieri. Prolixius iſta à vobis peteremus, niſi ex multorum relatione certò cognouiſſemus, vos & pietate ſingulari prędítos, & libenter communicare quæ' ad Eccleſiæ Chriſti vtilitatem ſpectant, nec alium habere ſtudiorum & laborum finem. Benè in Domino valete. Magdeburgi 2. Auguſti 1557.

Gubernatores & inſpectores inſtitutæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ

Ioan. VVigandus paſtor Magdeburg.
Martinus Copus Medicinæ Doctor.
Ebelinck Alman Burgher in Magd.
Matthæus Iudex.

V.

V.

Diuino viro D. Ioanni à Lasco, Curatori Ecclesiarum Frisiæ Orientalis, Domino & Symmystæ suo colendissimo.

Theologica, de re Sacramẽtaria.

GRatiam & pacem Vir sanctissime. Quas apud optimum virum D. Albertum nostrum reliquisti, eas literas hodie primum accepi, & ad rescribendum omninò impeditus. Mallem multò colloqui. Tamen amantissimis tuis literis, quanquam necessarijs negotijs planè obrutus, non quamprimum respondere vel paucula non potui, ne forsan quod scripsi, me optare, te loqui de Sacramentis plenius, alio accipias, vt sanè videris, quam scripserim. Contrahere omnia compellunt quæ me premunt alia opera: id boni consulas rogo. Conuenit inter nos, potius fundamentum quam apparatum structuræ, architectum quam ministrum spectandum, fontesque

teſque quam riuos in cunctis Chriſti doctrinæ capitibus requirēdos eſſe. Addo ego, quod & tibi probari exiſtimo, aquam fontium è riuis percipiēdam, & opus architecti per miniſtros perficiendum, & fundamento nos medio aliorum viuorum lapidum & opera miniſtrorum imponendos eſſe. Videor mihi videre, quibus in hac cauſſa cogitationibus commoueare: eiſdem enim ego aliquando impeditus, minus probare potui formas loquendi quibus vtuntur, ſcis qui. Chriſtus Dominus efficit quæ ſunt ſalutis noſtræ per ſe: Omnia verba eius ſpiritus ſunt & vita. Antichriſti eſt, egenos animos elementis affigere; Chriſtoque regnanti in cœleſtibus terrenorum ſignorum vſus non eſt tanti faciendus: Sed cum fontes non tantum iſtorum recentium, ſed veterum etiam in Eccleſia riuorum religioſius inquirerem, videor mihi eos inueniſſe, vnde manant hæc. In Sacramento vtroq; Dominum ipſum eamque carnis & ſanguinis

sanguinis eius communionem dari ac percipi, qua sumus membra eius ex parte, & caro de carne eius, os de ossibus, qua manemus in ipso, manetque ipse in nobis: dari autem & percipi dum Dominus ipse est in ministerio suo efficax, cumque verba & symbola vt Domini, non vt ministri, vt ab ipso Domino, quanquam per ministrum accipiuntur; quod totum Domini & donum & opus est, & dispensationis liberæ, nullis ministris vel ministerijs alligatæ. De Sacramenti definitione non videtur idem inter nos constitutum. Obsignandi vim diuinas promissiones, & testandi vsurpantium inter se in Domino societatem tantum Sacramentis tribuere videris: Ego etiam vim exhibendi Christum ipsum, tamen communicatione de qua modo dixi. Cur hoc Sacramentis adijciam, permouent me ista. In vno spiritu nos omnes in vnum corpus baptizati sumus. Quicumque baptizati estis, Christum induistis.

Panis

Panis quem frangimus nunquid est communicatio corporis Domini? quia vnus panis vnum corpus multi sumus. Omnes enim vno pane participamus. En, Quia vno pane participamus, ideo sumus vnus panis & vnum corpus: Cuius? sane Christi. Ergo panis quem frangimus communicatio & perceptio est corporis Domini. Cuius? naturalisne? Quod traditum est pro nobis. Hoc verò si percipitur hic, datur etiam hic, & adest: præbente autem illud Christo ipso, ministro id administrante, & prębente illud cum pane, aut per panem, nulla tamen quam Sacramentali vnione inter panem & Christum facta, quod & Lutherus fatetur. Non naturalis, non sensualis, non localis, non vlla alia quæ sit huius seculi hic cogitanda vnio est. Sed quæ est ista Sacramentalis vnio? Pacti est: Vt qui hunc panem ita percipit vt Dominus instituit, verè Christum percipiat, sicut Christo verè induitur, eiq; incorporatur, adeoq;

ipsum

ipsum quoq; recipit manſurum in ſe vt is maneat in ipſo qui ex inſtituto Chriſti baptizatur. Huiuſmodi eſt vnio qualis erat inter flatum oris Dominici & Spiritū ſanctum, quum inſufflans in diſcipulos ſuos Dominus dicebat, Accipite Spiritum ſanctum: qualis inter decem pallij ſciſſi partes, & regalem realemque poteſtatem ſuper decem tribus quæ tradebātur reipſa Hieroboam; qualis inter fidem datam & præbitam dexteram; qualis inter omnia ſigna exhibitiua, & res inuiſibiles, intāgibiles, quę illis exhibentur & traduntur, vti eſt amor, fides, jus, poſſeſſio, dignitas, munus. Paulus ſcribit Timotheo, Ne negligas: Item, excita τὸ χάρισμα quod datum eſt tibi per prophetias cum impoſitione manuum; Item, per impoſitionem manuum. At quomodo percipitur hic à nobis Chriſtus Dominus qui corpore in cælis eſt? vt magis in eo ſimus ac viuamus, illeque ſit ac viuat magis in nobis, id eſt, vt ſuum nobis

ſpiritum

ſpiritum amplius inſpiret, vt agat in nobis potentius. Et hoc quidem. At quia non hoc tantum, ſed amplius pollicetur, amplius credo & confiteor. Ecce ego, inquit; Non tantùm mea virtus, meum opus, meus ſpiritus, mea vita, ſed ego ſum apud vos quotidie vſque ad conſummationem ſæculi: niſi velis μεθ' ὑμῶν accipere, pro, facio vobiſcum, vt, Dominus tecum. Sed dicit alibi. Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus: Item, Sum in medio eorum. Item, Viuit in me Chriſtus. Habitare Chriſtum in cordibus per fidem, fide ſcilicet recipiente, ſed Chriſtum ipſum, non tantum opus eius aut ſpiritum. Sed dixit, Non habebitis me ſemper: Relinquo mundum; Vado ad Patrem; Ita redibit ſicut vidiſtis euntem in cælum; Sedet ad dexterã Dei in cælis. Vera & hæc. Non habemus enim eum amplius vngendum & corporalibus beneficijs demerendum: Reliquit mundum, id eſt vitæ conditionem

quæ ſenſui & rationi patet, eſtque obnoxia malis, ad Patrem iuit, ſed vt cum Patre veniat quotidie, atque manſionem apud nos faciat. Iuit in cælos, imò adſcendit ſupra omnes cælos, ſedetq; & ſtat etiam à dexteris Dei. Quid autem? qui cæli? quæ iſta ſeſſio? quæ ſtatio? quæ Patris dextera? anguſtijſne illa includemus Prædicamentorum, quæ & cæcus fide Ariſtoteles digerere potuit? An ſunt illa quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, eoq; nec in cor hominis adſcenderunt, quæ in Domino Ieſu præparauit Deus diligentibus ſe? Quis enim adſcendit in hoc cælum niſi Filius hominis qui ex eo deſcenderat, atque in eo iam tum erat quum illa dicerer, quanquam corpore etiamnum patibili verſaretur in terra? Hæc verò non intelligimus, ſed nec quomodo creſcat herba, & quid nos animet agatque. Sed dum dicitur dari & percipi, eoque etiam adeſſe præſens Dominus in cœna, videtur illi tribui aut infinitum

tum corpus, aut distractum locis. Illud, videri, remoueatur diserta confessione, Nihil hic loci aut mutationis localis, nihil distractionis corporalis, nihil expansionis, nihil huius mundi cogitandum esse. Sacramentum hic dari & percipi, & Sacramentum noui testamenti, regni cælorum, quod nemo ritè percipiat, nisi qui cor suum sursum habeat, qui sit cum Christo conuiuificatus, vnà excitatus & cum eo in cælestibus collocatus, cuius iam πολίτευμα sit in cælis. Perstet hæc confessio & explicetur clârè, esse Dominum & hodie verum hominem, habere verum finitumque corpus, idque semper in gloria cælesti nullis cum elementis vlla mundi huius ratione coniunctum aut eis inclusum. Addatur, percipi illud non sensu, non ratione, sed μονῇ καὶ ψιλῇ καὶ ἀζητήτῳ πίστει. Hæc verba Cyrilli ad obiectiones Theodoreti. Sed, quum dicitur hic præsens, loco addici videtur. Cur magis quam Deus quum dicit, In

hoc loco habitabo inter vos. Quid natura intelligibile & credendarum rerum non sensibilium nostro concipimus animo & eloquimur? At in cælis esse Dominum corpore in certo aliquo loco oportet. Quid ita? Quis auctor huius oportere? Augustinus. Hic non summus in his rebus auctor. Auctoritatem reijcimus Spiritus sancti? Hic autem testatur, localiter subuectum nube, verum vt oculis quoque adscensio contestaretur, non in nubibus, sed ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ille regnat: cumque Augustinus dixit in aliquo illum cæli loco esse oportere, qui scis, an definitiuè, an circũscriptiuè intellexerit? Circumscribi enim illud non ita constat esse humani corporis ἴδιον ἀεὶ, vt est esse finitum. Verum fac esse, vt sit Christus corpore in aliquo cæli loco ambiente ipsum aliquo alio corpore, hoc est, circumscriptiuè; tamen quid vetat vt in singulis cœnis præsens exhibeatur oculis, ori, & ventriculo fidei? vt ipse recte dica-

tur

tur recipi & haberi, quum Sol vno cæli loco comprehensus, tamen corporis oculis in eodem hemisphærio degentium omnium conspicitur? singulis agris percipitur & habetur suis temporibus? Radij Solis, inquies, non Sol. At quis non dicit, Sol nobis ortus est? Idem admittitur vel excluditur hoc loco, non radij. Et quam sententiam quis videt aut tangit? Hoc obiectum intellectus est, sensus tantum ad accidentia pertingunt, quantitatem, qualitatem, &c. Lutherus semper requirit demonstrari per scripturas, cur existentiæ Christi in cælis etiam localiter repugnet, eum dari percipique in cœna, quando in cœna Christum nemo vel loco vel signis vlla huius mundi ratio addicit. Hanc demonstrationem equidem adferri adhuc à nemine vidi. Dum igitur ea adferatur (facilitas enim non intelligendi, sed fingendi aliquod φαίνεσθαι quæ quęritur, mihi suspecta est, quærique videtur à ratione carnis verbis Do-

mini natura ἀπαθέσης.) ego isti acquiesco demõstrationi, vt mihi quidem videtur. Verba Domini omnia simpliciter accipienda & confitenda sunt, nisi à simplicitate depellat aliquod absurdum fidei, clara scilicet rectaque certi cuiusque loci scripturæ contradictio. Hæc verba, Accipite, manducate, Hoc est corpus meum quod traditur pro vobis, verba sunt exhibentis symbolo panis suum corpus, & id quod traditur pro nobis in cruce; sequitur enim de sanguine, qui funditur pro vobis. Hæc verò, Panis quem frangimus est κοινωνία corporis Domini, & hæc, quia vnus Christi panis vnumq; corpus multi sumus; verba sunt testantis fracto pane & communicato inter fideles percipi communionem corporis Christi, non panis tantum: non enim moror, vtrum actiuè an passiuè interpreteris verbum κοινωνία. Nos eam recipimus, Dominus dat, & quidem per ministrum; ministerque dat suo modo idem ministeriali-

fterialiter, vt Paulus Christum inscripsit cordibus Corinthiorum, & eosdem per Euangelium genuit, vt Timotheus seruans præcepta Pauli, seruauit se & eos qui ipsum audierunt. Hæc autem verba Christi & Spiritus sancti si accipio simpliciter, fatendum est, corpus & sanguinem Domini rem cælestem & diuinam ipsum Christum totum Deum & hominem exhiberi percipique in sacra cœna, rebus his terrenis, symbolis scilicet signisq; exhibitum in pane & vino: ideò & haberi præsentem. Huic sententiæ quem pugnantem locum ex omni scripturâ, id quod absurdum fidei est, obijcere quisquam possit, non video, maximè ita explicatæ, & nulla vnione admissa, quam pacti exhibitiui, quæ vocatur vnio Sacramentalis. Percipi eum non ratione, non sensu, sed fide tantum, vel mente fide illustrata, quanquam perceptus fide viua Christus non mortua, otiosa, vel temporaria, præsentiam explicet

ſuam in totum hominem. Non detrahi cælo Chriſtum, non inaniri verum eius corpus, non percipi in cibum ventris, ſed interni nouique hominis, in cibum vitæ æternæ, in confirmationem fidei, qua viuit iuſtus, & incrementum vitæ nouæ, vitæ Dei in nobis. Hæc quum ita explicantur, non video quid in eis ſit, quod in vllum Scripturæ locum impingat, imo quod non pulchre conſentiat cum toto myſterio incarnationis verbi æterni Dei, noſtræque per hunc Filium Dei regenerationis, cum ingenio Sacramentorum, totaque vitæ nouæ adminiſtratione & οἰκονομίᾳ, cumque ijs quæ de baptiſmate ſunt in ſcripturis conteſtata. Abſurda rationis à verbis Domini ſemper abhorrentis (decet enim nos, vt ipſi Dij noſtri eſſe adfectemus) non debent nos à ſimplicitate verborum Dei reuocare. Nemo poteſt rectius magiſque clarè & diſertè, fidei dico, non rationi, eloqui quæ Dei ſunt, quam Deus ipſe. Illa inui-

tatio

tatio Christi ad quam Euangelium inuitat, quæque exhibetur Sacramento vtroq; eadem sed perfectius quam Patribus, qui & ipsi in mari rubro baptizati sunt, eandemque escam spiritualem & potum perceperunt, est res non naturæ sed gratiæ, non mundi sed cælorum, non rationis sed spiritus. Sentimus eam quidem auctam in nobis efficacia fidei, charitatis, sanctimoniæ, piæ fortitudinis, ope scilicet & spiritu Christi nos agentis; at largitor omnis & intelligentiæ & recti sermonis Spiritus sanctus non vocat eam communicationem operis aut spiritus Christi, sed ipsius Christi, corporis & sanguinis eius, & eorum quæ immolauit pro nobis in cruce, vocat manducationem carnis, bibitionem sanguinis Christi, qua non tantum spiritu eius fruamur, sed maneamus etiam in ipso, & habeamus ipsum manentem in nobis, qua membra eius sumus & ipsum caput nostrum obtinemus, qua sumus caro de carne eius,

ne eius, os de ossibus eius: quæ sanè Christi communicatio credi potest, intelligi non potest. Planiora autem ista omnia essent si diceremus Christum in cælis corpore suo residentem agere in nobis suo spiritu, vt credamus in Deum, amemus Deum, peccatum in nobis crucifigamus, vitam Dei viuamus: planiora quidem postquam induximus animum ea credere: at si consulamus rationem, fide Euangelij paulisper sepositа, quam ei certissimum videatur, hominem crucifixum sedere rediuiuum in cælis ad dexteram Dei, & agere in hominibus in terra, vt qui Euangelion ante ridebat, statim mutatus pro Euangelio moriatur, non minus hæc à vero aliena iudicabit, quam exhibere se præsentem suis in sacra cœna, manere & habitare in cordibus illorum, ea scilicet habitatione & mansione, qua constat nostri regeneratio & vita Dei in nobis. Nihil enim dum ista scriptura prædicat cogitandum huius sęculi, nihil

locis

locis mutatum aut comprehensum. Iam quod attinet ad locutiones Lutheri, dicit ille, panem cœnæ esse corpus Domini naturale & substantiale, id est verum, sed non substantialiter. Hoc enim non dicit, panem sacrum idem esse quod corpus Christi, sed corpus Christi ipsum exhiberi hoc pane. Modum autem quo exhibetur, non definit: Recondit se in nubem hanc verbi Dei. Alij nobiscum modum explicant, vti & sancti patres illum explicarunt; vt ante eos Paulus: ita scilicet, vt cum hoc daretur nobis corpus Domini, vt magis magisq; maneamus in ipso, & habeamus ipsum manentem in nobis, simus indies perfectius corpus eius & membra. Luthero satisfit, si tantum non inania signa Christi absentis in cœna statuamus, & explicetur etiam hic, Dari & percipi ipsum Dominum modo quo ipse nouit: mutationem & inclusionem loci nullam comminiscitur, nec aliam quam sacramẽtalem vnionem inter

panem

panem & corpus Domini ponit. Sed quum deprehendissemus, vbi ille sententiam suam eo libro plenius declarasset quem Confessionem suam vocauit, moliri concordiam cœpimus, qua in re multum laboraui, tandemque dante Domino conuenit, fatendum esse, duas res in Eucharistia exhiberi, terrenam, panem & vinum; cælestem, corpus & sanguinem Domini, Dominum ipsum. Huic concordiæ subscripserunt Ecclesiæ superioris Germaniæ omnes, solis Helueticis exceptis, inter quas tamen maior pars nobis consensit: Tigurini tantùm cum paucis suum quiddam retinuerunt, & vtinam tam ob Christi nomen, quam suum & Zuinglij, qui, quum Lutherus nullum finem faceret nomen Zwinglij insectandi, indies à concordia facti sunt alieniores, multisque scriptis tum publicis tum priuatis Lutherum inuicem lacessiuerũt: donec incendium rursum flagret, ingenti Ecclesiarum malo, eoque

videntur

videntur peruenisse jam Tigurini, vt nihil quam panem & vinum absentis Christi signa memoratiua non etiam exhibitiua agnoscere in cœna videantur, quæ indubiè sententia non consistit, & ipsi aliquando in confessione quadam quam Ecclesiarum Helueticarum nomine Basileæ composuerunt, exhibitionem Christi in sacra cœna plane confessi sunt. Dominus Ecclesiam suam respiciat. Existimo abs te, sanctissime vir, ex his quanquam obscurè & perturbatè scriptis intellectum, & quæ sit mea sententia, & ex quibus eam sententiam fontibus petierim, spero etiam perceperim. Nec enim vlla causa alia non conciliandi Ecclesias, non amoliẽdi pericula & inuidiam, non præposterè hominibus placendi, me in hac sententia detinet. Ita enim dum sentio & loquor, videor mihi verbo Dei suum honorem deferre, conscientiam in tuto seruare, & ædificationi Ecclesiarum commodissimè consulere. Etenim vt hac sententia

tentia & loquendi de hoc myſterio forma non recedo à verbis Domini, non videor velle corrigere linguam Spiritus ſancti, faſtidire quod Dominus inſtituit ſuæ communionis myſterium, ita nec miniſtris aut ſymbolis pluſquam par ſit tribuo, nec cauſam vllis pijs hominibus qui verbis ſcripturæ inhærent & traditam ab initio Eccleſiæ rationem loquendi de hoc Sacramento retinēt, præbeo, communione Chriſti vnquam renunciandi, nec telum offero hoſtibus Eccleſiæ Eccleſiam obiecto nobis crimine impietatis, & violati tanti Sacramenti oppugnandi. Quum enim non niſi pacti ratione, & pacti exhibitiui ad edendum non ad ſpectandum, aſſeruandum, circumgeſtandum Chriſtum in hac cœna præſentem ſtatuo, nihil horum figmentorum cum hac ſententia cohærere poteſt. Accipite, ait Dominus, & manducate, Hoc eſt corpus meum: Et hoc dixit diſcipulis. Pactum igitur exhibitionis is violat,

violat, qui non fit discipulus Domini, nec accipit atque edit quæ hic offeruntur. Nihil igitur ad eum de hoc Sacramento pertinet. Sunt rectè obseruandæ nobis vtrimque insidiæ Satanæ, vt nec nimis, vt Papistæ, nec minus etiam quam par sit, vt Epicurei & fanatici quidam, signis sacramentalibus & ministerio Ecclesiæ tribuamus. Et modis omnibus cauendum, ne vllum in locum scripturæ nobis permittamus philosophari in verbo Dei. Offendebant etiam, meæ aliquando loquendi de Sacramentis & ministrio sancto formulæ, quod ad Papisticam minus propè superstitionem videbantur accedere. At dum consideraui religiosius, vt scripturæ de his rebus loquantur, & quid valeat mysterium incarnati verbi, nostrique in ipsum incorporationis, vtque velit Dominus nobis omnibus vti membris suis, agereque in nobis verbis suis tum visibilibus, tum audibilibus, coactus certè sum & quidem

sola

» sola officij mei religione (nemo
» enim mortalium id à me contende-
» rat) nonnulla aperte retractare, quæ
» in enarrationibus meis in Euange-
» listas contra eos loquendi modos,
» quibus Lutherani his de rebus disse-
» rentes frequentius vtuntur, scripse-
» ram. Quid enim sanctius verbo Dei,
» & administratione Sacramentorum
» eius? Hæc tam multa, quia consen-
» tire tecum toto pectore exopto, vo-
» lui ad te scribere, quanquam omni-
» nò occupatissimus. Multò autem
» maluissem colloqui, vt quæ ad sin-
» gula tibi Dominus suggessisset, au-
» dire & perpendere liceret. Verè
» enim discere cupio in Domino de ijs
» rebus, quas videor mihi tenere fir-
» missimè, & à quibuslibet Christum
» Dominum ex animo timentibus,
» nedum à te, cui quanta sint à Do-
» mino donata video, & Ecclesiæ Dei
» magnopere gratulor. Per Christum
» verò te rogo, colendissime Vir, ne te
» ita apud me posthac submittas. Iu-
» uemus nos inuicem in pernoscendis
mysterijs

mysterijs Christi, omnique ea in re « libertate in Domino erga nos inuicem utamur. Cruciat me meritò, « nos, quibus Dominus cætera regni « sui mysteria tam benignè reuelauit, « non potuisse jam intra totos XXIV « annos conuenire de hoc sacratissimo & omninò populari mysterio, « quod non minus intelligere quam « vsurpare omnes debent. Quumque « video Dominum id nondum velle « dare, optarem certè vt verbis Domini quam simplicissimè inhærere- « mus, & ea quæ de intelligentia eorum adhuc inter nos variant, quoad « liceret, tegeremus. Palam enim est, « quam multam etiam in suis Apostolis ignorantiam pertulerit Dominus. Dies quam mali sint cernimus. « Quam infirmi ad ferendam contradictionem summi aliqui inter nos « viri, quotidie experimur. Quam ad « deteriora vulgus procliue, perpetuis « ijsque grauissimis offensionibus declaratur. Sed tandem finiam. Oremus pro Ecclesijs & pro nobis ipsis, «

sanctoque ministerio, quod quantis & artibus & viribus Satân oppugnet, sentimus omnes. Opto te & nos omnes in Christo fæliciſſimè valere. Datum Argentinæ XVI Aprilis 1545.

Deditiſſimus T. R. in Domino

M. BVCERVS.

ILlud inter tumultuarie ſcribendum excidit, Paulum κοινωνίαν corporis Domini vel Domini ipſius ſic dixiſſe, vt & Dæmonum. Ait enim. Nolo vos κοινωνὲς fieri Dæmonum. Hunc quoque locum expendi; nec videtur detrahere quicquam ſententiæ in qua ſumus: Nec enim infert hęc antitheſis τῆς κοινωνίας vtrimque paritatem. Deinde ſunt Dæmones nimium præſto in addictis ſibi, ἐνεργοῦσαι γὰρ ἐν ἀπίστοις. Chriſto Domino tamen merito præſentiorem atq; efficaciorem attribuimus in ſibi credentibus, ipſiq; communicantibus inhabi-

inhabitationem & κοινωνίαν, qua nimirum eum sic illi manducant, inq; se plenius recipiunt, vt amplius multo ei incorporentur. Vrgent nos semper illæ ampliſſimæ metaphoræ, incorporationis, & communicatæ & manducatæ carnis, communicatique & poti sanguinis. Dicuntur quidem in scripturis & cognati os & caro eorum quibus cognati sunt: Caro vna sunt & coniuges. Hoc ipsum autem est maximum mysterium inter Christum & Ecclesiam, inter quæ hæc vnitas maximè impletur: & hoc ipsum ita nos κοινωνεῖν carne & ossibus Domini, vt cognati inter se eadē carne & sanguine communicant: Hancque percipere in sacris cognationem, an non etiam admiranda est nostri cum Christo coniunctio? dignaque quæ tam plenis verbis prædicetur, quibus scriptura vtitur? Quanquam nulli adhuc coniunctioni humanæ tribuat scriptura nomen incorporationis, aut communicationem membrorum & ca-

pitis, vt huic, quo se Dominus iunxit nobis, assumitque nos in se, quam & in Sacramento vtroque nobis tribuit, augetque ineffabile certè illud & ingentis admirationis, Omnia membra corporis vnius quanquam multa sunt, vnum tamen corpus est, sic & Christus: etenim vno spiritu nos in vnum corpus baptizati sumus. En mysterium admirabile: Sic & Christus constans scilicet se capite, & corpore quod nos sumus: & in hanc cum eo vnionem baptismate assumpti regeneratique sumus. Sequitur, Et omnes in vnum Spiritum potati sumus: sancto scilicet sanguine Christi in cœna eius alimur & potamur, vt reparatis spiritibus rectius viuamus & valeamus. Hæc prioribus, quum nauis non vt minati nautæ fuerant, soluisset, vbi istius obiecti recordatus essem, adijcere visum est. Omnia vt ab amantissimo tui & ideò cupidissimo etiam consensionis planè profecta accipies. Consensum in his Ecclesiæ priscæ

non

non putaui vrgendum: tamen non contemnendum est, quod veteres omnes ad hunc modum de hoc mysterio locuti sunt, & consentientissimè adeò, vt ex hoc consensu tanquam omnibus receptissimo hæreses omnes, quę veritati humanæ carnis in Christo aduersabantur, confutandas putarint.

VI.

Doctissimo Georgio Cassandro, professori primario in Collegio recenter instituto Brugis, amico suo præcipuo.

NONDVM apud me constitui, Cassander ornatissime, maiorine me tuæ literæ voluptate an tristitia perfuderint; tam variè dum illas legebam, afficiebar. Efferebar lætitia, quum animi tui plane diuinam indolem ac liberalitatē quasi postliminio agnoscerem, cui literæ nostræ non dicam negligenter, sed penè *Historica.*

impudenter scriptæ non modo non molestæ verum etiam gratę fuissent. Vt plerumque vsu venire solet, perfectam ac solidam eruditionem cum summa humanitate coniungi: quæ mediocriter literatis cristas erigeret, ea perfectioribus etiam comitatis irritamentum est. Quum verò grauissimam tuam luctam cum pertinacissima febri legerem, vix temperatum est lacrymis. Sed quid agas? Iudicium plerumque à domo Dei incipere legimus, talesq; castigationes paterni interdum amoris vestigium credimus. Gaudeo remisisse morbum. Faxit Christus ne vnquam redeat. Quod petis vt distinctius singula perscribam quæ obiter tum de exurendis Lutheranis attigi, ex animo faciam, quantum quidem temporis angustia feret. Hoc enim ipso momento quo tuas recipio, respondere cogor, ni nuntium vacuum redire malim. Tum mentionem feci supplicationum quæ hic fiebãt, quarum tamen causam, neque sciebam,

neque

neque diligenter requirebam, quod ex more fieri eas putarem, quum interim peculiares audiam fuisse, easque quæ nisi iam rebus deploratis adhibeantur. Plenas humanitatis Rex Galliæ ad Senatum Parisiensem (quod Parlamentum vocant) misit literas, quibus vel imprimis petere visus est, vt suo nomine decernerentur supplicationes ad Deum opt. max. pro felici rerum successu, si vel ipse aliquando tandem repetiturus esset patrimonium suum legitimum, quod iniquissimo iure nunc ab alienis possidetur, vel vlturus necem legatorum regiorum præter ius gentium, humanitatem omnem, & fidem, occisorum. Si quos præterea haberent in fide parum sibi constantes, vt de illis more solito sumerent supplicium. Obtemperatum est ea in re regiæ voluntati diligentissimè, ac post varias, vt vocant, processiones, supplicatio generalis à toto clero omniq; populo magna cum pompa & celebritate peracta est. Eligebantur

Refer ad Sleidani lib. XIV. Commēt. sui temp.

bantur concionatores, qui populum docerent, (si Diis placet) in quem vsum præcipue pompa illa fieret, tum vt regi omnia ex animi sententia succederent, tum vt Ecclesiæ Romanæ iam ruinam minitanti succurreretur: ideoq; sacro finito octo viuos ignibus exurendos esse, qui in Apostolicam sedem nonnulla dixissent. Vixdum suprema manus imposita erat supplicationi, iam vulgus turmatim forum Mobertinum petebat, ibique victimas mactationi destinatas exspectabat: Verum eo die nihil actum est, eo quod ferebantur Lutherani illi appellasse Parlamentum. Duos exuri vidi, quorum vt vita dispar erat, ita me mors variè affecit. Si hic adfuisses, mitius genus pœnæ miseris optasses. Erat prior benè iuuenis, adhuc planè imberbis, nisi quod prima lanugo paullulum proreperet, sutoris cuiusdam hic filius, quem pleriq; viginti nondum annos habere putabant: alter iam sexagenarius aut etiam vltrà, af-

fectus

fectus, planè senex, facie venerandus, cana eaque prolixa barba. Iuuenis ille quod nescio quæ in imagines miraculosas (quas hic maximo concursu non venerantur, sed adorant) incautius dixerit, nempe non multum à lapideis Gentilium Dijs differre, ejciendas ex Christianorum templis si idololatriæ subrepere vitium vel suspicio. Fertur præterea quædam dixisse non aliena à Martini sentētia, ob quæ quum productus esset vt palinodiam caneret, ille tantum aberat à recantando, vt etiam morte ea quæ dixerat se corroboraturum adfirmaret. Productus igitur in curiam, lata sententia, elinguem, viuumq; exurendum esse, ad quam ille nihil de pristino suo vultu remittēs, sponte linguam carnifici, quam longè potuit resecandam exeruit. Carnifex forfice protracta excisaq; cultro lingua iterum atq; iterum faciem hominis ea verberabat. Arripuisse adhuc palpitantem (ne quid de Gallorum pietate

dubites) circumstans turba dicitur, hominique in os iecisse. Leuatus inde in currum ad locum supplicij ductus est, eo animo, vt non supplicium, sed conuiuium petere videretur. Sine monitore, sine duce descendit de curru, vbi crucem paratam vidit, seque commodissimè palo applicat, cui dum alligatur catena, dicere non possum, quo vultu, qua præsentia animi pertulerit insultantis turbæ plausum, & oblatrationem. Nullum incultum edidit sonum; cruorem qui ex recenti amputatione linguæ vberrimè demanabat, subinde exspuebat, oculosq; in cælum dirigebat, ac si diuinitus adhuc quicquam auxilij exspectaret. Sulphure iam instrato capiti, quum carnifex minaciter ignem ostenderet, nihil perterritus, motu quodam corporis appetebat incendium. Vix equidem puto, Cassander dulcissime, Philosophos illos qui tot de contemnenda morte libros ediderũt, tam præsente animo adeo crude-

crudeles cruciatus pertuliſſe. Ita ille omnem humanitatem mihi exuiſſe viſus eſt. Habes fatum adoleſcentis; audi nunc ſenis, quod etſi mitius paullo ſit, tamen mihi quidem longè atrocius videtur. Vetulus ille iam decrepitus, ciuis Pariſinus, multarum prolium pater, ſat alias honeſtæ & ſpectatæ vitæ, quum neſcio quæ in monachos de inuocatione ſanctorum liberius quam hic competit, prætereà, Chriſtianos omnes eſſe ſacerdotes, dixiſſet, conuictus teſtibus, in carcerem cõiectus eſt. Quum ibi cum Theologis committeretur, facile vincebatur homo ruſticus & diſputationum ignarus. Fatebatur igitur errorem; pœnitentiaque ſe duci aſſeuerabat: qua palma Theologis nihil optabilius accidere potuit, quod id genus hominum non rarò etiam præcipuis Magiſtris noſtris ſummum negotium faceſſat. Itaque vt in ea ſententia perſeueraret monebant, moriturum enim iam vt Chriſtianum, qui aliter Lutheranus

nus perijſſet, niſi recantaſſet. Vinctus per tortorem ſublatus eſt in currum, cui annectebantur adoleſcentes duo ſimilibus funibus ligati, induſijs candidis amicti, gerentes faces ardentes in manibus, eo quod audiſſent ſenem in monachos diſputantem, neque ſtatim prodidiſſent. Deducti in templum Deiparæ virginis veniam ſceleris impetrarunt, ſenexq; denuo ibi in aurem Diuæ virginis παλινῳδεῖν cogebatur. Hinc recta ductus ad furcam, ac multa præfatus, ſe omnia recantaſſe, neque quicquam hærere in ſe commune cum Luthero, repentè ſtrangulatus eſt, ac poſteà ſemimortuus in ignem coniectus. Videbatur ea pœna multis mitior æquo, quod non viuus exureretur, qui ſi me interrogaſſent, nę ille diuerſiſſimam ſententiam noſtram agnouiſſent. Quid enim indignius, quam hominem ob quemuis errorem quem mordicus non tuetur, flammis tradi, quum etiam ipſi patres ſancti dicant, hæreſin non

eſſe

esse nisi in pertinacia. Exustus est senex ille miser paucos dies post discessum Cornelij. Audio innumeros esse, quibus eadem sit terenda via. Orandus Deus est, vt si malè sentiunt, conuertantur: sin benè, viriliter pugnent. Sed plus satis; reprimenda enim vox est. Tu extemporalem istam confabulationem æqui boniq; consule. Vale ex Lutetia, Anno 1542 die 10. Iulij.

EVSTATHIVS *à Knobelsdorf.*

VII.

Doctissimo viro Dn. Georgio Cassandro Domino & amico obseruando, Coloniæ.

ACcepi, doctissime vir, superioribus diebus binas literas: alteras quas tradideras Dn. Vito, scriptas à meo fratre, alteras à te ipso ad me datas, quas reddidit Dn. Hermannus. Ago autem gratias pro tuis in me *Historica.*

Digitized by Google

me officijs: daboq; operam, ſi quando liceat, ſimili vt in cauſſa tibi gratificer. Hermannum quem mihi commendaſti, eum eſſe animaduerto, qui alias ſine commendatione vehementer placere bonis & pijs omnibus poſſit. Quis rerum mearum hic ſit ſtatus, quove loco habear, qui has tibi reddit, multo certius ſuis ſermonibus, quàm ego vllis poſſem epiſtolis, explicabit. Pater cæleſtis hactenus ex multis magniſque periculis perſępe me eripuit, ſaluumque eſſe voluit, quare confido eum etiam deinceps idem effecturum. Sex annos egi quondam in Gallia: duos deinde in Germania, idque partim Louanij, partim Coloniæ, partim alibi, quo quidem tempore, patrimonio, quantulum mihi, vni de ſex liberis à Patre Iureconſulto fuerat relictum, ſuſtentabar: dehinc annos fere quinque vixi in Britannia, apud nobilem Baronem Carolum Montioium: nunc tertium decimum annũ ſacras profiteor literas in Haſſia,

mærens

mærens stipendia sub Illustrissimo Principe Landgrauio Philippo. En habes quasi quoddam vitæ meę curriculum. Dum autem multo plures annos quam vllus Vlysses consumo peregre: equidem & didici, & semper mecum constitui, ex vno Deo successus meos omnes pendere, & ab eodem mihi opem vbiuis terrarum expectandam. Nec me, quod gratiam illi habeo, mihique ipsi plurimum gratulor, spes fefellit. Nam ad frugalem vitam necessaria adhuc suppetunt. Sed vtinam aliquando audire detur doctrinam cælestem vereque Christianam, quæ te, quæ me, quæ multos alios vitæ innocentia commendatos coëgit exulatum ire, in patria nostra locum aliquem tandem obtinere! Vtinam, inquam, Deus Pater cælestis sic nostratibus aliquando faueat, vt Iesu Christi Filij eius salutare Euangelium purè apud eos prædicetur! Non quod ego vllo reditus in patriam desiderio tenear, sed quod innumerabilibus

bus bonis viris, quos scio ibi cum gemitu & lachrymis ad regnum Dei aspirare, consultum toto pectore cupiam. Sed heus quo abripior? Plura adijcere nequeo. Oremus assiduè Patrem nostrum cælestem Deum, vt in tantis ærumnis, non Ecclesiæ modo, sed etiam omnium Imperiorum & Rerumpubl. miseros nos in cognitione rerum spiritualium, atque cognitionis fructibus constantis, virtute spiritus sui seruet: deinde reliquos in ignorantiæ tenebris adhuc positos, ad veritatis lucem clementer adducat. Salutem ex me dicito, viro pio iuxtaq; docto Dn. Cornelio Gualthero. Vale, Marpurgi 1 v. Calend. Iulij. 1553.

T.

ANDR. HYPERIVS.

VIII. *Seba-*

VIII.

Sebastianus Castalio, Georgio Cassandro, & Cornelio Gualtero, S. P. D.

MItto vobis Mosem nostrum, & Sibyllam, alterum alteri, sed putatote vtrunque vtriq; mitti, nam inter vos probè conuenit, vt qui alteri det, vtrique dare videatur. Boni consuletis, fratres mihi in Christo chariſſimi, meam erga vos voluntatem, & hoc labore (cuius & vos partem tuliſtis) fruemini, ſi quid tamen in eo fruendum eſt. Quod ſi quæ reprehendenda videbitis, facite abſentes (ſi moleſtum non eſt) per literas, quod præſentes verbis feciſtis, & me, in poſterum vt ſim cautior, libere monete. Sentietis, & hic, & in alijs, non eſſe me nimis amantem mei, & rem facietis mihi gratiſſimam, & multis vt ſpero non inutilem. Nos bene valemus, eſt Deo gratia, à quo vobis idem precor. Valete. Baſileæ, XXIII Auguſti, 1546. *Priuata.*

D IX. *Domi-*

IX.

Domino Georgio Cassandro fratri obseruando.

Priuata. MI Cassander, Non vacat nunc multis scribere, sed per hunc amicum nostrum facere interim non potui, quin aliquot saltem verba ad te scriberem. Commendo illum tibi vt fratri, simulque & comitem alterum ipsius, Martinum. Si qua in re tibi gratificari queam, fac vt sciam. Et tibi de me persuadeas idem quod de fratre quocunque tuo. Vale. plura noster hic Floriamus. iterum vale, Emdæ, 26. Aprilis, Anno 1548.

D. Cornelium nostrum verbis meis salutes, quæso, & me illi commendes.

IOH. à LASCO
manu propria.

X. *Erasm.*

X.

Eraſm. Roter. Cardinali de Campeg.
S. P. D.

REuerendiſs. Domine, Tabellio meus properantior fuit ad reditum quam volebam, nam tuæ R. D. literas potiſſimum expectabam. Fortaſſis hic diutius hærebo, quam vellem: R. D. Epiſcopus Auguſtanus ſcribit, ſe huc proprium miſſurum famulum: per eum expectabo literas tuas. Si Cæſar minis belli terret aduerſarios, non poſſum non laudare prudentiam, ſin ſeriò expetit bellum, nollem eſſe ſiniſtra auis, ſed inhorreſcit mihi animus, quoties rerum faciem animo contueor, quam arbitror futuram, ſi ſemel ad arma ventum fuerit. Adeò hoc malum latè ſparſum eſt. Fateor, ſummam eſſe Cæſaris potentiam, ſed non omnes nationes hoc nomen agnoſcunt, Germani verò agnoſcunt certis conditionibus, vt imperent

Politica, Diſſuadet bellum aduerſus Lutheranos.

verius, quàm vt pareant: malunt enim imperare quam morem gerere. Adhoc continuis profectionibus & expeditionibus vehementer exhaustas ipsius ditiones constat: Belli incendium iam nunc excitatum in Frisia nobis vicina. Eius princeps iam profiteri dicitur Euangelium Lutheri. Eiusmodi sunt multæ ciuitates inter Orientales & Danos: hinc catena malorum porrigitur ad Heluetios. Iam si Cæsar pro sua pietate præ se ferat, ex Pontificis arbitrio gesturum se omnia, periculum est, ne nõ ita multos sit habiturus fauentes. Adde quòd indies expectatur Turcarum incursus, cuius potentiam vix oppressérimus, etiamsi concordes auxilia in vnum contulerimus. Porrò, quid sit belligerare inuito milite, declarauit Romæ excidium, & nuper res apud Viennam gestę. Non dubito quin optimi Principis animus pendeat ad pacem, clementiam & tranquillitatem; Sed nescio quo pacto præter illius animum,

mum, nobis semper bellum è bello seritur. Quam diu? quam miserè vexata Gallia? Quàm miserè afflicta Italia? vbi nouum etiam bellum incruduit: Nunc eò res spectare etiam videntur, vt orbis maxima pars sanguine permisceatur. Atq; vt est anceps omnium bellorum alea, metuendum est, ne tumultus hic tendat ad subuersionem totius Ecclesiæ: Præsertim quum vulgus persuasum habeat, hoc negotium non geri, nisi autore Pontifice, maxima ex parte per Episcopos & Abbates. Atque adeò vereor, ne Cæsar ipse prorsus non sit abfuturus à periculo, quod omen auertant superi. Noui & execror illorum proteruitatem, qui sectis præsunt aut fauent. Sed magis spectandum est hoc statu quid postulet totius orbis tranquillitas, quàm quid mereatur illorum improbitas. Neque vsque adeo desponendum est de statu ecclesiæ. Fuit ea olim iactata longè maioribus procellis sub Arcadio & Theodo-

sio. Qualis tum fuit orbis ſtatus? Eadem ciuitas habebat Arianos, Paganos, & Orthodoxos. In Africa furebant Donatiſtæ, & Circumcelliones, multis in locis vigebat adhuc Manichæorum inſania, & Marcionis virus, præter incurſiones barbararum gentium: & tamen in tantis diſſidijs Imperator citra ſanguinis effuſionem habenas moderabatur, & paulatim hęreſium monſtra reſecabat. Ipſum tempus interdum affert remedium, immedicabilibus malis. Si certis conditionibus ſectæ ſinerentur, (vt diſſimulantur Bohemi) graue quidem fateor malum eſſet, ſed tamen bello leuius. Hoc ſtatu rerum nuſquam malim eſſe quam in Italia, ſed aliò trahunt fata: At trahant quo velint, modo non trahant à conſortio columbæ: Noui quoſdam eſſe apud Cæſarem, qui mihi non admodum faueant. Confido tamen, Reuer. D. tuam non eſſe ſui diſſimilem, cui precor omnem felicitatem.

tatem. Friburgi decimo octauo Augusti, Anno 30. Scripsi ex tempore. Tabellarius vrgebat: Ignosce.

R. D.

Paratissimus

ERASMVS ROTT.

XI.

Tum doctrina, tum pietate insigni viro M. Georgio Cassandro, Professori publico Brugensi dignissimo, & amico suo charissimo.

COgitanti mihi sæpe numero, Cassander prudentissime, & memoria vetera illa tempora repetenti, cum te Louanij familiariter vti solebam, tantum non conficior plurimis & varijs cogitationibus. Fuit enim tempus illud mihi tam gratum, quàm quod gratissimum, cum tantus otij fructus datus esset, ut eas ar- *Priuata. Historica.*

res, quibus insudabamus, celebraremus inter nosque (absit arrogantia verbo) recoleremus. Cæterum, nescio, quo malo fato fortuna tantam felicitatem mihi inuiderit. Cum enim non vsque adeo infæliciter in studio literarum progrederemur: ecce literas à parētibus accepimus, quibus iubebamur omnibus omissis lutulentam illam Lutetiam proficisci. Ego verò, etsi à parentibus conscriptæ essent literæ, quibus non morem gerere, nefas esse ducebam, tamen tanto animi dolore eas perlegi, vt facile plurimi iudicarint, quam difficile mihi fuerit à tam lepidis & doctis congerronibus auelli. Sed tamen, præ cæteris, tu vnus sic animo semper meo insidebas hactenus, & insedisti, vt omnibus horis, ita me Deus bene amet, tui meminerim, te animo meo voluerim, te vnum cogitarim, tuam maximam doctrinam suspexerim, te denique (etiamsi absentem) tanquam præsentem indies alloquerer.

rer. At dicis, credo, si tanto nos prosequebare amore, si nusquam nostri obliuiscebare, quid, quæso, causæ est, quod nullum iudicium istius tantæ amicitiæ hucusque præbueris? Cum per sesqui annum abfueris, cur ne vnicam quidem literulam à te accepimus? Plurimis sanè rationibus eisque non leuibus, in hunc diem omissum id à me esse scias. Sæpe enim, mihi crede, calamum in manus sumpseram, vt meum veterem in te animum tibi indicarem, verum cum aliquot lineas male compositas depinxissem, statim stylum vertebam, & admirabundus, quod balbus ipse & rudis auderem grauissima tua studia interpellare, & meis insulsissimis verbis aures tuas purgatissimas offendere, infans denique ac edentulus virum grauissimum, & in omni disciplinarũ genere fæliciſſime versatum aggredi, me ipsum meo pede metiens, mox ab incæpto desistebam, & meam temeritatem tacite inerepabam. Iam verò

ais, Igitur infantiam istam reliquisti apud doctissimos illos Parisienses ex quorum assiduo consortio, tefactum esse virum existimo, quando iam cominus me tuis literis, audaciorique animo prouocas? Nequaquam, ô bone, immo, proh dolor! dum familiariter illis Sorbonicis magistris nostris vtor, sentio, me & longe infantiorem & longe balbutiorem esse redditum, quam vnquam fuerim. Sed de his inferius plura, in præsentiarum namque æquum esse censeo, meam maximam (ingenue fateor) temeritatem & impudentem audaciam expurgare. Necessitas, quæ (vt nosti, durum est telum, me coegit vt tantum opus aggrederer. Frater enim meus Dryander, cum Leucoream abire constituisset, quoniam temporis inopia destituebatur, vt proprijs literis hoc tibi nunciat, meis humeris hoc onus imposuit, vt te meis scriptis de toto ipsius animo certiorem redderem, & cum frater multum apud me valeat autoritate,

non

non potui illius voluntati non parere. Accedit præterea illud, quod iam præter omnem spem, mihi contigisse video. Vir doctus, & in literis sacris satis fæliciter versatus, amicus præterea meus singularis, Christophorus monachus Carmelita, plurimis precibus à me petijt, vt nonnullos libros, quos ad illum iam mitto, quo tutius & rectius recipere posset, tibi dirigendos curarem. Adhæc videbam, silentium perpetuum situm amicitijs obducere solere, nec laudandum esse custodem illum fœderis seruandi (fidos licet inter amicos) Harpocratem, is enim mutuo coniuncta corda videtur dissociare, & cum nihil mihi sit charius, antiquius, quam vna ipsius amicitia, decreui omnibus pudoris cancellis abruptis, ad te hoc male & plusquam extemporaneum epistolium mittere. Postremo ingratitudinis notæ merito sim incusandus, si meæ vitæ rationem omnem tibi non exposuerim, vt intelligas quid mecum actum

sit ab

sit ab eo tempore, quo te ultimo in itinere Bruxellensi, salutatui. Tunc enim, vt satis te intellexisse arbitror, recta Lutetiam proficiscebar, plurima ac pene incredibilia mihi ipsi de tanta Academia pollicens, sed, me miserum! posteaquam eo perueni, & illorum ferme omnium insciti am, superbiam, arrogantiamque maximam proprius cognoui, meum infortunium miserrime deplorabam, cum vidissem me omni spe sic delusum & frustratum, vt nihil fuerit minus illa Babylonia (sic enim potius est vocanda, quàm Academia,) quàm quod ipse credideram. Præceptorculorum, magistellorumque passim miram videbam copiam, qui optimos quosq; authores impudentissime explicandos suscipiunt, & suis ineptis annotatiunculis, & miserum scholasticorum popellum fallunt, & doctissimos illos veteres ab ipsis nõ intellectos, (quæ illorum est impudentia) iam corrigunt, iam vellicant, iam denique in horas omnes,

pro

pro sua insciti a, vertunt. Si in aliquem obscuriorem locum incidunt, cuius sensum genuinum non possunt assequi, id quod sæpe equidem fit, ibi argutuli videri volunt, & suam interpretationē, merum somnium, omnibus persuadere cupiunt. Scholasticorum infinitus est numerus, sed talis, vt ex omnibus fæcibus totius mundi conflatus videatur, ab omni voluntate, & ingenuis moribus libero homine dignis alienissimus. Nec hic libet commemorare quantæ caritatis & expensæ sit illud oppidum: pluris enim conducendum est ibi vnicum sordidum & arctum cubiculum, quam Louanij pro omnibus expensis, quantumvis laute cupias tractari. Omitto illorum versipellium hominum perfidam subdolamque mentem, qui huic vni rei tantum studeant, vt exteros omnes, quavis arte, quovis dolo possint defraudare: ista enim omnia aliquis fortasse παίγνια esse dicet, & potius esse quærendum doctum aliquem

& pium

& pium præceptorem, qui animum in omni disciplinarum genere Christiane instituret: aliquod præterea sodalitium studiosorum & proborum iuuenum inuestigandum esse censebit. Sed dum id sodalitium eosque præceptores anxius quæro, arenæ semina mando, & (vt inquit ille) Non profecturis littora bobus aro. Nam neque Rhetores, nec Philosophi, nec ipsi denique Theologi, (si tamen digni sunt tantis nominibus) publicam vtilitatem prospiciunt, sed priuatam, & veluti rapidi leones semper prædæ & quæstui inhiant, omnia tam sacra quam prophana corrumpentes. In his quidem vtcunque ferendus erat illorum error, si sic dici queat: in illis autem velle quicquam aut minuere aut addere, aut ad suum sensum & proprium affectum detorquere, summa, ita me Christus amet, impietas est, nec ferenda vllis bonis Christianis, etiam cum vitæ discrimine. Narrarem tibi copiosius illorum tyrannidem

dem & fæuitiam, inauditamq; crudelitatem, quam, me præsente exercuerunt in quendam iuuenem innocentissimum, nisi tum temporis breuitate impedirer, tum maxime, quod sciam te iam cognôsse omnia ex nostro Christophoro. Sed ne forte quicquam ex me desiderari dicas, etiamsi superuacaneum sit, tamen rem ipsam paucis describam, & capita tantum Historiæ attingam: reliqua, quæ à me omissa fuerint cognosces ex nostro Christophoro. Iuuenis Parisiensis quidam aurifaber, postquam Geneuæ, apud illos Christianiss. viros, habitârat, post triennium reuersus est Parisios, vbi, vt quidam dicebant, propter inuidiam, vt quidam vero aiebant, propterea quod reposceret pecuniam quandam sibi debitam, delatus est ad iudices tanquam Hæreticus, tractus est miser in carcerem crudeliter & immanissime, quinquies fuit tortus, vt alios etiam detegeret: cæterum tam constanti animo omnia pertulit,

pertulit, vt iam non tanti faciam constantiam illius Scæuolæ, qui quidem, vt historiographi scribunt, tanta cum audacia & constanti animo restitit Syllæ, vt nec milites, quibus tota curia erat circundata, nec ipsa deniq; mors illum deterruerit. Quid iam opus est commemorare exemplum Metelli, Phocionis, Socratis & plurimorum aliorum, qui omnes digni sunt habiti à scriptoribus, vt constantiæ nomine laudarentur? Hic enim iuuenis, dum torquetur, dum lingua eius ter abscinditur, dum denique crematur viuus, ne vultum quidem mutauit. Mirabatur vulgus hominum illius pertinaciam, (sic enim vocabant) at docti & Christiani viri multo magis mirabantur illorum cæcorum tenebras, qui dum cupiunt, & dici & videri Inquisitores fidei, maximam crudelitatem exercēt, vt potius sint dicendi Inquinatores fidei & Iudaismi strenui propugnatores, hęreticæque prauitatis assertores, quam

fidei

fidei propugnatores, quum nihil minus sint. Sed miraris fortasse, mi Georgi, meam παῤῥησίαν: Cæterum quoties istæc cogito (cogito autem frequentissime) disrumpor dolore, atque sine intermissione oro Dominum, vt ex tantis tenebris nos dignetur liberare: eo enim impietatis dementiæque omnia magistrorum nostrorum studia deuenêre, vt traditi in reprobum sensum, vt Paulus ait, existiment, se maximum obsequium Deo præstare, cum persequuntur dilectos Dei. Dominus misereatur nostri, & liberet nos ab vnguibus istorum cacodæmonum, Amen. Vt aliquando tamen ad me reuertar, ego cum tantam impietatem, tantam tamq; inauditam crudelitatem ab illis magistris morum scilicet exerceri viderem, nullo modo amplius illos ferre potui, nec æquum mihi esse videbatur, inter tales impios diutius commorari: itaque compositis meis libris reuertor ad meum exoptatum Louanium, ibiq; habito

apud D. Doctorem Paulum Roelsium, qui vsque adeo delectatus est meo aduentu, vt nihil supra. Cum igitur per mensem integrum illic habitassem, ecce frequentissimis literis sollicitor ab Antuerpensibus bibliopolis, vt mitterē Carechismum (quem penes me habebam) prælo tradendum. Ego vero, cum plurimi grauissimi viri, non contemnendæ eruditionis, asseuerarent, hunc libellum, Dei auxilio, futurum vtilissimum nostræ integræ nationi, decreui non mihi ipse inseruire tantum, sed etiam proximis, cum sciam charitatem veram non quærere quæ sua sint, sed quæ Iesu Christi: itaque ante quinq; hebdomadas hic Antverpiæ habitaui, in quibus ne respirare mihi quidem licuit, nec iam multo minus licet, quoniam auctus est labor, vt absoluatur hisce duobus diebus: ego enim optarem pridie quadragesimæ abire Louanium, sed prius constitui hos libros ad te mittere, & noster Christophorus, vt existimo,

existimo, tibi daturus est duos florenos, quos ego consumpsi illius nomine. Tu, quæso, ad me scribito, quam citissime possis, & indicato mihi tuam valetudinem. Bene igitur valebis, mi Cassander, & boni consule, meam incultam & rudem literulam, & mei fac semper memineris. Antverpiæ, x x. Februarij.

Tuus ex animo

IACOBVS DRYANDER.

XII.

Singulari doctrina & pietate viro D. Cassandro.

S.

NVper ad te scripsi per Anastasiũ, & misi scriptum discedentium Collocutorum. Nunc iudicantium decretum ad te mitto ἐκ ἀναμάσσου: simul autem, ne non molestus tibi sim rogando, quæstionem ad te mit-

Politica. De hæreticorum supplicijs.

to. Quæ in Iuris noſtri libris de coercitione αἱρέσεων leges ſunt (ſunt autem permultæ) cum hæc quæſtio hîc agitaretur, expoſui. In duabus autem præcipuè laboro. In Codice Iuſtiniani extat Lex Theodoſij ſecundi, in qua quippiam ſingulariter ſcriptum eſt *de Manichæis pellendis de ciuitatibus, & vltimo ſupplicio tradendis.* Atqui mors cum exilio, vel exilium cum morte coniungi non poteſt. Conſului ipſum Codicem Theodoſianum, vbi illa conſtitutio recitatur, & illud tantum ſcriptum eſſe reperi *de Manichæis pellendis*: additum vero non eſſe, *& vltimo ſupplicio tradendis.* Itaque dixi adulterinum videri: & oſtendi, quam & Theodoſius ille à ſanguine fuerit alienus, & illa tempora tam capitales non tulerint animaduerſiones. Statuit ille quidem primus, vt publicum eſſet iudicium αἱρέσεως; ſed non omnia publica iudicia ſunt capitalia. Sane reperi in eodem Codice Theodoſ. lib. XVI. Tit. IV. cap. XLI. & XLVI.

Arcadij

Arcadij & Honorij legem, in qua scriptum est, pœna proscriptionis & sanguinis coerceri hæreticos, qui in publico conveniunt. Sed illud rursus, *& sanguinis*, mihi suspectum est. Nam quî potest proscriptio cũ sanguine coniungi? Deinde sexcentæ sunt eorum principum Leges, quæ solum proscriptionis pœnam irrogant. Altera Lex est Martiani Imp. in Codice Iustiniani, in qua cum de Euthychete agitur, inseritur terribilis hęc & infinita clausula, *Vltimo supplicio coerceantur qui illicitè docere tentauerint*. Non videtur ea mihi conuenire cum ijs, quæ præcedunt, & quæ sequuntur: &, vt magis suspicer, insertam esse postea, considero tempore Martiani neque fuisse, neque esse potuisse tam capitales coercitiones. Deinde animaduerti in Chalcedonensis Concilij decreto, ex quo suam Martianus Legem descripsit, talem clausulam non esse. Itaque respondi, non satis liquere, an ea sit Martiani. Nimis enim sæpe

nos fallit scriptura librariorum. Verum priusquam progrediar, visum est te consulere, hominem in hisce quæstionibus diligenter & religiose versatum. Epistola tua Vigiliana spem nobis fecit, fore, vt hac tota de re fusius sententiam tuam exponeres. Nunc quàm sit hoc necesse, vides, cum & pauci intelligant antiquam & Ecclesiasticam huius publici iudicij Legem, & multi tamen temere sanctionibus sanguinarijs subscribant. Ego verò vetus illud teneo, Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est. Tu, mi Cassander, si quid habes aliquando ocij, an hîc recte sentiam, mihi significato. Quid præterea hîc agatur, intelliges ex hoc tabellario. Itaque non scribo. Si quid ad me literarum tibi Louanio mittat noster Stephanus, cures, si potes, mihi reddi. Dn. Cornelium plurimum saluto. Vale, Heidelb. nonis Ianuar.

FR. BALD. *tuus.*

XIII.

XIII.

Eximijs doctiſſimiſq; Viris, Domino Cornelio Gualtero, & Domino Georgio Caſſandro, dominis ſuis & amicis chariſſ.

S.

DOctiſs. & pientiſs. Viri, Notus eſt vobis & fermone multorum, & literis, noſter quidam Hiſtoricus conatus, vtinam tam felix quã pius. Accedet tamen etiam ſucceſſus Domino benedicente, vt res ipſa iam declarat, quantumuis initia paulo lentius, vt in magnis rebus fieri aſſolet, ſint progreſſa. Ad quem cum multiplici auxilio opus habeamus, voſque nobis & libris & ſententia adiumento eſſe poſſe certo ſciamus, miſimus hunc noſtrum ſtudioſum Wilhelmum Radenſem, hominem probum ac fidum, qui vobiſcum colloquatur, veſtram ſentẽtiam de hoc opere eiuſque forma audiat, ex veſtris manuſcriptis monumentis, vel *Hiſtorica.*

annotet, vel etiam describat, quæ nobis vtilia futura videbuntur. Quare vos per publicam vtilitatem, ac ipsum Dominum oramus & obsecramus, vt ne grauatim ei & sententiam & libros vestros, donec istic est, communicare velitis, eique deniq; pro vestra eruditione, ac iudicio commonstrare, quęnam potissimum describere aut annotare debeat. Est quidem mediocriter à nobis edoctus, sed tamen vos qui vestros codices eorumq; tractatus per nostis, multa recte monere eum poteritis. Scio vos & libenter hac in re Ecclesiæ Dei vtilitatem promoturos, & quod feceritis publici boni & gloriæ Dei studio, non lucri cupiditate facturos: nos tamen bona fide pollicemur, si quid conatum hunc promoueritis, effecturos nos, vt primo quoque tempore, vel Francofordiæ, vel etiam istic pecuniariam compensationem vestris laboribus dignam recipiatis. Misissemus iam statim, sed cum nunc non ita abun-

det

det noſtrum ærarium, & quotidie aliquid amplius expectemus, ſatius eſſe putauimus in autumnum vſque differre. Semper, aut certe plerunque huc ad mercatum venire ſolet frater domini doctoris Ioannis Æchtij, per eum facile poſſumus, quæ volumus vobis mittere. Si qui iſtic libri etiam paulo prolixiores ſimul & vtiliores nobis eſſent, nec ita facile aut colligi aut deſcribi poſſent, valde oramus, vt nobis ad breue tempus communicentur. Quæcunque vſui daretis, optima certe fide vobis reſtitueremus. Sed hoc, ſi omnino grauatim facitis, vrgere nimium non volumus: illud tantum oramus ac obſecramus, vt ita ei prompte vtiles materias commonſtretis, vt ipſe non fruſtra tantum iter, & nos tam magnos ſumptus feciſſe videamur. Hoc ſi, quemadmodum oramus ac ſperamus, pro veſtra pietate ac eruditione præſtiteritis, non tantum noſtram gratitudinem, ſed & Dei am-

plissimam remunerationem sentietis. Dominus Iesus nos suo S. Spiritu regat, Amen. Ienæ 10. Iulij 1557.

V. H. S.

MATTH. FL. ILLYRIC.

XIV.

Clarissimis & humanissimis, & literis & moribus D. Cornelio VValtero, & Georgio Cassandro, meis amicissimis. Coloniæ.

S. P.

Varia. MAgnas vobis gratias ago de donato mihi Latino Moyse, est enim liber inprimis eruditus, & magno iudicio conscriptus. Ego quod vicissim iam mittam, quod dignum sit, aut vestris studijs, aut oculis, nihil habeo. Nostis enim interdicta Louanienſium, aut quam facili de causa calumnia aduersus libros oriatur.

tur. Erimus tamen memores, nec sinemus, vbi primum dabitur occasio, vestram benignitatem erga me irremuneratum esse. Colonienſium conatus in re literaria & nouis professionibus instituendis doleo tam ægre procedere. Sed id huic ciuitati non insolitum: nam & antea sæpe idem moliti sunt, sine vllo effectu. De rebus nouis nihil insigne, nisi protectorem Angliæ à suis proditum, quibus maxime fidebat, in vincula ductum: eamque ob rem omnia miro metu inter omnes suspensa. Coactum est prouinciale cõcilium, vbi de illius capite agetur inter conspiratos homines diuersissimæ religionis: quæ res minari videtur, non longam inter ipsos fore concordiam, & tandem ad bellum ciuile rem erupturam: nisi fortasse nuptiæ Mariæ sororis Regis, alteram partem prægrauauerint. Italiam ferunt plenam militibus, & nonnullus rumusculus de morte Pontificis: sed hæc incerta. Cæsar iter suum in Germaniam

vltra

vltra condictum diem suspēdit, credo, quod illi res Anglicę sollicitudini sunt. Nam si illud regnum, vt nunc Scotia ad Gallos deuenerit, actum de omnibus Prouincijs Belgicis. Petitum est à Cęsare nouum vectigal in vinum, ad classem instruēdam, nondum autem responsum à Prouincijs. Bene valete, coniunctissima & eruditissima capita, fortasse proximo anno vos inuisam, Louanij, ipsis Idibus Nouembris.

Vester ex animo

PETRVS NANNIVS.

XV.

Doctiss. simul ac pio Viro D. Georgio Cassandro amico singulari.

S.

Ecclesiastica. SCriptum quod nuper tibi inspiciendum tradideram, vna cum tuis annotationibus D. Echtius ad me misit, in quibus licet tuam industriam

ſtriam atque pietatem perſpexerim, non tamen puto te hiſce meæ petitioni quoad veram reformationem attinet, velle ſatisfeciſſe. Quapropter cupio, vt pro tua ſingulari pietate atque eruditione, in hoc tam Chriſtiano, & omnibus modis neceſſario negotio mihi deeſſe nolis, ſed quamprimum per valetudinem licuerit, exactam reformationē conſcribere atque ad me tranſmittere velis. Fuere quoque magnæ authoritatis viri, qui à me requiſierunt, vt funus Archiepiſcopi Colonienſis iuxta conſuetudinem harum ditionum vſitatis ceremonijs reuerenter & honorifice celebrem. Cum autem officij mei eſſe ſciam, eorum quæ ad verum religionis cultum, & cuiuſuis, ne dum tanti viri, præſertim ſingularis amici ſalutem attinent, nihil prætermittere, & pariter conſiderem piaculum eſſe, prætextu pietatis cuiquam offenſionis vel ſcandali cauſam præbere, velim hoc in cauſa proprium tuum iudicium & conſi-

& consilium per præsentem Tabellarium mihi impertiri, quo nihil quod amicum deceat in me desideretur, & omnis impietas atque superstitio vitetur. Ego si vicissim tibi aliqua in re gratificari potero, lubens sum facturus. Vale, Ahus, 9. Octobris, Anno 1556.

GVILIELM. *Electus. Monasterienſis.*

XVI.

Reuer. & Illustr. D. D. Guilhelmo, electo Monaster.

* * * * * * * * * *

Theologic. Responsio ad superiorem.

Vitium autem præcipuum in his est, quod à multis ad purgatorium stabiliendum hæc detorqueantur, quod hic totum in opinione est positum, & quod ea quæ præcipuè ad ædificationem fidelis populi referri debuerant, ignota populo lingua & mutis ceremonijs fiant,

ita vt

ita vt ad populum præter ignotas quasdam actiones, & inanem verborum crepitum nihil perueniat, quod omnino per tempus immutandum erit. Restat nunc Missa pro defuncto, quę primas in hoc toto obsequio tenere solet. Quid autem de præsenti forma celebrandæ Missæ omnino sentiendū sit, & A. T. satis cognitum habet, & iam non est explicandi locus. Certè in tanto mysterio Dominicæ cœnæ aliquid committere aut comprobare, quo aut Christi institutum violatur, aut humanum commentum pro Christi testamēto supponitur, non sine grandi periculo & offensione conscientiæ ab ijs fieri poterit: præsertim quibus institutum & voluntatem Christi nouisse datum est. Quare hac in parte A. T. auctor esse non possem, vt eam præsentia sua ornare & comprobare videatur: præsertim si conscientiæ iudicium reluctetur. Hac autem prætermissa, reliqua, vti dixi, quæ pro defunctis fieri consueueruntur, non

omnino

omnino improbanda censeo, neque sanè & ipsam Missam, si veteri ritu fiat, videlicet, vt & testamentum Christi recitetur, & præsentibus aliquot præsertim propinquis, & aliqua necessitudine defuncto coniunctis integra Sacramenta dispensentur. Habet A. T. breuiter, quid in vniuersum de obsequio erga mortuos vsitato censeam. Quid autem hac in re A. T. faciendum sit, prudentiæ eius cogitandum & expendendum relinquo, cum ex circumstantijs & moribus loci, & suo ipsius animo, tum ex ijs quæ breuiter monuimus. Deus autē A. T. incolumen conseruet, & pium eius pro Ecclesia studium in dies augeat & conseruet. Propere Colonia, 19. Octobr.

T. A. adiectiss.

G. CASSAND.

XVII. *Cla-*

XVII.

Clariſs. viro D. Georgio Caſſandro, Coloniæ habitanti, domino ſuo colendo & amico ſyncero.

S. D.

ACcepi literas tuas, vir doctiſs. & frater chariſs. quibus commendabas mihi Theodorum Iſelſtadium, quem & propter commendationem tuam iuvi, quantum potui. Cum autem ille Geneuam vocaretur ad Typographiam, ac putaret ſe victurum Geneuæ commodius, Geneuam conceſſit. Hæc nolui ignorares, ne forte ſupicarere, tuas literas mihi non admodum fuiſſe, cordi. Nam amo te, Caſſander, & propter pietatem, & propter literas, cupioque à te amari viciſſim. Ego, ſi quando tibi & tuis inſeruire aut gratificari poſſum, totus ero tuus. Commendo me tuis & ſanctornm precibus. Vale, Tiguri, 27. Auguſti. Anno Domini 1558. *Privata.*

BVLLINGERVS *tuus.*

XVIII.

Clarissimo viro D. Georgio Cassandro amico neutiquam vulgari.

S. D.

De versione Psalterij.

CLarissime vir, cum habeam quędam dubia in meo Psalterio carmine reddito: ideoq; opus habeam hac in re, tuo consilio, te magnopere rogatum velim, vt quamprimum ad me venias, mihique prius diem itineri destinatum significes, vt iumentum aut currum eo procurari mandem, simulque, si Mercator vna tecum huc venire poterit, veniat: facietis mihi rem oppido gratam. Bene valeas, vir clarissime. Datum Morsæ 18. Augusti 1558.

Tui amantiß.

HER. CO. *à Nuenare.*

XIX. *Pre-*

XIX.

Præstantiß. viro D. Georgio Cassandro, Düsburgi vel Coloniæ nunc agenti domino suo colendo & fratri percharo.

S. D.

ACcepi literas tuas, doctiß. mi Cassander, frater chariß. vnà cum literis nobilis illius D. Adol. à Baers, & quidem mature satis, mox à vernis nundinis. Ac tum quidem libenter respondissem, sed nullus erat Tabellio fidus cui crederem. Distuli itaque in has vsque autumnales nundinas. Atque vtinam apposita isti viro respondeam. Sic enim dicerem, Sat cito si sat bene. Nunc autem responsionem meam tuæ humanitati mitto, & oro vt cures hanc tuto & mature ad virum illum perferri, quem eò impensius amo, quod intelligam ex literis eius ipsum timere ac diligere Dominum. Dominus benedicat ipsi & augeat ei dona sua. Nos *Priuata & Familiaria.*

hic per Dei gratiam more noſtro, vt ſemper viuimus. Laboramus prædicando & ſcribendo. Bene habet Eccleſia nobis credita. Vtinam beneficium Domini agnoſcat & grata ſit, ne alioquin male grati percutientem ſentiamus. Vicini quidam nonnulli moleſti ſunt nobis: ſed procedit nihilo minus veritas. Ac ſæpe mihi perſuadeo, nunc in Europa non viuere infenſiores Euangelij hoſtes, quam fœderatos noſtros Quinquepagicos. Sed conuertet & hos aliquando Dominus aut compeſcet. Ego æſtate hac edidi Catecheſin pro ſchola noſtra, ita mihi mandantibus ſymmyſtis. Alioquin enim plus ſatis erant Catechiſmi antea. Edidi iterum in aliquot Ieremiæ capita, à 14 inquam ad 30 Conciones 44. nam priores te vidiſſe puto, quas ſuperioribus annis edidi. Iam pergo in reliquis capitibus Ieremiæ enarrandis. Cupio autem à te amico & fratre meo intelligere per literas, quid agas, quomodo vi-

uas,

uas, quæ sit tua conditio, & vbi habites. Omnia felicia tibi precor, ac me omniaque mea tibi offero, & te bene valere opto. Tiguri, 20. Augusti. Anno Domini 1559. Ora pro me Dominum.

BVLLINGERVS *tuus.*

XX.

Doctiss. viro Georgio Cassandro, amico singulari, Coloniæ.

Ecclesiastica, de iuramento Episcopali.

QVANQVAM omnibus (saltem pijs) constet, Iuramentum quod Episcopi hisce temporibus Pontifici Romano præstare coguntur, multa impia & Christianæ libertati aduersantia continere: tamen non desunt (vt quisque vir doctus pro acumine ingenij imperitis multa persuadere potest) qui illud phaleratis rationibus excusent, atque defendant. Cum autem ego is non sim qui argutias aut potius fallacias horum

deprehendere, neque deprehensas solidis argumentis redarguere possim: cupio vt tu pro tua singulari doctrina, singulas impietates, nec non omnia illicita, quæ in hoc iuramento continentur, adductis rationibus annotare, & potissimum si iuramentum hoc (dum protestatio siue cautela illa præcederet, scilicet si aliquid contineret, quod verbo Dei aduersaretur, quod in ijs nullo pacto obstrictus esse velim) salua conscientia præstari possit, mihique hoc nuncio iudicium tuum hac in re, vna cum supradictis annotatis impertiri velis, quo habeam quod aduersarijs, qui multum in hoc sudant, respondeam, & nihil homine Christiano indignum hoc in casu committam. Quod si feceris promereri studebo. Vale, raptim, Ahus 16. Nouembr. Anno 1556.

GVILIELM. *Electus. Monasterienſ.*

XXI. *Re-*

XXI.

Reuerendo & illustriss. Domino, D. Guilhelmo Episcopo Monasterienſis, Domino ſuo, plurimum obſeruando.

Eccleſiaſtica, de iuramento Epiſcopali.

REuerende & illuſtriſs. domine. Cum A. T. literæ mihi redderentur, valetudine eram paulo affectiore, tum ob aſperitatem temporis, tum ob labores, quos in negocio mihi ab à T. A. demandato ſuſcepi. In quo ſingulos, certè præcipuos religionis noſtræ articulos dum tractare aggredior, in eorum tractatione longius progreſſus ſum, quam initio inſtitueram. Huius ſpecimen ad te mitto, vt iudices quàm tibi hæc ratio placeat, quod vbi à T. A. cognouero in opere ſuſcepto volente Deo pergam. Hoc tamen ſpecimen remitti cupio, nam & impolitius ſcriptum eſt, & nondum à me recognitum. Quod autem poſtulas, vt impietates & illicita, quæ

in iuramento Rom. Pontifici præstando continentur, adductis rationibus annotem & confutem, & an tale iuramentum præcedente protestatione salua conscientia præstari possit: Negocium perplexius & difficilius est, quam vt tam breui tempore, & ab hoc homine in hoc studiorum genere non admodum versato præstari queat. Nam ad huius rei exactum iudicium canonici iuris peritia non vulgaris requiritur: tum non satis scio, an quæ alia forma hodie, quàm ea quæ in Decretalium libr. 11. Tit. de iureiurando continetur, in vsu sit, neque illud A. T. adiecit, quæ sint illæ phaleratæ rationes, quibus nonnulli impietates quas A. T. in hoc iuramento contineri scribit, excusent & defendant. Hæc quamuis ita se habeant, dicam tamen quantum breuitas temporis & valetudinis imbecillitas, & eruditionis exiguitas patitur, quid de illo iuramento, quod in Decretalium libris legitur, sentiendum putem.

Iura-

Iuramenti formula ex Decret. Greg. lib. II. Tit. XXIV. De iureiurando. cap. IV.

EGo N. Episcopus ab hac hora in « antea fidelis ero sancto Petro, « sanctæque Romanæ Ecclesię, domi- « noque meo Papæ C. eiusque succes- « soribus canonicè intrantibus. Non « ero neque in consilio, neq; in facto, « vt vitam perdat aut membrum, vel « capiatur mala captione. Consilium, « quod mihi aut per se, aut per literas, « aut per nuncium manifestabit: ad « eius damnum nulli pandam: Papa- « tum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & re- « gulas sanctorum Patrum adiutor ero « ad defendum & retinendum (salu- « uo ordine meo) contra omnes homi- « nes. Vocatus ad Synodum veniam: « nisi præpeditus fuero canonica præ- « peditione. Legatum Apost. sed quem « certum esse cognouero, in eun- « do & redeundo honorificè tracta- « bo, & in suis necessitatibus adiuua- « bo. Limina Apostolorum singulis an- «

„ nis aut per me, aut per certum nun-
„ cium visitabo: nisi eorum me absol-
„ uat licentia. Sic me Deus adiuuet,
„ & hæc sancta Euangelia.

Cum igitur de hoc iuramento, totaq; causa, propter quam hoc iuramentum à quibusdam bonis, vt opinor, viris, Reipubl. & Ecclesiæ vtilitati consultum volentibus, tantoperè defenditur, diligenter vna cum studiorum meorum socio, quantum nostra facultas ferebat, inquirerem, omniaque accuratius expenderem, tandem hæc quam asscribo summa non improbabilis visa fuit. Primum itaque, quod nos in hoc negocio non parum mouet, est, quod non raro ea tempora incidant, vt minora mala & incõmoda subeunda sint metu maioris mali incurrendi, & fiducia excellentis alicuius boni obtinendi, modo hoc malum quod suscipiendum est, ex eo sit genere, quod cum nullo peccato & periculo salutis sit coniunctum: alioqoin firma stat sententia Pauli, non esse facienda mala,

vt

vt eueniant bona. Item, si illud malum quod metuitur, & bonum quod speratur ad causam salutis, & vitæ æternæ pertineat. Videndum igitur erit, num in hoc negocio huius iuramenti, demonstrari possit, ita se rem habere, vt eo præstando malum quidem aliquod & iniquum, id est, incommodum, durum & molestum subeatur, vt maius malum, id est, desertio officij euitetur, & potius bonum, id est, vtilis Ecclesiæ procuratio obtineatur: ita aliqua huius quęstionis soluendę ratio illucescet. Imprimis igitur diligenter expendendum est, quæ res nobis non perinde est nota, num A. T. in eam necessitatem redacta sit, vt non aliter officium suum Ecclesiæ & Reipub. præstare possit, nisi de more hoc iuramentum præstetur, & magna aliqua spes proposita sit, fore, vt hoc iuramento præstito eximia aliqua vtilitas in Ecclesiam & Rempubl. redundatura sit, quæ omnia iuramenti huius detrectatione & omissione impe-

impedirentur. Quod si ita est, certè nihil tam durum & molestum esse debet, quod non Episcopus ad Ecclesiæ gubernationem legitimè vocatus subire debeat, vt vocationi suæ quantum in ipso est, satisfaciat. Restat igitur nunc videre, num hoc iuramentum ex eo genere sit, quod etsi incommodum aliquod adiunctum habeat, tamen cum peccato & periculo salutis coniunctum non sit: & an aliqua ratio inueniri possit, quo hoc iuramentum sine Dei & conscientiæ offensione præstetur. Itaq; in genere hoc iuramentum & singulas eius partes expendamus. Principio igitur quod Pontifex Rom. Episcopos, præsertim occidentis, ad iuramenti necessitatem astringat, aliquem iuris & æquitatis prætextum habere videtur, cum iam olim occidentis inspecto sit ei demandata, & prærogatiua quædam inter Episcopos concessa, & summa consensione hactenus obseruata. Illud autem iniquum & maiorum institutis

ac consuetudini contrarium appareret, quod Romanus Pontifex extra suam Prouinciam & ordinationem constitutos, tanquam clientes quosdam & vasallos, vt appellant, ad iuramenti necessitatem adigit, & in iuramento Episcopis oblato aliud complectatur, quàm vt ea præstent ad quæ ex Dei mandato, & officij sui ratione, & maiorum institutione teneantur, hoc est, vt fidei integritatem conseruent, & eam obedientiam Episcopo Rom. quæ iam olim illi exhiberi consueuit, exhibeant. Talem enim formam continet iuramentum à Bonifacio, post Episcopo Moguntino, Gregorio Papæ II. præstitum: Et in concilio Toletano huiusmodi quoque forma vnicuique ad Ecclesiasticum gradum accessuro ante consecrationem præscribitur. Nempe vt fidem catholicam sincera cordis deuotione custodiens, iustè & piè viuere debeat, & vt nullis operibus suis Canonicis regulis contradicat, atq; vt debitum per omnia

Concil. Tolet.

omnia honorem, atque obsequij reuerentiam pręminenti sibi vnusquisque dependat. Hoc autem quo de agimus iuramentum, nonnullas ciuiles causas continet, in quibus Episcopi, non Papæ, sed Imperatori potius sunt obligati, cuiusmodi est illud, non futurum se in consilio, vbi vitæ aut corpori eius periculum aliquod intentetur, neq; reuelaturum se consilium, quod ad eius damnum tendat. Hæc quamuis præter rem ab Episcopo exigi videantur, tamen huiusmodi sunt, vt nihil per se impietatis habeant, si modo rectè intelligantur, quemadmodum & ipse huius Canonis interpres hoc postremum de consilio non pandendo interpretatur. Hoc intelligo, inquit, de honesto consilio, &c. Nunc reliqua huius iuramenti capita expendamus. Quod igitur initio S. Petrus cõmemoratur, eiq; fidelitas promittitur, phrasis fuit superioris ætatis: hic tamen commoda interpretatio adhiberi potest. Ideo enim S. Petri nomen

nomen pręponi videtur, quod is Romanam Ecclesiam sincera Christi fide, & doctrina instituisse, eamque primus ex præscripto diuini verbi administrasse credatur. Ita certe Felinus, quem in hunc locum videre nobis contigit, annotauit: Dicitur, inquit, seruari fides B. Petro, seruando fidem quam ipse seruauit, & docuit: & sic intellige de fide Catholica. Hactenus ille. Quare hac forma loquendi intelligi potest, se doctrinam illam & fidem quam B. Petrus Romanos docuit, fideliter conseruaturum eique obtemperaturum, ac Rom. quoque Pontifici præsenti, eiusque successori quatenus illam doctrinam, quam à B. Petro acceperint, retinuerint & conseruarint. Iam reliqua quę sequuntur commodiorem interpretationem admittunt. Fidelitas enim ea quæ Ecclesiæ Rom. & Pontifici eiusq; successoribus promittitur, ad hanc regulam exigi poterit, vt iam diximus, in ijs videlicet rebus, quę ad conseruationem

tionem ſinceræ doctrinæ & veræ fidei pertinent. Nam & illud quod de regulis ſanctorum Patrum defendendis & retinendis ſcribitur, intelligi poteſt de ijs regulis, quæ ad ædificationem Eccleſiæ pertinent, & diuinis mandatis non aduerſantur. Item quod ſe ad Synodum vocatum, venturum, legatum Pontificis honorificè tractaturum, limina Apoſtolorum, aut per ſe, aut per alium quotannis viſitaturum promittit, &c. ad politiam quandam Eccleſiaſticam ſpectat, quæ quatenus Eccleſiæ vtilitati ſeruit, retineri poteſt. Illud quod de liminibus viſitandis dicitur, ad eos tantum Epiſcopos pertinere dicunt, qui per Italiam ad ordinationem Rom. Pontificis pertinent, aut alibi exempti, aut immediatè illi ſubiecti; ad quos initio ſolos hoc iuramentum pertinuiſſe tradunt. Vnicum eſt in hoc iuramento, quod prima fronte non modo durum, ſed etiam iniuſtum appareat: nempe, quod de Papatu Rom. Eccleſiæ

Ecclesiæ defendendo & retinendo inseritur, incertum enim videri possit, quid Papatus nomine intelligatur. Si enim Papatus nomine Tyrannis illa & iniusta dominatio, qua non modo contra ius diuinum, sed etiam humanum Ecclesias & Respublicas iamdudum oppressit, multaque sibi arrogat tanquam iure diuino sibi debita, quæ illi nec iure diuino, nec humano conueniunt, certè sine peccato fieri non potest, vt quisquam se ad tyrannidem illam stabiliendam obstringat. At si Papatus nomine intelligatur primatus ille & prærogatiua, quam ei iam olim, tum Græci tum Latini detulerunt, vt in ordine Episcoporum propter vrbis illius amplitudinem, & fidei sinceræ, quæ aliquousque ibi viguit, constantiam, & Ecclesiæ illius loci celebritatem primas obtineat, & peculiariter procurationem & inspectionem Ecclesiarum per Occidentem habeat, nihil prohiberi videtur, quin & talis primatus, si vti

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

iam diximus, ad Ecclesiæ ædificationem non destructionem faciat, agnoscatur. Nunc igitur ostendimus, nihil in hoc iuramento, tam apertè iniustum aut illicitum contineri, quin ei commoda aliqua interpretatione succurri possit. Iam vero nemo est doctorum virorum, qui non in eo consentiat, hanc esse rationem omnis iuramenti generalis, vt non aliter obliget, nisi saluis, vt aiunt, conditionibus generalibus, in quibus conditionibus hæ exceptiones intelliguntur. Imprimis in omni iuramento ius superioris excipitur: item, cum in genere aliquid iuratur, semper intelligi debet, si honesta, licita, & moderata sint, quæ iuramento continentur, & secundum intentionem illam, secundum quam ordinator iuramenti obligari voluerit & rationabiliter debuerit, ita enim Scholastici & Canonistæ loquuntur. Item iuramenta secundum intentionem præstantis non etiam recipientis à Deo iudicari, & plura huius-

Chrysostomus 22. q. 5.

huiusmodi, quæ à iuris vtriusq; peritis adferri possunt, quæ cum diuino verbo contraria non sunt, & æquitate summa nitantur, non aspernandâ videntur. Itaque quamuis in singulis huius iuramenti partibus, quæ in diuersas sententias trahi possent, tacita intentio & exceptio iuramentum præstantis, qui ea omnia ad æquiorem & meliorem partem trahat, coram Deo sufficere videatur, tamen in hoc tanto & tam periculoso negocio maiorem adhuc cautionem & diligentiam adhibendam existimo, cum conscientiæ consulendæ, tum scandali euitandi caussa, nempe, vt si omnino hoc iuramentum, qua forma in Decretalium libris positum est, præstandum sit, antè, coram Notario & testibus viris aliquot grauibus protestatio fiat, non quidem in genere tantum, sed de singulis quoque partibus, in quibus ambiguitas inesse, & in deteriorem partem torqueri possint, hoc vel simili modo. Quod promitto fide-

Lib. 2. Tit. De iureiurand. cap. Ego N.

lem me fore S. Petro non ita intelligi volo, quod numen aliquod B. Petro, aut inſpectionem cordium illi tribuam: ſed quod doctrinam & fidem, qua is Romanam Eccleſiam conſtituiſſe creditur, fideliter obſeruaturum me promittam. Item, quod iuro, me fidelem fore S. Rom. Eccleſiæ, & domino Papæ eiuſque ſucceſſoribus, &c. ſic intelligi volo, quatenus illa Eccleſia in fide, ob quam Paulus eam tantopere commendat perſtiterit. Papæ vero ipſi, quatenus & ipſe eam fidem retinuerit, & verbo Dei congruentia præceperit. Item, Papatum Romanæ Eccleſiæ, nihil aliud intelligo, quam primatum illum & prærogatiuam Eccleſiaſticam, qua inter Epiſcopos ordinis & politiæ cauſſa primas obtinuit, eaque aliquando ad vtilitatem Eccleſiæ feliciter eſt vſus: Nullo autem modo me poteſtatem agnoſcere ſiue illa humano, ſiue diuino iure arrogetur, quæ ad Eccleſiæ deſtructionem pertineat. De regulis

ſancto-

sanctorum Patrum defendendis ac retinendis, idem quoque intelligo, quatenus scilicet ædificationi Ecclesiæ seruiunt, & diuinis mandatis nõ aduersantur. Nec abs re futurum puto, si & generalis quædam protestatio siue exceptio fiat coram eo, qui iuramentum excepturus est, in hanc sententiam. Mei instituti non est, vt hoc iuramento plus obligari velim, quam ad ea quæ licita sunt & honesta, & salua conscientia præstari possunt & debent. Hæc autem de eo iuramento dicta sint, quod Decretalium libro continetur, non autem si alia quædam capita speciatim addantur, vt verbi gratia, Promitto me per omnia, & in omnibus eam fidem retenturum, quam hodie Rom. Ecclesia, & in ea Pontifex Paulus IV profitetur. Item, promitto me nihil in religionis negotio tentaturum & innouaturum absque eius sanctitatis consensu. Item, promitto me hæreticos, præsertim Lutheranos appellatos, persecuturum, omnesque eos

pro hæreticis & ſchiſmaticis habiturum, quos pro talibus hodie Rom. Eccleſia damnauit, &c. Hæc capita cum ſpecialia ſint, huiuſmodi interpretationes & cautiones non admittunt, & tale iuramentum penitus eſt detrectandum. Hac igitur cautione & moderatione adhibita, tutius fortaſſe hoc ſacramentum iuriſiurandi præſtari poterit, modo ea accedant, quæ ſupra iudicauimus: primum, ſi nulla alia via & ratio inueniripoſſit in ſuſcepto munere perſiſtendi, niſi huiuſmodi planè iuramentum præſtetur, alioqui tutiſſimum fuerit omnino hoc iuramentum, quod prorſus periculo non caret, declinare, aut certe tale dare iuramentum quod mitiore & tolerabiliore forma concipiatur. Deinde in hac iuramenti præſtatione ſpectandum eſt, ſi via per hoc aperiatur, liberam & piam Eccleſiæ reformationem facilius inſtituendi, ita vt hoc iuramẽto præſtito, officio quod Pontifici debeas ſatisfactum putes, &iam

& iam auctoritas aliqua & robur per id tibi accedat, vt in reformatione instituenda Pontificia auctoritas non tantopere sit metuenda, si eam ad pium institutum impediendum conuertat, alioqui est compertissimum, nullam tam moderatam, & prudentem reformationem institui posse, quam Rom. Pontifex sit approbaturus. Item videndum, si hoc iuramento præstito omnibus alijs difficultatibus, quæ hoc institutum remorari possunt, occasio prę scindatur. Summa hæc est, videri mihi ita demum hãc receptam iurandi consuetudinem, quamuis iniquam & duram, seruari posse, si ingentis alicuius mali metus impellat, & insignis alicuius vtilitatis spes inuitet. Habes, Amplissime domine, quid de hoc negocio post diligentem cogitationem & inquisitionem nobis videatur, quamuis initio in contrarium sententiam propendebam, quod tum omnes huius negocij conditiones & qualitates non ita exactè ex-

penderam non satis: quamuis non dubitem, non omnibus satisfactum, imò vt ingenuè fatear, nec mihi per omnia satisfeci: certè nulla vnquam res plus laboris aut fastidij mihi attulit. Accessit ad difficultatem, quod argumenti huius explicatio, non tam sacrarum rerum cognitionem, in qua parum valemus, sed iuris etiam scientiam, in qua nihil propemodum intelligimus, requirebat. Præstitimus tamen, quod Deo adiuuante potuimus, & si quid peccatum est, id difficultati rei, & nimio fortassis promouendæ Ecclesiæ & conseruandæ pacis studio imputetur. Quare ea quæ dixi non pro certa & indubitata sententia, sed pro deliberatione, & probabili ex re præsenti consilio haberi cupio. Res sane perplexa est, de qua temere iudicare, periculi plenum sit: nobis satis fuit rationem aliquam ostendisse, qua fieri posse putemus, vt impietatis periculum euitetur, & conscientiæ vtcunque consulatur, hoc est, vt

nihil

nihil diuino mandato contrarium admittatur. Itaque huiusmodi consilio nulli præiudicatum voluimus. Nolim etiam vt A. T. temere acquiescat, sed rem diligenter expendat, & Deum nobiscum imprimis roget, vt viam aperiat, & rationem commonstret, qua & conscientiæ consulatur, & officium non prætermittatur. Deus A. T. Ecclesiæ & Reipubl. incolumen conseruet. Quod Epistola hæc rudius & deformius scripta sit, condonare A. T. debet. Nam cum amanuensi careamus, eodem, & pro famulo & exceptore vti necessum fuit, qui quum adhuc pene puer sit, & Latinè non planè calleat, tarde & deprauatius scribit. E Colonia Agrippinensi, postridie Ceciliæ mane.

T. A. addictiss.

GEOR. CASS.

XXII.

Doctiſſ. ſimul & pio Georgio Caſſandro amico optimo.

Eccleſiaſtica, de iuramento Epiſcopali.

QVam ſit res periculi plena, præſtare iuramentum Rom. Pontifici, quod habetur in ea: Ego N. de Iuram. ex poſterioribus tuis ad me literis intellexi. Cum igitur in hac formula tot reperiantur difficultates, vt vix etiam ratio inueniri poſſit, qua ſalua conſcientia præſtetur, & ea conſuetudo iurandi, quæ hodie obſeruatur, & ab Epiſcopis exigitur, longe lateque ab illa differat, ita vt non ſolum prærogatiua primatus ipſius Pontificis in Eccleſia, quam illi libenter concedo, verum etiam Papiſtica tyrannis hoc iuramento ſtabiliatur, & omnis libertas Chriſtiana adimatur, nec non quaſi expreſſis verbis obſtringamur, vt iniquiſſimas quaſque Pontificias conſtitutiones exacte obſeruemus, & ipſius rebelles, è quorum numero multi

multi pij & boni viri reperiuntur, perſequamur, vt latius ex tenore ipſius iuramenti, quod hiſce inclusum reperies, perpendere licet, non video vt aliquis nomine ſanctiſs. hoc iuramentum merito exigere, multo minus, vt pius quiſpiam illud (præſertim ſi de omnibus hiſce illicitis primum edoctus fuerit) abſq; ſcandalo & graui Dei offenſione, iurare poſſit. Deus enim non irridetur, & quicunque illum non confeſſus fuerit coram hominibus, hunc quoque negabit coram Patre qui eſt in cœlis. Fateor quidem nihil non faciundum, quo honos Dei propagetur, & vt vnuſquiſque vocationi ſuæ, quantum in ſe eſt, ſatisfaciat: præſertim ſi ingens aliquis metus futuri mali euitari poſſit, aut ſpes non dubia inſignis alicuius vtilitatis præ manibus ſit. At eiuſcemodi malum in caſu noſtro non puto imaginandum, neque talem ſpem, qua & Eccleſiæ & Reipubl. in hiſce extremis temporibus conſuleretur, præſtatione

huius

huius iuramenti propositam esse puto. Et si maxime tale quippiam expectandum esset, non tamen essent facienda mala vt euenirent bona. Verum cum ego indoctior sim, quam vt solide quidquam de hisce aut similibus iudicare possim, cupio vt tu (vbi per otium & valetudinem licuerit) singula huius iurisiurandi verba diligenter examinare atque excutere velis, & quod de illis tuum sit iudicium mihi impertiri ne graueris. Neque te moueat quid Canonistæ aut alij Papisticorum abusuum fautores ad excusationem huius iuramenti conscripserint: verum quid verbo Dei consentiat, nec ne, perpende. Cæterum quod specimen reformationis iamdudum concepisti, auditu pergratum fuit, & quanquam desiderio illius tenear videndi: tamen cum ego nihil hoc in negotio de meo possim addere vel detrahere, rogo, vt susceptum negotium, quamprimum fieri poterit, exactè quantum Deus gratiæ dederit,

dederit, perficere, atque operi antequam ad me transmittatur, extremam apponere manum velis. Tum si quid intellexero, cuius te meminisse oportuit, libenter indicabo. Vale, Ahus 16. Decemb. An. 1556.

GVILIELM. *Electus Monasterienſis.*

IVRAMENTVM.

EGo Wilhelmus Electus Monaſterienſis, ab hac hora in antea « fidelis & obediens ero B. Petro, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, & Domino noſtro, Domino Iulio Papæ III. « ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio vel « conſenſu, aut facto, vt vitam aut « membrum perdant, ſeu capiantur « mala captione, aut in eos manus violenter quomodolibet inijciantur, « vel iniuria aliqua eis inferatur, quouis quæſito colore. Conſilium vero, quod mihi credituri ſunt, per ſe « aut nuncios, vel literas, ad eorum « damnum me ſciente nemini pan- «

dam,

» dam, ad defendendum & retinen-
» dum Papatum Romanum, & Re-
» galia S. Petri, contra omnem homi-
» nem adiutor eis ero. Legatum Apo-
» ſtolicæ ſedis in eundo & redeundo,
» honorificè tractabo, & in ſuis neceſ-
» ſitatibus adiuuabo. Iura, honores,
» priuilegia, & auctoritatem Romanę
» Eccleſiæ, & domini noſtri Papæ, ac
» ſucceſſorum ſuorum conſeruare, de-
» fendere, augere & promouere cura-
» bo, nec ero in conſilio, facto, vel tra-
» ctatu, in quibus contra ipſum domi-
» num noſtrum vel eandem Roma-
» nam Eccleſiam aliqua ſiniſtra vel
» præiudicialia perſonarum, iuris, ho-
» noris, ſtatus & poteſtatis eorum ma-
» chinentur. Et ſi talia à quibuſcunq;
» tractari vel procurari nouero, impe-
» diam hoc pro poſſe, & quantotius
» potero commodè ſignificabo ei-
» dem domino noſtro Papæ, vel alteri
» per quem ad ipſius notitiam perue-
» nire poſſit. Regulas ſanctorum Pa-
» trum, decreta, ordinationes, ſenten-
» tias, diſpoſitiones, reſeruationes,

proui-

prouisiones & mandata Apostolica « totis viribus obseruabo,& faciam ab « alijs obseruari. Hæreticos,schisma- « ticos & rebelles domino nostro & « successoribus prædictis , pro posse « persequar & impugnabo. Vocatus « ad Synodum veniam,nisi prępeditus « fuero Canonica prępeditione. Apo- « stolorum limina,Romanam curiam, « citra,singulis annis , vltra vero mon- « tes singulis biennijs visitabo, aut per « me,aut meum nuntium,nisi Apostо- « lica absoluar licentia. Possessiones « vero ad mensam meam pertinentes, « non vendam, nec donabo , nec im- « pignorabo, nec de nouo infeuda- « bo , vel alio aliquo modo alienabo « etiam cum consensu Capituli Eccle- « siæ meæ,inconsulto Romano Pon- « tifice: Sic me Deus adiuuet , & hæc « sancta Dei Euangelia. «

XXIII. *Reue-*

XXIII.

Reuerendo & Illustr. D. D. Guilielmo Electo Monasterienſi Epiſcopo.

Reſponſio ad ſuperiorem. De iuramenti Epiſcopali.

ACcepi literas A. T. in quibus plenam iuramenti Pontif. Romano præſtandi formam tranſmittis, & vt diligentius ſingulas eius partes expendam, ac deinde ſententiam meam tranſcribam, petis. Ego vero re conſiderata nihil inuenio, quod amplius dicam, quam ſuperioribus literis expoſui. Agnoſco ſanè eam eſſe in me ingenij & iudicij tenuitatem, quæ huic negotio explicando par minimè ſit; Quare ipſe alios eruditiores & acutiores audire, quam temerè meam ſententiam proferre malim. Reſpõdebo tamen paucis, literis A. T. Quod itaque ad diuinas literas attinet, quarum tu auctoritatem, vt par eſt, imprimis requiris, certè de hoc negotio in iis nihil ſpeciatim traditur. Sufficere illud videtur, quod Euangelij profeſſio politicos actus, quibus humana ſocietas

ſocietas continetur, non prohibet, modo nihil diuinæ & naturali legi contrarium admittatur. Itaque ad hanc ſocietatem tuendam quædam homini pacis ſtudioſo ſubeunda ſunt, per ſe iniquiora, id eſt, duriora & grauiora, vt maiora mala euitentur, vel maiora bona obtineantur. Neque ob id Pauli regula violatur, Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona, nam ea regula de ijs malis intelligi debet, quæ verè mala, id eſt, diuina & naturali lege prohibita ſunt, quale adhuc nihil ſimpliciter in hoc iuramento deprehendo. Quare mea quidem ſententia, quam tamen non vt definitionem, ſed vt conſultationem haberi velle me dixi, non video cur hoc iuramentum, vt per ſe & ſimpliciter impium reijci & detrectari debeat, ſi modo, vt ante quoque expoſui, ex eo præſtito ingens aliqua expectetur vtilitas, quæ prætermiſſione iuramenti, aut impediatur, aut omnino tollatur: præſertim adhibitis his

conditionibus & interpretationibus, quas vnanimis omnium piorum & prudentum hominum consensus in huiusmodi iuramētis adhibendas esse tradit: non obligari videlicet quemquam iuramento, nisi ad honesta, licita, possibilia, moderata: item non amplius quam voluerit, aut rationabiliter velle debuerit obligare ordinator iuramenti. Itaque existimo in hoc iuramento animo contemplandum esse Pontificem Romanum virum bonum & pietatis studiosum, qui omnem hanc potestatem humanis constitutionibus, consuetudine longa, & consensu diuturno sibi permissam ad vtilitatem Ecclesiæ referre studeat, & in iudicandis rebus religionis, regulam diuinarum literarum sibi proponat. Nam hic decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reseruationes, &c. ad æquitatem diuinæ legis exiget, & non aliò quàm ad vtilitatem Ecclesiæ referet, hæreticos & schismaticos, non aliter quàm ex

diuini

diuini verbi regulà iudicabit, neque alios sibi rebelles ducet, quàm qui rectè & piè monenti obtemperare recusent, neque alio modo persequi eos & oppugnare volet, quàm armis spiritualibus ad hoc à Christo concessis. Quis tali Pontifici huiusmodi iurisiurandi sacramentum præstare detrectet? At dicat aliquis, da mihi talem Pontificem, & ego incunctanter ei tale iuramentum præstabo: Audio, verum iam supra diximus, omnes pios & prudentes viros in eo conuenire, vt in officio, quod sine peccato fieri potest superioribus exhibendo, non tam spectare debeamus quales sint, sed quales ex officio esse debeant, & mentem iurisiurandi non ex voluntate quacunque & intentione eius, qui vel instituit, vel exigit iuramentum, sed ea tantum voluntate & intentione, quę rationi & æquitati atque adeo diuinæ voluntati consentiat: id est, vt vulgari more loquamur, non tam spectandum esse quid velit, quam

quid rationabiliter velle debuerit. Itaque si eo modo res se habeat, vt ex præstatione eius iuramenti magnum bonum, ex prætermissione ingens aliquod malum expectetur, causam non video, cur necessario vitari debeat, modo huiusmodi quam dixi intentionem afferas, eamque protestatione facta declares, & ad eam exequendam animo comparatus & confirmatus sis. Habebit enim speciem quamdam iuramenti coacti: id est, metu extorti, eo inquam metu, qui in constantem virum cadat, quem non absurdè definiunt, dum quis metu maioris mali fugiendi eligit minus malum. Si autem ex huiusmodi iuramento quod tot exceptionum, interpretationum, & protestationum subsidijs opus habet, non expectetur insignis vtilitas, quin contra potius metuendum sit, ne eo præstito magis illaqueeris, & intriceris, & ab exequendo officio, quod Deo & Ecclesiæ debeas magis retarderis & abstraharis, tũ sanè nullo modo

lo modo tam periculosum negotium suscipiendum esse putem, ne Dominum Deum tentare videaris, dum te incaute, periculo, quod euitare possis, subijcias. Erit enim iuramentum incautum & manifestè periculosum: At qui, vt sapientis sententia dici solet, amat periculum, peribit in illo. Tunc autem vel maximè abstinendum erit, si conscientia tali iuramento aduersetur, & mens sibi ipsa non satisfaciat. Qui enim aliquid facit, quod dubitet, æquum ne sit an iniquum, damnandus est. Nam id cum fide seu fiducia fieri nequit. Porro quod cum fide, seu fiducia non fit, peccatum esse Apostolus testificatur. Hæc habui Amplis. Domine, quæ ad hasce tuas literas responderem, tu pro tua humanitate studium & voluntatem nostram boni consules. Quod ad alterum illud scriptum pertinet, in eo conficiendo quantum possum, laboro, sed successum quem optarim nonnulla remorantur, perpetuus languor, cre-

bræ infirmitates, quæ ingenium & memoriam non parum offuscant, & animi promptitudinem, & alacritatem retundunt, & contrà animi deiectionem & pusillanimitatem adducunt. Adhæc, scriptor minus expeditus est, vt qui ætatis imperitia, & multorum negociorum (nam eo solo in rebus domesticis obeundis vtimur) impedimentis retardatur. Priorem tamen partem quæ dogmatum explicationem continet, spero ante multum temporis absolui posse: quo facto alteram aggrediemur, quę ritus, constitutiones, & consuetudines Ecclesiasticas spectat, sed ea ob causas quas dixi plusculum adhuc temporis requiret. Deus A. T. incolumen conseruet. E Colonia Agrippinensi, pridie Epiphaniæ.

T. A. addictiss.

GEOR. CASS.

XXIV.

XXIV.

Doctissimo simul & pio viro, D. Georgio Cassandro, amico singulari.

Sæpius apud meos conquestus sum abusum Missarum Papisticarum. Hinc puto futurum, vt paucis abhinc diebus certi adhoc deputati ad me venturi sint, sciscitaturi, quæ ea sint, quæ in Missa damnẽ, & quo pacto meo iudicio ea ritè esset instituenda. Vt igitur habeam quod commode respondeam, cupio vt summatim & breuibus, iudicium tuum hac de re per præsentem meum Quæstorem (cum res moram non patiatur) ad me transmittere, velis. Quod si id minus commodè fieri possit, fac vt ea quæ in meam gratiam de Missa conscripsisti, siue perfecta, siue imperfecta, in mundum descripta, mox habeam, vt ex illis mentem tuam colligere liceat. His paucis Vale. Saluta meo nomine socium atq; communem amicum D. Cornelium. Raptim, Ahus, 6. Nouembr. An. 1557.

Theologic. Quærit de Missa.

GVILIELM.

XXV.

Doctiſs. ſimul & pio viro Georgio Caſſandro amico ſingulari.

S. D.

Theologic. Quærit de præſentia Domini in cœna. Ad hanc exſtat reſponſio in operibus Caſſandri.

BInas abs te literas, vna cum libello, quem de inſtaurãdis Eccleſiis in meam gratiam conſcripſiſti, quarum priores 6. Aprilis, altetæ 4. Iulij Coloniæ ſcriptæ fuerunt, hoc die accepi. Et quamquam huiuſmodi oblatum tuum libellum nondum legerim, neque is ſim, qui de eiuſcemodi ſcriptis iudicare poſſim: tamen pro ſingulari tua pietate atque doctrina, qua multos antecellis, non dubito, opus hoc tuum tale eſſe, quod (ſi in manus hominum peruenerit) in hac ſentina malorum ac erroris, plurimis ad retinendam veram pietatem profuturum ſit. Sed cum articulos quoſdam deeſſe intellexerim, quos & vtile & neceſſarium iſti libello inſeri ſiue adiungi exiſtimo, cupio vt ijdem quantum

quidem

quidem per otium & valetudinem licuerit perficiantur, & ad me mittantur. Ego viciſſim curabo ne curam & laborem in ingratum videaris collocaſſe. Cæterum quantum ad articulum attinet, in quo mihi tecum non conuenit; verum quidem eſt, quod de ſacramenti nomine aliqua inter nos fuit diſputatio. Sed ea res me non vſque adeo mouet, quin facile in tuam adducar ſententiam. Quod autem aſſeris, ſolum fructum paſſionis dominicæ abſque corpore & ſanguine Chriſti, iuxta opinionem Caluini, ſub ſacramento porrigi, & Euangeliſtæ, nec non Paulus Apoſtolus, diſertis verbis meo iudicio contrarium exprimunt, communis conſenſus Eccleſiæ aliud obſeruet, & probatiſſimi quoque ſcriptores tam recentiores, quam veteres diuerſum doceant; in hoc tibi diſtipulari non poteram, neq; adhuc capere queo. Verum noſti quam ſim puer in hac palæſtra: doceri itaque cupio. Salu-

quibus te amicum & fratrem meum saluto, & omnia fælicia tibi precor. Valemus hic sic satis bene, quod intelliges ex Iulio. Dominus manu sua nos sustentat, & in multis & grauibus hostium verbi Dei consilijs conatibusque nos inoffense in via Domini progredi facit. Ipsi sit laus & gloria. Hunc orabis pro nobis, vt perpetuo nobis sit clemens & propitius per Christum. Veritas verbi Dei supra quam tradi potest in his & vicinis regionibus increscit. Valesiani, qui aliquando fuerunt hostes Christi infensiss. iam quoq; ad Euangelium aspirare incipiunt. Eam ob rem superioribus diebus oborta est turba: ad quam sedendam & res rectè componendas missi sunt Legati à Republ. nostra & alijs socijs veræ religionis. Priores enim Papistæ Legationes suas misere. Vtinam incassum. Scis & in Gallia vehementer augeri numerum fidelium. Ideoque Card. Lotharingius solicitè agit cum Pont. Romano, cum Imperat. & re-

ge

ge Hiſpaniarum, miſſis ad eos Legatis, de continuando aut celebrando concilio. Concilio enim amens credit curſum Euangelij impediri poſſe. Dominus euertat omnia Achitophelis & Hamani conſilia, & conſeruet ac ampliet ſuam Eccleſiam, Amen. Annus eſt quo reſpondi ad Quæſtiones clariſs. viri D. Adolphi à Baërs: miſi ad te reſponſionem per Froſchouerum: ſed nihil interea reſponſi accepi, acceperitne meas, an non acceperit. Solicitus ſum itaque, ne forte non probe curatæ ſint literæ. Libera ſi potes illa me cura. Vale cum bonis omnibus. Tiguri 4. Auguſti, Anno 1560.

Si viuit adhuc D. Theodorychus Bitter, Abatiſſæ ſanctar. Virginum Notarius, ſaluta ipſum, &c.

Salutato humaniſs. noſtrum illum Corn. Gandauum, comitem tuum.

BVLLINGER. *tuus.*

XXVII.

XXVII.

Clariſs. viro D. Georgio Caſſandro, nunc Coloniæ agenti, domino ſuo colendo & fratri dilecto.

S. D.

SPero Hiſpanum, cui menſe Iulio literas ad te dedi, bona fide reddiſſe. Erat enim vir bonus & tui pietatiſque amantiſſimus. Iulio nomen erat illi: qui & ſingularia quædam de te referebat. Alioqui enim non ſoleo cuiuis literas credere. In ijs cupiebam certior fieri per te, anne literæ meæ ſuperiori anno ſcriptę ad ampliſs. virum D. Adolphum à Baërs, & tranſmiſſæ per Froſchouerum ad te, D. Adolpho ſint traditæ. Nollem enim illas interijſſe. Ac nondum vel verbo ſignificatum eſt mihi, acceperit ne illas, an non acceperit. Fac igitur, mi frater, vt certum hic aliquid ſciam. Deinde audio te habere Polychronium, & alios authores Græcos, quos verteris

Priuata. & de editione Polychronij.

ris in Latinum è Græco. Cur vero hunc thesaurum tibi retines? Communica hunc Ecclesiæ & fratribus. Non magnifacio alioqui nouos illos libros veterum scriptorum Græcorum, qui hodie proferuntur in lucem. Metuo enim quosdam hic non bona fide uti. Cum autem tua fides probitasque perspectissima mihi sit, magni facerem sanè quod prodiret à te. Fac igitur, mi frater, vt aliquando & mature bonis illis authoribus fruamur. Audisti fortassis quid potẽtes huius sęculi instituant de Concilio celebrando. Liberum dicitur ab illis, sed more veteri celebrabitur, neq; in alium finem quam dolosum celebrabitur. Dominus dissipet omnia impiorum consilia, & seruet afflictam suam Ecclesiam, liberetq; à malo. Saluta officiosissime Cornelium tuum, & mei amantes, qui apud vos Coloniæ sunt. Vale, Tiguri 28. Augusti 1560.

BVLLINGER. *tuus.*

XXVIII.

XXVIII.

Ad Carolum Francorum Regem Christianiſs. de adepto regno, eoque adminiſtrando Epiſtola, Nobilis & præſtantiſſimi Iuuenis D. ADRIANI vander MYLE.

VT te feſſa malis, feſtiuo Carole vultu
Excipit? vt varijs miſere iactata periclis
Vt duris oppreſſa iugis nũc Gallia, tandem
Reſpirat: tollitq; oculos te libera Rege?
Cuncta minis, odijs, rixis, & Martis atroci
Feruebãt ſtudio, ſtricto in ſua viſcera ferro
Infœlix populus furiata mente ruebat.
Nullus erat virtutis honos. ſua membra dolebat
Exuri flammis Pietas, & flumine mergi.
Deniq; erat miſeræ triſtiſſima Galliæ imago
Aſt vbi Francigenum tibi ſceptra potentia gentis
Delata auditũ eſt: ſubito (mirabile viſu)
Orta quies, ſubito laſſis pax reddita Gallis,
Principibus populoq; animum, vireſq; reduxit.

Ac

Ac veluti tumidis quum ſurgunt æquora ventis,
Horrificoue fremit ſonitu polus æthera circum,
Iamq; rates pelago ſparſæ iactantur. & vndas
Conuulſæ accipiũt ventis, rimisq; fatiſcũt:
Tum ſi cæruleis placidum caput efferat vndis,
Et cælo genitor vectus Neptunus aperto
Flectat equos; tacitis ſubſidunt æquora ventis,
Et pluuiæ fugiunt nubes: Lux æthere toto
Alma redit, placido labuntur gurgite puppes:
Sic omnis cecidit tantorum dira malorum
Tempeſtas, poſtquam te turbida Gallia Regem
Accepit, ſoliumq; dedit conſcendere auitũ.
Hæc vt Francigenis æternũ Carole durent
Gaudia, quicquid ages ad publica tendat oportet
Cõmoda, communẽ populi ſpectetq; ſalutẽ
Lex ſit vt hæc ſuprema tibi, meta iſta laborum.
Delectos ætate graues longo ordine Patres

Queis

Queis pietatis honos, quibus alto pectore fixus
Hæret amor patriæ, iustiq; bonique cupido
Constituas. Hi Iura tuis dent, atq; volentẽ
Ritè regant populum, haud caci mercedis amore.
Cedat auaritia & Gallorum è finibus exul
Profugiat, sanctum non væneat ære tribunal.
Res indigna tuis est ô Rex Maxime sceptris
Constringi precio leges, legumq; ministros.
Est tibi diues opum, quis nescit? & vbere glebæ
Terra potens, immensum argenti pondus & auri
Quæ tibi fert, doniſq; ferax locupletat omnia, nec te
Teq; tuamq; domum, tibi sunt præsto omnia?
Dira premit facinus fœdum quæ suadet egestas.
Quid iuuat exiguo misere ditescere nummo?
Quid fasces auro sellasq; locare curules?
Crede mihi, occultam trahit improbus ille ruinam
Mos secum, inuoluens varijs tua sceptra periclis.
Namq; auro quicunq; sacros est nactus honores

Hoc agit. hoc vnum ſtudioſo pectore verſat,
Sedulus vt loculos quos euacuauerat amens
Repleat, & ſacri corrupto munere iuris
Sordidus expenſum ceu cerdo recolligat aurum.
Ilicet hinc pretio leges fixæ atque re- (fixæ,
Hinc populi lamenta tui, cui ſanguine multo (nis
Congeſtæ lacerantur opes furto atque rapi-
Inde furor rabieſq; virum, ſæpe inde coorta
Seditio, miſeras impleuit cædibus vrbes.
Quare age & infandam toto fuge pectore peſtem,
Intereat mos ille, tuisq; faceſſat ab oris.
Haud ſecus armorum fugiat te dira libido,
Liuentis placidos plumbi fundantur in vſus
Lethiferæ glandes, teliq; volatile ferrum,
Haſta ſitum patiatur, apes ſub caſſide paſſim
Mella legant, clypeuſq; ſuos amittat honores. (lorum.
Bella ferunt inſana genus Rex omne ma-
Et ſemper varijs involuunt regna periclis

Quæ

Quæ placido nequeant vllo dum fœdere jungi,
Arma cient. Heu sentit adhuc sua vul- (nera, sentit
Gallia, tot cædes miserè, tot funera passa
Vnius ob furias periuraq; pectora. Qui
Fœdere disrupto (infandum) pacisq; se- (dum
Legibus Italiæ vesano cæcus amore,
Parthenopen bello inuadit, Martēq; la- (questræ
Francigenum tantis impleuit cladibus (cessit
Turget adhuc fessusq; gemit, tot fortia (orbem,
Corda virum, galeasq; & Gallica scuta voluens
Sommia cæruleos mutatus sanguine flu- (sub vndas,
Nequicquã tua, nequicquã Rex inclyte (ctus.
Commoda, nequicquam populi ducuntur (captant
Qui placidam exosi pacem bella horrida amore (suadent.
Illos dirus amor, spolijue insana libido
Exagitant, illos iusti sub imagine belli
Exhaurire tuos populiq; è sanguine pra- (plebem.
Conuectare iuuat, miseramq; exsugere

Hos velut inuisum fuge Carole limen auerni
Atq; tui late regni depellito ab oris.
Sunt tibi Franciadum generati semine Regum (belli
Borbonij Heroes, sanguis tuus. Hos neque
Dira mouet rabies, auri neq; dira libido;
Sed patriæ præclarus amor, quam sæpe suorum
Sanguine, sæpe sui capitis discrimine certo
Tutauere, fides horum si iuncta fuisset
Consilijs, haud tot lugeret dira suorum
Funera, sed versis gauderet Gallia fatis.
Hos cape cõsilijs socios, horum vtere fœlix
Ingenio, pareq; lubens ô Maxime dictis.
Hi tibi victas æterno fœdere gentes
Coniũgent, Martemq; tuis è finibus acrem
Ejcient. Placidis surget Pax aurea Gallis.
Pace vigent vrbes, recreat Pax alma cruentis
Exhaustos bellis populos. Pax astra Deumq;
Conciliat genus: excito dat vincere bello
Pacis amor, clarisq; hostem superare trophæis. (role reddis,
Aspice magnanimum quem nomine Caroli
Austriacũ, quãtus sumptis euaserit armis?

Aspice

Aſpice Rex, quot victor ouans de regibus heros (phos?
Egerit armipotens fœlici Marte trium-
Illum pacis amor, trãquillæ & cura quietis
Eximijs placidũ tot honorauere trophæis.
Oderat arma, virosque quibus fera bella mouere
Ardebãt animi, populosq́ agitare quietos,
Nec niſi cõpulſus, ferroq́ coactus, & armis,
Multa dolens animo, fatalia bella ciebat.
Hunc ſequere, egregijs hunc ô Rex Carole factis (ceſſent
Et virtute refer. Pax floreat, horrida
Bella, gematq́ tuis rigide cõſtricta catenis
Regum pernicies, & publica peſtis Enyo.
Aethere Iuſtitia deducta & Pace vigẽte,
Rex ſuper eſt penitus falſis paſſimq́ revulſis
Cultibus, vt veri tandem inſtaurentur honores
Cœlicolum Regi. Quid enim Rex maxime ſceptris
Imperioq́ tuo dignum magis, vndique quam ſi,
Fraudibus euerſis varijs, technisq́ nefãdis
Arte tua, vigeat totum diuina per orbem

Relligio, ritu haud quaquam temerata prophano.
Nonne decet toto venerari pectore? nonne
Laudibus efferri innumeris votisq; vocari
Aetheris autorem summi, terraq; mariq;
Rectorem, nostræ quanquam nil laudis egentem?
Ille dat esse, dat ille frui vitalibus auris,
Ille dat erectis cœli conuexa tueri,
Aeternumq; facit tandem supera alta tenere.
Quid natum illius memorem? qui sanguine nostrum
Asseruit genus effuso, lethoq; redemit
Addictum, subiens lethum crudele. Quid? annon
Hunc summa pietate coli, precibusq; cieri
Assiduis fas est? Hunc nostræ nonne salutis
Autorem solum par est agnoscere? nonne
Eluere omne scelus? mores abolere nefandos,
Quicquid & illius veros obscurat honores? (recluſit
Res grauis est, tamen audendum, Deus ipse Obstructos

Obſtructos aditus, etiã quos poſcat honores
Quaue coli ratione velit, quæ ſacra requirat
Edocuit, terras habitans, moremq; ſacrorum
Inſtituit placitum: Fas hunc ſeruare, nec vlli
Figmento licet aut ritu violare nefando.
Quare age, fac vigeat Francorum Carole terris
Relligio, Pietaſq; tuis, hæc debita ſceptris
Gloria, fac varios tandem perpeſſa labores
Gallia, Iuſtitia terris & pace recepta
Floreat: atq; tuæ ſurgant ſecla aurea genti.
Tunc tua Vendocinus ſublimi carmine vates
Facta canet, rapidas Ligeris ſtridentis ad vndas,
Illius altiſono celebratus Carole plectro
Dardanium heroëm fama pietatis, & auſis
Aeacidem vinces, quamuis hic vate triumphet
Mæonio, Diuino quamuis fulgeat ille
Carmine, grandiloqui viuat Muſaq; Maronis.

Pictauij An. 1561. menſe Ianuario.

XXIX.

Doctissimo ac ornatissimo viro D. Georgio Cassandro, domino & amico suo honorando. Coloniæ.

S. P.

Ecclesiastica: Iudicium Hopperi de libro Cassandri cui titulus, De officio pij viri.

ACcepi literas tuas, optime Cassander, quæ mihi gratissimæ fuerunt, tum quidem per se, tum quidem quod abs te profectæ, homine doctissimo amicissimoque, cuius mihi nunquam ex animo discedit memoria. Libros quos vna misisti, videram quidem prius, nam suum Balduinus ipse mihi donarat, alterum communicarat Birckmannus; sed hoc tibi persuade, non minus acceptos fuisse, quam si nunquam vidissem: adeo delector literarijs munusculis veterum amicorum. Cui & hoc accessit in hac re, quod ista occasione notitiam, & vt spero amicitiam mihi conciliasti Sudermanni, hominis quantum ex parua hac consuetudine deprehendere potui, & doctissi-

doctissimi & modestissimi, & mira morum suauitate. Quod iudicium meum de scripto defensionis libelli de officio pij viri exquiris: næ tu quidem longe vltra crepidam sententiam me rogas; sed tamen sic habe. Non solum à me diligenter lectum eum librum, sed etiam effectum, plurimi vt legerint & cognouerint & probarint. Nam vti natura paci ac tranquillitati sum deditus, idq; tam publice quam priuatim sæpe ostendo, quantum quidem in me est: ita non possum non mirifice eorum studia probare, qui constituendæ & pacificandæ Ecclesiæ authores se præstant ac duces. Quales quidem nonnullos vtinam Tridentini Patres ad se curarent euocandos! confiderem enim per eos posse effici, vt non modo prauis opinionibus, sed & malis moribus Ecclesia repurgaretur, in quo vno salus consistit Reip. Christianæ. Qua de re quoniam non inelegans hic extat libellus, in his Prouincijs vt videtur natus, quem à stu-

dio & ingenio tuo minime puto alienum; curabo eum describendum & ad te mittendum. Plura scribere non patiuntur negotia, quibus etiam huius tantulæ epistolæ tempus vix potui eripere. Bene vale, optime Cassander, vna cum Cornelio tuo, vel potius nostro, hocque tibi persuade, me totum tuum esse. Raptim Bruxellæ, XII Octobr. M.D.LXII.

T. D. dedititissimus

IOACH. HOPPERVS.

XXX.

Doctiss. atque humaniss. viro. D. Georgio Cassandro. Coloniæ.

S.

Ecclesiast. Theologic. planè abstrusa.

QVibus ego negocijs futurum putabam, vt istuc reuocarer, & vos (quod imprimis cupiebam) statim reuiserem, ea nunc me negocia hic impediunt, & propter Valerandi nostri

noſtri mortem, qui cum vxore hiſce diebus obijt, perturbant. Sed quam inter præſentes communicationem ſtudiorum, & amicitiæ conſuetudinem optaremus, eam abſentes, age, per literas conſequamur. Ego quidem certe ne qua in me mora ſit, operam dabo. Wormaciæ, pacato vtcunque ſchiſmate certatur aduerſarijs ſcriptis. Nullam alicuius conciliationis ſpem video, niſi ſi forte in ea cautione & formula, quam tu mihi & temperanter & religioſe & ſapienter conceptam obiter indicaſti. Vellem equidem, & valde profecto vellem (nam occaſionem bonam video) commentariorum in hoc genere tuorum exemplum aliquod abs modeſtia tua nunc impetrare poſſet vtilitas publica: quod inter amicos ſaltem legeretur, ſine fraude alioqui tua. Ecqua tandem conditione impetrari iſtud abs te poſſet mi Caſſander? Certe tentanda nunc omnia remedia ſunt: & quę ſunt temperata, nunc ſola mederi morbo

morbo posse videntur. Imo verò vt scias nos etiam aliquando quippiam tentasse, mitto ad te Constantinum meum, quem nondum tibi visum esse narrabas. Eum superioribus annis concinnabam cum me ad se Fridericus Palat. paulo ante mortem accersseret, & de Rep. in Comitijs deliberaret. Equidem moris maiorum vehementer sum studiosus. Sed nondum mihi tantum fuit ocij, neque esse patiuntur studia ciuilia, vt quam tu Ecclesiasticarum antiquitatum partem diligentissime complexus es, ego persequi potuerim. Cæperas tu mihi in procinctu prelegere, quod περὶ συνάξεως collegisti, de cuius antiqua formula nunc maxime quæritur. Sed tanto magis doleo integrum mihi opus perlectum non fuisse. Nam & altera nunc causa est, cur istud desiderem. Francofordiam reuersus, reperi Illyrici ad me literas cum libello de Missa ad Palatinum nostrum. Rogat ille meum iudicium de suis Missę antiquitatibus. Ego

id ad

id ad te nunc refero, & libellũ ipsum mitto, de quo quid sentire debeamus, familiariter nos moneas, vt de qua re tam multi multa confuse balbutiunt, recte & distincte respondere aliquando possimus. Mortuus est hisce diebus Heidelbergæ vnus Scholæ nostræ Theologus M. Henricus. Vtinam res tuæ tuique Cornelij ita ferrent, vt illi succedere non recusares! Scio nolle te, ne istic quidem, talentum defodere, quod tibi Dominus credidit. Sed publicum magis fieri aliquando etiam optarem. Noster Palatinus nunc tandem serio videtur agere de scholæ reformatione. Fortasse & hoc exemplo excitabitur vester Cliuensis. Bibliothecæ vestrę indicem, qualem mihi Cornelius tuus promisit, expecto, neque ocioſum esse patiar. Velim in eo describi insigniores sententias, quales & tu iam in ijs, quæ circumfers, Collectaneis descripsisti. Quod ad me mittere voles, recte per hospitem meum Wallet

Worma-

Wormaciam mittes M. Iacobo Medico. Heri hic fuit Farellus cum Beza. Implorant deprecationem Principum Germ. quia Lutetiæ infiniti homines capti sunt, qui clam conueniebant. D. Cornelio tuo & nostro salutem plurimam dico, ad eumque etiam scribere, cum ad te scribo, mihi videor. D. del Leuo quoque salutem dici velim ad quem scribam domum reuersus. D. Casp. à Nydprug libellum per te meum mitti velim. Philippum qui me vocat, breui reuisam, & si quid sit, ad te scribam. Vale, Francoford. Idib. Octobr. 1557.

BALDVINVS *tuus.*

XXXI.

Ornatiß. clariſſimoq. viro, D. Cornelio Valtero Gandenſi. Bonnam.

Priuata. Politica. Varia.

METellus Valtero S. Ad te mitto monitorium mandatum iudicis executoris compulsoriarum, extra-

extrahendis iuribus & instrumentis, probationi valoris fructuum capellaniæ, de qua te rogaui, faciendæ. A te summopere peto, velis tantum in me beneficij conferre, quantum res exigit, hoc est, si Abbatissa difficilem se præbuerit, in dandis regestis, & litteris fundationis, cæterisque documentis, ex quibus quæ requiro constant; cures hoc ipsum monitorium ei insinuari per Notarium, & eius exemplum tradi, quod his iunxi papyraceum. Necesse vero fuerit, à tergo alterius, quod est scriptum in membranis, per eum ipsum Notarium adscribi insinuationem. eumq; dum insinuabit, petere dicta regesta, litteras, ac cætera. Si opponatur, Monitorium non esse sigillo munitum, non refert. Potest enim Notarius insinuationem adscribere, sub clausula, si illi ita videatur, saluo sigillo &c. Hæc tibi perito litium frustra scribo. Si dabit Abbatissa, exscribantur in forma probante, & cumprimum remitte membranis scriptum

ſcriptum monitorium, cum notula à tergo inſinuationis; vt procedatur contra negantem per cenſuras. Scribe, amabo te, quid egeris. Tibi quidem negotium ita commēdo, quam qui maxime. Potes me ſane multa moleſtia liberare; ſi parumper diligentiæ, mea cauſa, etiam deambulans, adhibueris. Præter Abbatiſſam, eſſe puto qui hæc ſciant. Canonicos nimirum eius Eccleſiæ, in qua Capellania ac Nonnæ ſunt, ex quibus certior fieri potes. Heri litteras accepi Antuerpia, plenas rerum nouarum. Hæc habentur in ſumma; Saxoniæ, Brandeburgenſemque VII viros, Henricum quoque Brunſuicum, & Philippum Cattorum Principem, Lubecæ conuenturos, componendæ Suecorum Danorumque Regum controuerſiæ. Si ita eſt, quid putas, tantos exercitus otioſos fore? præſtaret omnes eo confluere, ne vos, ne noſtri, vel noui tui Epiſcopi, galeis pro mitris vtantur. Condeiani Germani, in Heduis

nondum

nondum sacramento soluti, immo nec pecunia, delitiari superioribus proximis diebus dicebantur. Sequanis meis imminent. Sed locus hic sacer est pueri, extra meijte, & hoc ego cupio. Gallis idem scribit nondum partam esse pacem. Nam, quod maris præfecto periculum vitæ à Guisijs, per insidias fuerit; iam audisti: tum maximas turbas concitari, & iam apertis inimicitijs vtrosque committi, factum detestantibus omnibus Condæanæ factionis proceribus. Itaque Condæus, qui nunc in Regia est Lutetiæ, Equitum Magister, Mommorancius Filius, ostendisse feruntur Senatui secretiori Regio; se, contra Guisiorum vim, si res postulabit; minime, salua Caroli Regis Maiestate, defuturos Castillonijs. Regina Mater, ne latius hæc flamma serpat, quam potest dat operam, atque Proceres cohortatur, vt regni ruinas instaurent; & hostem ceruicibus imminẽtem Britannum, coerceant. Nullis enim is condi-

cionibus adduci potuit ad concordiam. Caletum repetit; Gratiæ portum non aliter redditurus, quam si pecuniam uniuersam in eo muniendo Gallus refuderit. & insuper, quidquid æris Condæus ab eo acceperit, bellique damna, restituantur. Quare, iam Gallus eum portum, per Rhingrauium obsidet. aquam deriuauit. sed quanta munitioni sufficiat, nauibus aduehitur. Obsides, Zelandica naui fugerant. ij, qui restituendo Caleto, dati à Gallis, ex Philippico pacis fœdere, dicuntur. sed retracti sunt, infelices. Hispani tui, quid? In Africum alterius Mauritaniæ littus Rex Philippus triremes aliquot misit, quæ ferant annonam, & instrumentum omne bellicum, Orano à Turcis & Mauris obsesso terra ac mari, oppugnatoque. Hoc vnum aduersus Africam nobis propugnaculum, Hispanis anchora sacra. Dux oppugnationis Ænobarbi filius, Algieri Regulus. Triremes coactæ Hispali, vetere

tere Bethicæ vrbe, & Neapoli, Carthaginem Hiſpaniæ Tarraconenſis, adpulerunt; quod félix fauſtumque ſit. Ac conſtans eſt rumor, octo naues, ex India, ſaluas adueniſſe, quæ trigeſies centena millia nummûm aureorum vehant; margaritarum lineas perquam multas; coccum; &, ex aduerſo polo nouas noui orbis delicias. Et, ne quid deſit etiam, ſimias, nouis tuis Epiſcopis dono mittendas; quo fallant tædium longæ concionis de reformatione morum. immo monſtra quædam nunquam viſa; quaſi vero, monſtrorum non ſatis nobis ſit in Africa, ac Germania, & iam noua non alantur ab Ericis portenta. Tu qui peritus es hiſtoriarum, iſta me multo melius nouiſti. At, ne omnia perſtringam; ita, vt viſendæ Agrippinæ tuæ cupiditas te non inceſſat, finem faciam; eruditiſſimi viri ac pij, Georgij Caſſandri tui meique memor, quem, & optime valere cupio, ſupra modum; & felicis illius auræ veſtræ munere,

quam ſuauiſſime frui. Vale, Coloniæ. VI. Nonas Quintileis, ∞ D. LXIII. Cum has obſignarem; Accepi, Chryſoſtomum tuum, quingentis millibus excitaſſe Ericum; quo victis in Galliam exercitum ducat, contra Condæanos, quod vt parum veriſimile videtur, ita certum eſt, Elizabetham Reginam XXX millia hominum contra Gallos miſiſſe, tuendo Gratiæ portui. Hæc te ignorare nolui, quo tibi claſſicum canam. Atque etiam, Ericum iter in Brabantiam facturum, vt Epiſcopis arma inferat.

METELLVS.

XXXII.

Clariſs. viro D. Georgio Caſſandro. Coloniæ.

S.

Politica, Priuata de Caſſandri Commen-

QVàm mihi fuerunt pergratæ tuę cum libello literæ, tam triſtis fuit de ſontico morbo nuncius, præſertim

sertim cũ eo tempore maximè mor- *tarijs an-*
bus sæuit, quo eum remitti imprimis *tiquitatũ*
postularet vtilitas Reip. Christia- *Eccleſia-*
næ. Alioqui beatos nũc eos esse iudi- *sticarum.*
co, qui ex huius vitę confusione libe-
rantur. Nam & ego, quò magis ho-
rum temporum intemperiem con-
sidero, tantò magis ad portum aspi-
ro. Quid nunc agatur in orbe ter-
rarum, existimo te ex tuo quoque
lectulo audire posse, adeo turbu-
lenti sunt fremitus. Dicitur quidem
esse de religione certamen: sed
quam aliena ab omni religione sunt
bella plusquam ciuilia? quid dicam
Ecclesiastica? In Gallia affulserat
aliquid spei melioris. Sed ea sunt
partium studia, & eæ factiones, vt
vix vllum sanis & moderatis consi-
liis locum relinquant. Omnes boni
& cordati postulabant aliquam &
diiudicationis & reformationis æ-
quam formulam, quæ res fecit, vt
sæpe tu, mi Cassander, mihi veneris
in mentem, quem vnum noui imprimis dignum, qui in tali deliberatio-

ne audiatur. Sed quam hactenus frustra optaui te tuaque consilia in publicum prodire, tam equidem doleo vehementer, cum prospicio, ecquò aliorum furor præceps ruat. Audiisti antea de tumultibus Gallicis planè tragicis. Vtinam, quæ nunc impendet, non sit multò funestior catastrophe! Verum etsi fractus illabatur orbis, impauidos ferient ruinæ, si eo animo simus, quo esse debemus. Interea intueamur in faciem superiorum sæculorum, & optimarum antiquitatum memoria, nos nostraque studia recreemus. Scio quam sint huius ætatis & iniqua & ingrata & præpostera iudicia. Quid enim rectum esse potest, vbi insani affectus, tanquam furiæ dominantur? Sed credo te iamdudum obfirmasse animum aduersus illa portenta. Qui mihi tuas reddidit literas, affirmauit spei aliquid supereſſe, vt tui Commentarij Antiquitatum Ecclesiasticarum aliquando nobis communicentur. Si dicam nihil mihi antiquius

quius fore, dicam quod & verum est, & sæpe aliàs sum testatus. Sed iterum iterumq; affirmo, in huius ætatis controuersiis nihil esse quod vtilius esse putem. Nam etsi nunc factionum & tumultuum duces sese tantum & suas intemperantes præceptiones audiant: tamen spero fore, vt vbi æstus contentionis deferbuerit, ad saniorem mentem vtrinque redeant, qui de Ecclesia loquũtur, & seriò placideque aliquando intelligere velint, qua de re loquantur. Equidem quantum per scholam iuris licet, illarum antiquitatum præiudicia lubenter consector, & quæ occurrunt vestigia noto. Sed video te id longa obseruatione, iam cumulatè consecutum esse, quod ego nunquam vel longo intèruallo attigero, nisi si tu manum porrigas. Saltem peto vt mutuis nos literis sæpe consolemur, & de hisce studiis per epistolam frequenter colloquamur interea, dum aliqua mihi dabitur occasio tui propius conueniendi.

di. Vale, doctissime Cassander, & tuum Cornelium, meo quoque nomine officiosissimè saluta. Kal. April.

Tuus

FR. BALDVINVS.

XXXIII.

Ornatissimo Doctissimoq; viro D. Georgio Cassandro, Domino suo honorando. Coloniæ vel Duisburgi.

S. D.

Priuata. DIci non potest, ornatissime D. Cassander, quanto mœrore affectus sim, quod ex literis tuis intellexerim te proximis ferijs Paschal. recidisse in veterem iam tuum morbum, quem certe singulis annis semel tibi tantum metuendum esse credebam. Neq; aliud habeo, quod tibi in huiusmodi prælijs tam exercitato dicam, nisi vt te admoneam armorum

armorum tuorum. Nulla autem sunt alia arma, quibus hos sicuti scribis sathanæ colaphos si non euadamus, at certe leuiores reddamus quam preces, sanctæ ex Scripturis cogitationes, quas tibi perpetuas & plurimas vsus, pietas, & eruditio suggererunt. Deumque precor, velit eas ita tibi semper esse prę sentes, vt sancta ipsius voluntas in omnibus, quæ ad te pertinent, finem suum consequatur. Mi Cassander, tanto teneor tui videndi desiderio, vt hoc ipsum ægrius sit quam explicare facile queam, quod per hanc ipsam, de qua tibi toties scripsi profectionem duobus tantum aut tribus diebus consuetudine tua frui licebit. Non despero tamen fore vt ante non longum tempus, si vtrique nostrum vita contingat, etiam mensium aliquot consuetudo Deo volente nobis non denegetur. Ego saltem quando tua mihi beneuolentia, tam ex animo exposita est, aliquam conabor inuenire occasionem per quam id mihi liceat.

De reliquo Vendouillius rursum distulit toties promissam profectionē in mensem Iunium non sine voluntate vt arbitror diuina, vt si ipsi integrum nō fuerit Duisburgum descendere, te Coloniæ reperiamus. Neq; enim dubito, quin ad medium saltem mensem proximum Coloniæ sis futurus. Et fieri potest, vt mora sit longior. Interim tu Campanum viseris, & quæ sint ipsius studia, quid apud ipsum effeceris nobis narrabis. Si istic ne eo quidē tempore fueris, an simus Disburgum profecturi ex Vendouillij rationibus pendet. Ego tantum vmbra ero ipsius, neque mihi licuisset laborante etiamnum Reuerendiss. Domino hinc discedere, nisi hoc prætextu, quia ipse Vendouillius Dominum inuiset, & ab illo postulabit, vt mihi liceat eum comitari. Itaque si Vendouillio nullo modo esset integra tam longa mora, præferēdum mihi esset necessarium officium desideratissimo colloquio ac complexui mei Cassandri. Spero tamen

tamen, ſicuti dixi, meliora, & ſi hæc epiſtola cito ad manus tuas peruenerit, poteris quam primum me admonere, vt etiam, ſi neceſſe ſit, differamus profectionem noſtram. Cum Reuer. Dominum laborare dico, intelligo illum nondum ſibi plane reſtitutum, quamuis Dei beneficio ſperamus fore, vt hac æſtate eandem reſtituat: nam progreſſus quotidie ſunt euidentiores. Hæc autem eſt cauſa, cur ſine iuſta aliqua occaſione minus mihi diſcedere liceat, quamuis obſequium meum ſit plane inane. De turbulentiſſimo atque atrociſſimo bello, quod in Gallia exortum eſt, credo iam famam ad omnes orbis Chriſtiani prouincias eſſe perlatam. Luimus vt mihi videtur hac in parte pœnas ſtultitiæ noſtræ, quod ita ſimus animati, vt diſſidentes à nobis in religione ferre non poſſimus, niſi ſimul eos extinctos velimus, atque extinguere etiam ſtudeamus. Addimus deinde incendio oleum alijs ex cauſis, quæ non minus

virium

virium habent ad alendas has contentiones, quamuis religionis causa tegantur. Orandus ergo summis precibus Deus, vt arma quę ipse certe non excitauit, eripere aliqua ratione dignetur manibus imprudentium, ne dicam furentium, qui regnum amplissimum ac suã ipsorum patriam, pro qua sanguinem ipsi suum fundere debebant, implere parant ciuili sanguine, ac alijs vt dixi sceleratis forte cupiditatibus per patriæ suorumque ruinam indulgere non verentur. Quod si peccata nostra grauiora merentur, hoc tantum supereſt, vt in iustissima Dei voluntate vt possumus acquiescamus. Vale, mi Cassander, ac me precibus tuis Deo commenda. D. Cornelium, si istic erit patremque tuum meo nomine salutabis, ac D. Rhemum, ac magistrum Iacobum. Te salutant Archid. & Lampson. Leod. 22. Maij.

Tuus ex animo

PETR. XIMENIVS.

XXXIV.

XXXIV.

Eruditissimo viro, D. Georgio Cassandro; Theologo præclaro, &c.

Io. Merellus, Georgio Cassandro; De rubo viticoso, quem Hispani çarçam parrillam vocant.

PEtiisti heri à me, per Cornelium Valterum nostrum; vt quæ de çarça parrilla nuper accepi, tibi cõscriberem. Te enim cupere experiri; num ea, articulorum doloribus, qui te valde vexant; mederi possit. Ego; etsi lecto decumbo ex scirrhi molestia; nihil tamen prius habui, quam vt tibi satisfacerem. Si quid enim à me peccabitur, homine Iurisconsulto; clarissimus ille vir Echtius, summus Medicus, totum corriget. Çarça parrilla; quam herbam, docti Smilacem asperam Dioscoridis esse putant; Hispanorum in Indias nauigatione, primo fuit cognita. quod ipsi Indi, ea in morbi Gallici curatione; quo morbo passim apud eos laboratur; vtuntur. At; cum

eum eius capillamenta, quiddam viti persimile referant; Hispani, suæ linguæ nomen ei indiderunt. nimirum; çarçæ parrillæ: hoc est; si Latine vertas; rubi viticosi. Hæc igitur; ab Hispanis ex India, vti Guaiacum lignum, ad nos vehitur. Cuius vsus, primum in Italia innotuit, per Ferdinandum Neapolitanum Medicum, qui de morbo Gallico scripsit, cuiusq; Matthiolus; in suis ad Dioscoridem commentarijs, dum de Guaiaco disputat; ni fallor; meminit. Hic enim, infinitos morbos, ea fertur curasse. Quod accidit Clementis septimi Pontificis Maximi tempore. ad quem; Lusitanorum Regina; decocti, quod ex hac herba fit; descriptionem misit; huic, quam subijciemus, similem. Ea enim est, qua Indi, & Hispani adhuc, vtuntur: quamquam scio; à nonnullis; alijs pharmacis augeri: vti à Falloppio, Guaiaci mixtione, atque passulis: & à Cardano, qui de ea, singulare caput, libris contradicentium Medicorum,

corum, inseruit. ac librum de ea, quem tamen non vidi, fertur edidisse. Sed; cur vetus hæc nostra descriptio retineri debeat; moueor Io. Visbrocij, hominis eruditissimi ac diligentissimi, auctoritate. tum Hispani: qui, ab hinc plus minus annis sex, rerum iam postremo in India; vbi permultos annos militiam secutus fuit, gestarum historiam, sua lingua, minime contemnendam, scripsit. Hic inquam; persimilem nostræ, decocti descriptionem præscribit: totque laudibus, ab experimentis, hanc herbam effert, vt omnibus præferat. Præterea; cum parilla, sit ex eorum pharmacorum, vel herbarum genere; inter cetera præcipua; quæ, occulta quadam vi, suum munus exequuntur, non videtur, ei quid immiscendum. ne ea eius vis, vel immutetur, quod facile contingit; vel tota potius absorbeatur. Quod Smilacem esse diximus; probat quædam Medici Germani ad Matthiolum epistola. quam is, inter suas retulit;

tulit; quod ebulum antea credidiſſet. Sed victus teſtimonio Falloppij, Lucæque Ghini; qui eam ab Hiſpano allatam, Florentinorum Ducis iuſſu, cum alijs herbis contulerunt; tandem fatetur, aſperam Smilacem eſſe. Eſt enim eorum verbis, radix candida, longa, cum multis capillamentis: ita, vt conferentibus, notæ omnes ſmilacis aſperæ conuenirent, & qualitates reſponderent. ſaporis amaritudo, ac vis contra venena. Dicitur morbus Gallicus veneni cuiuſdam particeps; quem parilla quidem curet optime. ac Dioſcorides; folijs & acinis aſperę ſmilacis, vires contra venena quoque tribuit. Eius vires, Galenus, de ſimplicibus medicamentis libro ſeptimo, refert. Atque etiam Visbrocius adſerebat, quendam peritiſſimum pharmacopolam herbarum Ariminenſem, ſtudioſe ex omnibus huius parrillæ ſaccis, qui in Italiam ex Hiſpaniis adſportantur; ſcrutatus, num quod folium in ea, vel radicem magis

magis integram denique repperire posset, diligenter conquisiuisse; ac tandem deprehendisse, nostram smilacem esse. Idemque Matthisius, qui in Hispania Caroli V. Cæsaris Medicus vixit, atq; diutissime Neapoli, mihi comprobauit: ac se, aspera nostra smilace, mulierem penitus in Campania curasse, quæ Gallico fuerit infectissima. Smilacem enim Neapoli repperiri ac Romæ Visbrocius adfirmat. Sed Indicam longe præstare, fatentur ipso experimento, tum quod constat herbas huiusmodi, vi quadam cæli, esse potentiores in India, quam Europa. Atque, ipsam etiam Indiam Orientalem, quam vocant; Occidentali, nobiliora multo pharmaca progignere, vti de Guaiaco quidam notant. Ac certum est, præstantiorem esse parrillam Orientalem, Occidentali. nam, Historicus Hispanus ille, locum nominat, vbi in India, omnium præstantissima nascitur, essequе maximam omnino differen-

tiam, quod ad eius vim attinet, quonam loci producatur. Quare, minime mirum videri debet, si minus in quibusdam operetur, plus in alijs; cum huc ratio referri posse videatur. Nec enim valde parrillam eam laudarem, quæ ex insulis Hispaniæ propinquis, veluti ex Canaria, adfertur. In qua re, nos falli possumus; ac mercatorum fidem, cæci sequi cogimur. nisi tamen quispiam; vnam ab altera, locorum, quod vix fieri, nisi per peritissimos, posse mihi persuasi, indiciis, internoscat. Qualiscumque tandem ad nos mittitur, quæ recentior est, præfertur, & hanc, succus ac viror monstrant. Sed raro recens ex interiori India vehitur, ex propioribus Hispaniæ fortassis insulis ea venit. Fere ergo siccam cupimus. Cuius itaque capillamenta sicca, dum franguntur, plus medullæ ostendunt; ac farinam albam ex ea medulla sursum proiiciunt: ea, ceteris melior, ac recentior, & quæ minus nigredinis, & siccitatis,

ficcitatis alioqui præ se fert. Minus enim, eam succi posse reddere, ex decocto liquet; quia siccior est. At, non inepte quæreretur, quænam huius herbæ partes, cæteris, ad vsum medendi queant anteferri? Et hactenus, Italiam capillamentis vsam Visbrocius respondit, quamquam existimat; vna cum multis Medicis, radicem, potentiore vi præditam esse oportere. Id quod, & gustus capillamentis amarior; tum quod succus in iis magis condensatus quam capillamentis fit, & iis tutius, diutiusque, conseruari innoxius possit, satis arguit. Itaque, radice sola, immò ne quidem capillamentis admixta Italos numquam vti vidit, fortassis, quod ad eos sola capillamenta, numquam vero radix tanta comportetur, vt ad vsum satis suppetat. De anni item parte, quæ propinandæ parrillæ felicior sit, & loco, conuenit; vt eo anni tempore sumatur quod magis caleat: quamquam ver magis calens, & autumnus, in primis

ſpectentur, ſed hoc dicerem; in Italia, & Hiſpania præcipue, laudandum: quia prouincię, Germania, longe magis illæ æſtuent. Frigidis ergo locis, calidiora anni tempora deligi; calidis, temperatiora. Cubiculum in quo ſumitur hoc decoctum, aduerſus omnem iniuriam cæli muniri decet; vti Guaiaco, ac ratio, Medicis omnibus eſt nota. Quo modo vero curet, ſi petis; non infitiabor, experimento multos didiciſſe, hoc fieri occulta quadam vi, quod & de China referunt. Sed, plus Guaiacum, ac Chinam, ſiccare, quam parrillam; teſtantur ij, qui eius vim perſcrutati ſunt. pluſque neſcio quid pinguioris ſucci latentis, continere. Hoc inde facile perſpici; quod, ab omnibus omnis ætatis ac ſexus, omnibus in morbis, innoxie ſumi conſtet. quod tamen, in alteris illis non liceat. Nos igitur facile animaduertere, quod per ſudores fere curet, in nonnullis hoc præſtare, per vrinam, aut potius, per tranſ-

ſpira-

ſpirationem, in paucis, & per ſudores, & per vrinam, & per tranſpirationem. Neque ſtatim curat, ſed ita paulatim corpus adficit, beneque conſtituit; ut id, priſtinis viribus, robori, ac valetudini, reſtituat, velutique iuuentuti, reddat. Immo vero, non modo certum eſt: eam, minoribus expenſis & incommodo ſumi, Guaiaco Chinaque: verum etiam, multo potentius iis, ac citius curare. Neque deſunt Romæ, qui, vel animi cauſa, eam propinent. Quibus morbis ea medeatur, videamus. Et, de Gallico in confeſſo eſt, quem, cæteris certius quidem pharmacis, curat. Hæc enim præcipua eius vis eſt, experimentis perquam multis notiſſima. Deinde, valet maxime contra dolores articulorum. Sed, in vniuerſum plurimi credunt omnibus morbis, quibus Guaiacum & China conducit, prodeſſe. nec enim, ab his, diſſimilis generis videtur. Certe Viſbrocius adſeuerat, eius decocto, fuiſſe ſe liberatum

octennali chiragra, calloſaque duritie, ſecundum axillam, malaque totius corporis aliquot annorum habitudine. Tum Giſbertus Leodienſis Medicus, ea curaſſe confirmatum ſcirrhum, ex Gallico morbo contractum: Becchanumque, qui peritus Mariæ Pannoniorum Reginæ Medicus fuit, in Hiſpania tum tabidum, tum hydrope laborantem, ea ſeruaſſe. Huius, ab hinc ſex plus minus præſertim annis, vſus ita Romæ inualuit, ut frequentiſſime nunc, ad omnes propemodum morbos, cum obeſſe nequeat, iuuare autem poſſit, propinetur. Supereſt, oſtendamus ſumendi rationem; hoc eſt, decocti deſcriptionem. Carça, minute inciditur: deinde, contunditur in mortario: contuſa, in vitreatum ſiue plumbatum vas, conijcitur: in quo, aqua fontana munda, ſi haberi poteſt, ebulliat. Aquæ quantitas, libræ duodecim: çarçæ parrillæ vero, vnciæ quattuor, aut tres. At vero, vas, diligenter obtura-

obturatur, nequid expiret. Sic infusa, calente loco siue foco, per integras horas viginti quatuor, adseruatur: ita, vt ad lentum ignem tamdiu coquatur, donec tertiæ aquæ partes duæ absumantur. Cocta, demum colatur, & ad vsum reconditur, paraturque nouum decoctum, singulis quibusque duobus diebus. Nam, eius vires, citius, quam Guaiaci, aut etiam Chinæ, exsoluuntur, ac pereunt. Mane, ex hoc decocto, pro syrupo bibitur; pondere septem aut octo vnciarum. Hæc est, prioris decocti ratio. Postea, fæces huius parrillæ sic coctæ capiuntur: & iis, libræ duodecim aquæ fontanæ mundæ, superinfunduntur, coquunturque, quamdiu aquæ pars tertia, vel media pars, si potentiorem velis, decreuerit. Hoc secundo decocto æger vtitur: in prandio, ac cœna, pro potu, loco vini, vel ceruisiæ. Est autem, priore minus potens. Sed, quoniam aqua hieme stomacho noxia esse potest, & quocunque tem-

pore, ſenibus, videtur potius tum, & iis, in vino coqui debere, quam aqua. Terminus exhibitionis huius decocti, præſcribitur: ad viginti, vel viginti quatuor dies. Propinatur equidem, effectu mirabili, quemadmodum ſupra docuimus. Hæc eſt vetus ſumendi ratio. Sed, quid ſi duo prioris decocti ſyrupi, ſingulis diebus propinarentur, vt in exhibitione ligni fit: vnus mane, alter, à prandio? Ac, poſt eorum ſumptionem, dormire ciendo ſudori plane conduceret. Nec alienum à ratione fuerit: pluribus viginti quatuor diebus, pro morbi difficultate, ac curationis modo: nempe triginta, vel quadraginta quoque diebus, id exhiberi. Enimuero: minime prætermittendum eſt, neceſſarium omnino fore: ut, antequam exhibeatur: corpus, pro valetudinis ac morbi modo, ex Medici præſcripto, purgetur, & corpus, ad curationis viam, ita præparetur. Et quoniam hoc decoctum, dum tamdiu bibitur, humores

mores in corpore colligit, ac concitat, etiam præcipitur, singulis octo, vel decem ad summum diebus, pharmacum sumi commodum: quo quidem, ij, ex corpore, toti deijciantur. Finita quoque totius decocti sumptione, corpus item purgari debet: nequid noxiorum humorum, in eo, relinquatur, qui parrillæ munus, quod sensim ea exequitur, impediant. At vero, quia eam in vase coqui simplici monuimus, sciendum est, id vas, lutari, quod aiunt, vel terra, vel alia ex materia, posse: inque vasis superiore cooperculo, quod vasis os operit, foramen paruum relinqui, siue orificium, vnde euaporet fumus, quod foramen, obtegitur, dum fumus exeat: nam, nisi alicunde fumus eruperit, vas frangi necesse fuerit. Signum autem ebullitionis, is fumus est: per quod foramen, immittitur bacillus, qui, quantum decreuerit, ostendat. Qui experti sunt, aquæ libram, in sic lutato vase decrescere ferunt horis singulis.

Ego vero, nunquam vase lutato sum vsus, sed aliter obturato. Minus quidem duplici, quod adpellant, vase, in quo, si parrilla coquatur; non decresçet, vel viginti quatuor horis decoctum, vna libra, neque vas etiam nullo relicto orificio, quam diligentissime lutatum, rumpetur. Quæ huiusmodi vase coquuntur, maioris esse vis ac potentiæ, dicuntur. Sed in parrilla, felicior est in simplici vase coctio: quantum referunt, qui eius rei experimentum fecerunt. Hæc, licet minima, oportuit admoneri. Illud autem minime prętereundum est: quod Casanatus Sequanus Medicus, valde probat: nimirum, vt omnes ægroti cibi, in secundi cocti aqua, coquantur: id quod, de China Cardanus primum præcepit. Sic enim fiet, vt & ipse cibus medicatus sit: præterea, vt primus in prandio ac cœna decocti haustus, qui ante esum quoque sumendus est, saccharo condiatur, sacchari quantitas sit cochlear: nam eo conditu potu, aluum

aluum laxari ait; quam, alioqui decoctum, nonnumquam, sub initium præsertim, adstringit. Victus ratio tenuis sit, plenior tamen, liberiorque recipitur, quam illa sit, quam vsus Guaiaci superstitiose peperit, & ad famem prope conuertit. Cibi deligantur optimi; habita morbi, ac virium ægri ratione, quæ omnia Medicis omnibus sunt per quam nota. Ac certe, aliquando conducet sereno, ac clementi cælo, aliquò extra domum, animi causa, deambulare: vtputa, hortis in amœnis; aut alibi: sed lento gressu, ac molli passu. Cauendum autem, ne nimio cibo stomachus oneretur. Per se enim, orexin mouet parrilla, vti medicatæ quædam aquæ sulphureæ; qualis ad Spae pagum in Eburonibus, quę Sauanira potissimum nominatur, tum deambulatio aliquid etiam adpetitui ex decocto excitato addit. Qui vero Gallico morbo cruciantur, abstineant à deambulatione foris: domique se contineant, frigenti

genti aëre: est enim illis frigus pestiferum, quod facile eueniret: vt, cum eorum morbus, præcipue ossibus inhæreat, & circa periostia, dolores eos adfligant: ossa certe, tabem contraherent. Quemadmodum autem, aliquo ante tempore, optima victus ratione corpus præparari conuenit, quam parrilla propinetur, vt melius curet, vimque suam in corpore magis exerat: ita, post propinatam, corpus, aliquanto tempore, bonis cibis refici, similique victu viribus pristinis restitui, decet. Hæc sunt, quæ de parrilla didici: ex quibus, si curari poteris; id mihi supra modum accidet gratum: cui, valetudinem iuuandæ Reipublicæ Christianæ fæliciſſimam, precor: sin minus, quod equidem minime puto euenturum, cum parrillam semper acceperim articulorum dolores comprimere, non quod præstiti, sed quod volui, boni consules, & male adfecto, condonabis fere tumultuariam hanc scriptionem. Est enim hæc prima ac postre-

ac postrema, quam confeci: neque, eius vllum exemplum penes me retineo, quod tamen, per tuos pueros exscribi mihi peto: ne, quædam cogitationes, amicis, qui fortassis parrillam nosse cupient, vel mihi potius, excidant: cum difficile sit, qui parum memoria valeo, multorum quæ hic effudi, meminisse. Vale, III. Calend. Maias. ∞. D. LXIII. Colonia, ex Andreæ.

METELLVS.

XXXV.

Georgio Cassandro, amico charissimo, ad tabernam pinguis Gallinæ Coloniæ.

Sebastianus Castalio, Georgio Cassandro S.

A Dolescentes tua causa libenter iuui vt potui, mi Cassander, & sum equidem lætatus mihi datam occasionem gratificandi tibi in re aliqua. *Primata.*

aliqua. Res noſtræ ſe habent, non vt ego vellem. De pietate & charitate loquor, quæ eſt hyperboreali hyeme frigidior, & eadem in dies magis frigeſcit. Deum precor, vt nobis promiſſum tempus mittere maturet, & labantem conuexo pondere mundum aſpiciat. Meæ res priuatæ alioquin bene ſe habent. Biblia in Gallicum ſermonem conuerti, ſed ea nondum ſunt impreſſa. Nunc paululum quieſco. Morbum tuum ægrè tuli: ſed amantibus Deum omnia ſunt bono. Cornelium noſtrum ſaluere iubeo in Domino quamplurimum. Vale, Baſileæ, XII Aprilis, Anno 1553.

XXXVI.

Clariſs. doctiſſimoq; viro D. ~~Georgio~~ Cornelio Wouters Gaſſandro. Coloniæ.

S. P.

Eccleſiaſt. De vera Eccleſiæ reformatione.

PErgratum feciſti D. Præſidi, clariſſime cognate, quod Germanice illi ſcripſeris, qui mihi Mechlinia reuerſo,

reuerſo, vbi cum D. Cardinali ad introitum eius celebrandum fueram; ſtatim literas tuas communicauit, ecquid eas aſſequi & intelligere poſſem. Quod de remedijs ſcire deſideras, ea nondum quidem publicata ſunt omnia, ſed huc fere redeunt, vt priſcis canonibus in lucem reuocandis, & moribus ac ritibus Eccleſiaſticorum corruptis corrigendis potius, quam alia via qua hactenus fere itum eſt, Eccleſia Dei hæreſibus repurgetur, & priſtino ſuo nitori & integritati reſtituatur. Non poſſunt quidem alia remedia legitima penitus omitti: ſed in hac canonica, quantum quidem fieri poteſt, tota cura incumbimus. Atque vtinam res eo perduci poſſet, vt hinc malis moribus Eccleſiaſticorum hominum ſublatis, illinc odioſis illis quæſtionibus ac diſputationibus nimis ſane præfractis & minime neceſſariis, qui vtrimque pij ſunt homines, ad ea quibus vera ſalus noſtra continetur animum poſſent adijcere:

ijcere: confiderem equidem breui futurum, vt rempublicam noſtram pacatam aut certe minus turbulentam haberemus. Sed vt nos in vno laboremus; valde metuo ne aduerſarij ab ſe impetrari vllo modo alterum patiantur: Quod Caluini nos docet libellus, quem audio prodijſſe virulentiſſimum, aduerſum Caſſandri ſiue Balduini, ſiue cuiuſcunq; alterius, de officio pij viri nuper editum ſcriptum. Sed non ob id tamen noſtrum nobis deſerendum eſt officium; ſed tanto magis audaciusque contraeundum. Nam tota victoria in hoc conſiſtit, vt non vi ac metu, ſed liberalitate ac beneficentia aduerſarios nobis adiungamus. Quod equidem approbante Deo facile puto futurum, ſi intelligant, nos non minus malis moribus noſtrorum hominum, quam aduerſariorum malis opinionibus eſſe infenſos. Quibus ſi accedat, vt incipiant animaduertere veram religionem, non ſubtilitate diſputationum variarum-

variarumque quæstionum constare, sed sola in Deum ac Christum pietate, & aduersum homines amore: non multum amplius repugnaturos confido, quin opiniones illas suas inanes & superfluas missas faciant, & ad veram Ecclesiam repurgatam ac restitutam se recipiant. Ad quam rem quoniam duo exstãt libelli plane aureoli Gregorij Nazianzeni, vnus de moderandis disputationibus, alter de Arrianis, non licere semper & publicè de Deo contendere: quos magna mea cum vtilitate nõ semel perlegi: valde te moneo & hortor, vt & tu, si id nondum factum est, eos in manus sumere semelque percurrere velis. Plura scriberem, sed iam adest Feio qui meas venit accersitum literas, vt cum D. Præsidis iungantur. A Gallis nihil boni expectamus, nisi direptionem bonorum Ecclesiasticorum, confœderationem cum Germanis aliquot Principibus, & deinde magnum bellum prætextu Nauarræ recuperandæ, sed vt priuatus

& ex communi hominum sententia & coniectura hæc dico. Bene vale, optime Cognate. Vxor multam tibi nunciat salutem. Bruxellæ, XXVIII Decembr. M. D. LXI.

T. d. addictissimus

IOACH. HOPPERVS.

XXXVI.

Ornatiß. viro D. Georgio Cassandro. Duysburgi.

S.

Ecclesiastica.

DE Comitiis scripsi antea, & ex aliis audire plura potuisti. Formulam in iis conceptam, qua deinceps vtentur Concionatores Protestantium in quatuor illis articulis inter eos controuersis, lubenter nunc ad te misissem: sed non possum antequam domum sim reuersus. Aliud verò quippiam est de quo nunc ad te referam. Tota Gallia mirabi-

mirabiliter commota est, & in religionis causa tumultuatur. Rex ipse attonitus ita fulminat, vt tamen quid opus facto sit quęrat. Dominus Vendosmius inter proceres primus, qui nunc & est & appellatur Rex Nauarræ, bonis partibus & palam & vehementer fauet. Legatum huc quendam misit, qui me conuenit. Dixit multa miscere quosdam rerum imperitos: sed non placere hominibus in Gallia cordatis, totam & religionis formam, & religionis faciem inuerti, quia neque id possit obtineri sine magna seditione & misera rerum omnium confusione. Sed temperationem aliquam requiri, quæ quod in rebus iamdiu receptis tolerari potest, superbe non repudiet, quodque ex antiquitate Ecclesiastica reliquum est, fastidiose non respuat. Sapientem & sanam eius generis moderationem posse audiri in consilio Regio. Ignosce meo desiderio, mi Cassander. Continere me non potui, quin sta-

tim reſponderem, vnum me noſſe Caſſandrum, qui pręſtare quod quęritur, cumulate poſſet. Placuit ea de re ad te vt ſcriberem. Si vllam miſſionem impetrare potuiſſem, profecto Duysburgum vſque nunc excurriſſem. Sed multis compedibus vinctus retineor. Age verò, verbum intelligenti ſat eſt. Vide quid iam ſtatuere debeas de ea ſiue cautione ſiue formula informatæ Reformationis, quam concepiſti. An quod vnus Caſpar impetrare, ſi vixiſſet, abs te potuiſſet, non impetrabit bonus ille Rex Nauarræ, præſertim cum ea, quam dixi, occaſio ſe offerat? Credo equidem eam eſſe pietatem tuam, vt aliquando non recuſes, illam tuam (ſicuti vocas) Conſultationem conſuli & legi à bonis viris, quibus in tanto Reip. motu mandatum eſt, operam vt dent, ne quid Reſp. detrimenti capiat. Non inſtitui pluribus verbis nunc te vrgere, cum res ipſa te ſatis premat. Reſponſum itaque tuum expectabo.

Magde-

Magdeburgenſes primum hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ tomum, vt proximis nundinis ab Oporino edatur, miſerunt, meque rogarunt vt inſpicerem. Inſpexi. Magnam video rerum molem atque ſyluam. Vereor ne informis materia ſit. Certè faciem hiſtoriæ deſidero. Sed mihi tantum non ſumo, vt de re tanta iudicare adhuc velim. Fortaſſe edetur aliquod ſimul ſpecimen eius commentationis quam in hoc genere informaui. Circumferuntur hic multi libelli famoſi, teſtes inteſtinorum in Eccleſia & diſſidiorum & odiorum, qualia vix in Caſtris aduerſarum acierum ardere puto. Quem das finem Rex magne, laborum? Principes hic quippiam περὶ ἀμνηστίας ſtatuere voluerunt, vt certamina illa ſopirent. Sed quam medicinam hæc vulnera, hi morbi requirant, non ignoras. Opto tibi in ocio Duysburgenſi eam valetudinem, quæ nobis non præripiat, quod ex illo expectamus. Vale, & ami-

cos saluta. Francofurdiæ, Calend. April.

Ex animo tuus

BALDVINVS.

CVm hæc iam scripsissem, ecce libellus liturgicus cum literis tuis, oportune. Reip. gratulor, iam hæc proœmia prodijsse, quæ spem nobis faciunt, fore, vt reliqua consequantur. Illos enim, illos, mi Cassander, Commentarios tuos desideramus; quos tu mihi familiariter ostendisti, sed aliò iam properanti. Scio, quid obstet quo minus in lucem prodeant. Sed cautio profecto aliqua inueniri posset, vt à bonis legi sine tua fraude possint: qui te non solum narrantem, sed & consulentem & iudicantem audire vellent. Et verò non ignoras id esse necesse in hac tanta & rerum varietate, & iudiciorum infirmitate. Quod scribis de supplicio cuiusdam dibaphi: agnosco

agnoſco non fuiſſe inanem decreti Wormacienſis ſanctionem. Si diutius ceſſas ſententiam de ea re dicere, & ciuilia ſtudia, quæ me obruunt, aliquid mihi ocij relinquant, breui edentur leges & iudicia veterum Chriſtianorum de coërcitione hæreticorum. Nam & in Gallia deſiderantur. Neque exiſtimare debes exempla antiquitatis, atque adeo eius in hoc genere conſenſum ab omnibus repudiari propter aduerſariam conſpirationem nouæ factionis, ad terribilem fortè dominationem aſpirantis: cui certe, ſi nullus ſerio ſe opponat, ecquò mox recidemus? Profecto libertatem vixdum natam indigna ſeruitus opprimet. Mitto ad te reſponſionem Philippi ad Staph. quam ille nunc ad me miſit, adiunxi & alteram, quæ ex noſtra Academia prodijt. Vellem quippiam tibi maius nunc mittere poſſem. Ex Polonia ſcriptum ad me eſt, in eam irrupiſſe Tartaros & Moſchouitas, & ingenti ſtrage

edita, abduxisse triginta millia captiuorum. De classe Turcica & Veneta narrantur multa. Sed quid hæc ad te?

Ex animo tuus

BALDVINVS.

XXXVII.

Antonius Dei gratia, Nauarræ Rex, D. Bearn, Dux Vindocinensis, &c.

Respons. ad istas vide in operibus Cassandri. epist. 35.

CVm nihil nobis magis in votis sit, quàm vt religione pura & syncera conseruata seditiones ob eam ortæ in hoc regno sedentur, & multa vitia corrigi, integerque cultus restitui sine proborum hominum atque doctorum ope & auxilio nequeant: te in Scripturæ locis atque in antiquorum voluminibus versatum, vt accepi à multis, tum imprimis à Balduino mihi grato ac probato viro,

ro, rogatum volui, vt quod laboris impendisti in quærendis rationibus quibus conciliari dissidentes opiniones (semina nostrorum malorum) possint, his rei Christianæ difficultatibus, huicque potissimum regno impertiare. Ad quam rem cum permulta te hortentur, tum maximè tua professio, qua te sacris diuinisque rebus dicasti. Conatus certe & voluntas, vt errata corrigantur, nosque totos ad Dei præscriptum componamus, vt trãquillitati salutari consulatur, mihi non deerit. Tu si huic nostro desiderio tuum studium adiunxeris, nos nec ingratos nec immemores tanti officij offendes, & Dei iussis parebis. Vale, Lutet. Parisiorum, Calend. August.

Tuus

ANTONIVS.

Infrà,

SANDRAS.

XXXVIII.

Franc. Balduinus, G. Cassandro S.

Vide respõsionem Cassandri, in ipsius opere. epistola 33.

EGo verò, mi Cassander, cum Francofordię tuas accepissem literas, recta profecturus ad te fuissem, si ea tunc resciuissem, quæ iam cum in Galliam veni, intellexi. Statim atque in aulam Regis veniissem, summi quique proceres qui regio consilio præsunt, familiarissime atq; humanissime mecum sunt locuti de constitutione religionis, reformatione Ecclesię, & partium iam dissidentium quadam conciliatione, huiusq; conditione. Et cum vltrocitroque multa dicta essent de media aliqua formula atque adeo forma pacis Ecclesiasticæ, seriò me rogarunt, ecquem potissimum nouissem arbitrum idoneum ad eam ineundam. Ego (quod aliâs sæpe feceram) te nominaui, iisque ostendi, quas tunc forte mecum habebam literas tuas, quas ante triennium vel quadriennium

nium ad me sapienter atque temperanter scripseras de triplici consensione, animorum, sententiarum, & rituum siue ceremoniarum. Placuit illis tua distinctio. Sed singulas partes fusius exponi sibi necessarium esse videbatur. Ego spopondi, me ea de re tecum acturum esse, vt rei tantæ causa vel te huc pertraherem, vel saltem tuum consilium integrum elicerem. Vides mi Cassander quanta res agatur, & quantus in ea esse possit studiorum tuorum fructus. Vides, quod optare posses, non tua, sed Reip. causa, id nunc tandem quodammodo offerri. Huic occasioni ego te non defuturum esse, planè mihi persuasi, præsertim cum audias, quid petatur. Itaque pluribus verbis tuam pietatem non vrgebo. Sed iterum iterumque petam, ut si venire ipse non possis (quod valde vellem vt posses) saltem ad illos proceres pios, atque inprimis ad Regem Nauarræ perscribas consilium tuum de ratione Ecclesiæ constituendæ,

endæ, retentis quantum fieri potest antiquitatis Ecclesiasticæ legibus,& reliquiis, sicuti scio te Commentarios in eo genere paratos habere, quorum cum aliis communicandorum occasio atque adeo necessitas maior esse non possit. Scito verò eos ingratos non fore qui id abs te petunt. Hæc, vt nunc primum in hanc vrbem appuli, festinanter ad te scribo,& prope tumultuariè. Sed verbum intelligenti sat. Cornelium tuum plurimum salutari velim. D. Rhetio scribam, quod illi gratum fore puto, statim atque hîc quædam propius cognouero. Vale Parisiis, III Calend. Iun.

Fr. BALD. *tuus.*

XXXIX. *Ferdi-*

XXXIX.

Ferdinandus diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator, Semper Augustus.

DOcte Fidelis, dilecte. Cum nobis eximia tua eruditio, ac singularis pietas, ardentissimumq; iuuandæ Ecclesiæ Catholicæ studium magnis laudibus commẽdatum fuerit, in certam spem venimus: tuam præsentiam & operam nobis in quodam magni momenti negotio ad gloriam Dei Opt. Max. ac salutem & beneficium Regnorum & dominiorum nostrorum, atque vniuersæ Germaniæ pertinente, quod modo præ manibus habemus, haud vulgari vsui futuram. Ideoque abs te clementer postulamus, vt quamprimum tibi præsentes literæ nostræ reddentur, dispositis mox rebus tuis priuatis, non graueris huc ad nos venire: quò ad duos aut tres menses, pruden-

Edita et inserta est consultationi

prudentia, consilio, & industria tua vti queamus. Viaticum accepturus c c c Florenorum, cura & opera Ioannis Langij Commissarij nostri Spiræ existentis, & si fieri poterit, aliquot libros etiam Theologicos ad hoc seculum nostrum accommodatos tecum adferas. Feceris enim in his rem virtute tua dignam & nobis singulariter gratam, omni erga te benignitate Cęsarea recognoscendam. Datum in Ciuitate nostra Vienna die XXII. Maij, Anno Domini 1564. Regnorum nostrorum Rom. XXIV. ~~XXIV.~~ Aliorum XXXIIX.

FERDINANDVS.

Inscriptio literarum.

Docto, nostro & Sacri Imperij Fideli dilecto Georgio Cassandro, Theologo.

XL. *Ferdi-*

XL.

Ferdinando Imperatori Romanorum.

REdditæ sunt mihi Maiestatis tuæ literæ, clementissime Imperator, Duisburgi in Cliuia ad tempus commoranti, vigesima die Iunij per consiliarium Reuerendissimi & illustrissimi Archiepiscopi Colonienſis huc ea de causa missum, ex quibus literis Sacræ tuæ Cæsareæ Maiestatis Clementissimæ voluntatem, ac sanctissimum iuuandæ Ecclesiæ iam miserabiliter afflictæ studium libenter intellexi. Atque vtinam huic Maiestatis tuæ de me iudicio aliqua ex parte respondere ac voluntati ac mandato parere & obsequi possim: nam quamuis me iuuandæ & pacificandæ Ecclesiæ desiderio & studio flagrare profitear, tamen iis animi dotibus, quas tanti negotij moles requirit, destitutum sentio. Nam si qua est vis ingenij, quæ sanè est perexigua, eam omnem

continuus

continuus languor & creberrimi morbi cum summo corporis cruciatu coniuncti, auferunt & debilitant, ac omnem studiorum laborem & contentionem prohibent & impediunt. Equidem si quod mihi tempusiam inde ab aliquot annis à morbis & cruciatibus vacuum fuit, id omne cognoscendis huius ætatis controuersiis & fontibus horum dissidiorum inuestigandis, & rationibus, quibus hæc tempestas Ecclesiæ vtcunque sedari, & grauissima hæc dissidia, quibus Ecclesia indies quotidiè magis distrahitur & dilaceratur componi, vel certe, ne maior distractio & dilaceratio fiat, occurri possit, conquirendis impendi. Atq; id tandem deprehendisse videor, assiduis istis & ociosis rixis rem eo deductam, vt vtraque pars ad extrema deflexerit. Quare neminem de his controuersiis & ratione constituendæ Ecclesiæ rectè iudicare posse, qui non animum ab omni adfectu & studio partium abducat, & æquo sincero-

sinceroque animo vnicam Dei veritatem à Christo proditam, & Apostolorum ministerio per vniuersum orbem diffusam, partim literis consignatam, partim antiqua, vniuersali, & perpetua eorum qui Ecclesias post Apostolos gubernandas acceperunt, traditione conseruatam proponat. Quare non alia ratione Ecclesiæ hoc tempore consuli & succurri posse video, quàm si antiqua illius Ecclesiæ sententia & iudicium requiratur, vt ad eius descriptionem & formam, quoad fieri potest, præsens hæc Ecclesia, quæ ab ea propagata est, instauretur: idque potissimum eius Ecclesiæ, quæ ætate Constantini floruit, vt in qua præcipuè omnes controuersiæ de summis religionis nostræ capitibus in conciliis illis grauissimis diligentissimè pertractatæ & explicatæ fuerunt, & Ecclesiæ gubernatio, restituta jam planè libertate, optimis & saluberrimis legibus & decretis constituta. Ex qua non modo quid in singulis

articulis credendum, verum etiam quid in externis ceremoniis obseruandum sit, clarissimè perspici potest. Ea demum illius Ecclesiæ est auctoritas, vt nullus ei Ecclesiæ titulum detrahere ausit. Eoque res iam deuenit, vt vtraque pars adsiduis rixis fatigata, etiam ea quæ ad solas scripturas prouocare solet, ad eius iudicium & arbitrium appellarit, & in eius sententiam quasi compromiserit. Sed hic prolixior esse nolo, cum tua Cæsarea Maiest. doctissimorum, grauissimorum, prudentissimorum, & religiosissimorum virorum copia abundet, qui hæc omnia longe melius explorata, & perspecta habent, vt nesciam quis meus vsus inter tantos viros esse possit. Si quid tamẽ ad tantam rem, quam tua Maiestas sanctè pieque molitur, ex mea tenuitate conferre possim, id quidem libentissime in gratiam Catholicę Ecclesiæ, cui, vt debeo, vehementer adficior, sum facturus. Sed ea est corpusculi huius imbecillitas, vt

tam

tam longam profectionem absque certo vitæ periculo susciperе non possim, cum facillima de causa, & ob leuissimam offensionem in acerbissimos arthritidis dolores incidam, qui ter vel quater in anno recurrentes, magnam anni partem in lecto me detinent, & ad omnem animi & corporis functionem inutilem reddunt. Id quod Reuerendissimo & Illustrissimo Archiepiscopo Colonienſi satis cognitum est. Quare rogo Clement. tuam, Inuictissime Imperator, vt hanc iustissimam meam excusationem in optimam partem accipiat. Interim tamen si quid absens ad eam rem vel scribendo, vel cum aliquo erudito & pio viro, qui ea ad Maiestat. T. referat, conferendo præstare possum, nullum laborem, quod in me erit, sum detrectaturus. Deum vnicum pacis auctorem ex intimis animi affectibus rogo, vt Maiest. T. incolumem conseruet, & tam pium institutum Spiritus sui fauore prosequa-

tur, eruditissimisque & optimis viris, qui T. Maiest. à consiliis sunt, vera rectaque iuuandæ & constituendæ Ecclesiæ consilia inspiret. XIIX Iulij, Anno 1564.

Fideliß.

GEORGIVS. CASSAND.
Theologus.

XLI.

Ferdinandus diuina fauente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus.

Etiam hæc edita: Præmittitur Consultationi.

HOnorabilis fidelis nobis dilecte. Accepimus literas tuas Duisburgi die XVIII, Iunij datas, quibus te excusas, quod propter aduersam valetudinem, qua te maiorem anni partem in lecto detineri ostendis, non possis, sicuti nos summopere cupiebamus, hoc tempore ad nos venire. Id quod nobis valde molestè accidit, cum propter magnitudi-

gnitudinem negotij, in quo tua decreuimus vti opera, tum etiam, quod pro ea benignitate, qua te complectimur, dolemus, te, virum, cuius pietas, doctrina & ardentissimum iuuandæ Reip. studium nobis summoperè commendatum est, morbo impediri, quo minus desiderio tuo iuuandæ & pacificandæ valeas in hac parte satisfacere. Itaque haud grauatim acquiescimus humili & nimis necessariæ excusationi tuæ, qua vtique vellemus tibi non fuisse opus. Cum vero nobis in hac re absens quoque possis & velis inseruire, vel scribendo, vel cum aliquo erudito & pio viro, qui ea ad nos referat conferendo, nos id ipsum benigno abs te animo suscepimus. Siquidem illud etiam futurum nobis est gratum, si quod hic fieri volebamus, domi tuæ conficias, licet fortassis præsentia tua ad rem bene gerendam plurimum momenti allatura fuisset. Est autem illud, quod à te requirimus eiusmodi: Recordamur

nimirum super Articulis Augustanę Confessionis, quæ à nonnullis sacris Romani Imperij Electoribus, Principibus, & Statibus, Divo fratri nostro præclarissimæ memoriæ Imperatori Carolo V. anno millesimo quingentesimo trigesimo exhibita fuit, vna cum Apologia eiusdem Confessionis, concordiæ & vnitatis sarciendæ gratia, ante hac in S. Romano Imperio diuersis locis & temporibus sæpius Conuentus, Colloquia, & Tractatus institutos fuisse, & vtcunq; tales Conuentus & Tractatus non omnino sint sortiti plenum & optatum effectum, interdum tamen inter colloquentes seu disputantes de nonnullis Articulis non postremis quadantenus conuenisse, reliquorum vero qui adhuc sunt in controuersia non vsque adeo magnum esse numerum, nobisq; à multis pijs, doctis, Catholicis, & modestis viris, non exiguam spem factam fuisse, recuperandæ vnitatis & concordiæ in Ecclesia, nec non conci-

liando-

liandorum animorum, qui nunc pernicioſiſſima diffidentia & ſimultate ob Religionis differentiam diſtracti ſunt, ſi manifeſti illi abuſus qui hiſce nouiſſimis & calamitoſiſſimis temporibus in Eccleſiam Catholicam irrepſerunt, expurgarentur, & è medio tollerentur, & quædam quæ magis ſunt poſitiui Iuris, quam diuini, concederentur, ac præterea quædam diſputationes nimis ſubtiles & abſtruſa quarum cognitio, cum excedat captum rudis populi, non videtur vſque adeo illa ad ſalutem eſſe neceſſaria, ad alia feliciora tempora reijcerentur, modo in cæteris, quæ ad fidem & mores ac intellectum & vſum Sacramentorum & ceremoniarum pertinent, probe inſtitueretur. Cum igitur vt Imperatori Catholico, pro ratione diuinitus nobis commiſſi muneris incumbat, ſedulo curare, vt fideles ſubditi noſtri ex errorum & hęreſium laqueis, quibus miſerrimum in modum ſunt irretiti, diuina benignitate eripian-

tur, noſque cenſeamus omnem nobis mouendum eſſe lapidem, vt tandem huiuſce pij voti noſtri compotes reddamur. Cupimus proinde abs te compilari primo quoq; tempore Summarium quoddam doctrinæ Catholicæ, in quo præter antiqua & indubitata dogmata fidei Catholicæ in confeſſione Auguſtana comprehenſa, quæ ſemper fuerunt extra controuerſiam poſita, imprimis explicentur illi omnes Articuli dictæ Auguſtanæ Confeſſionis, qui vel iam hinc inde inter eruditos vtriuſque partis ad concordiam ſunt deducti, vel pro conſtituenda vnitate & quiete adhuc poſſunt ſalua veritate Catholica concedi & indulgeri: adductis præterea rationibus breuibus & ſubſtantialibus, cur in reliquis, qui forte ſupererunt, Eccleſia Catholica cedere non poſſit. Deinde colligantur illi quoque Articuli, qui nunc quidem ab iis qui Auguſtanam Confeſsionem profitentur, contra religionem Catholi-

cam

eam vocantur in controversiam, quibus tamen ipsa Confessio Augustana saltem expressè non contradicit, vel quos etiam ex parte approbat. Postremo recitentur etiam succinctè aliæ quædam opiniones partim reprobatæ, partim etiam fanaticæ, quarum nonnullæ quidem ante editam Augustanam Confessionem, multo maior verò pars ab eo tempore citra orbem Christianum inuasere, quæ nec ipsi Confessioni Augustanæ, multo minùs Catholicæ Religioni congruunt. Ita vt tale Summarium sit quasi methodus quædam, ad quam Parochi omnes & Concionatores in Regnis atque Prouinciis nostris existentes, doctrinam suam tanquam ad regulam dirigant atque accommodent, adeoque probatam & sanam doctrinam ab adulterina & pernicioſa internoscere atque distinguere, & quid ipsis tam in prædicatione populi Dei, quam in administratione Sacramentorum, ac

reliquis Ceremoniis Eccleſiaſticis tenendum vel fugiendum ſit, clarè diſcernere poſsint. Quæ Methodus quo plauſibilior erit, & quò longius fuerit à contentione remota, eò gratiorem & vtiliorem quoque futuram diffidendum non eſt. Deſideramus autem, vt hoc opus abſque omni mora in Dei nomine aggrediaris, & perfectum ilico ad nos tranſmittas: ita namque extrema poſtulat Regnorum ac Dominiorum noſtrorum neceſsitas: neque dubites, hunc tam inſignem laborem Deo, cuius res agitur, acceptum fore, quem nos ſane erga te Cæſarea noſtra beneficentia recognoſcemus.

Nunc vero iuſsimus tibi à Commiſſario noſtro Spiræ exiſtente Georgio Langio numerari centum florenos, quos ab eo accipies, gratiam noſtram de cætero quoque expectaturus. Datum in Ciuitate noſtra Vienna. Die x v. Iulij, Anno Domini M. D. L X I V. Regnorum

noſtrorum

nostrorum Romani XXXIV. Aliorum vero XXXIIX.

FERDINANDVS.

Ad mandatum Sacræ Cæsar. Maiest. proprium.

Tuus

IO. BAP. WEBER.

M. SINGKHMOSEN.

Inscriptio.

Honorabili Docto nostro & Sacri Imperij Fideli Dilecto Georgio Cassandro Theologo.

XLII.

Maximilianus II. Dei gratia, Electus Rom. Imp. semper August.

HOnorabilis, docte, fidelis, nobis dilecte. Quæ fæliciſsimæ memoriæ S. Cæsarei Maiest. Dominus ac Pater noster colendiſsimus, interlocutore venerabili Frederico Archie- *Non edita antehac.*

Archiepiſcopo Colonienſi S. Rom. Imperij Principe Electore, Principe noſtro chariſſimo vſus, atque nos ipſi etiam abs te in componendo corpore quodam ſynceræ doctrinæ ad ipſam antiquitatem veræ Catholicæ fidei propius accedente, quod tamen (quatenus hac ipſa Catholica religione ſalua fieri poteſt) ordine & ſenſu cum Confeſſione Auguſtana conueniat, & aliis nonnullis concordiæ in Eccleſiam Chriſtianam reducendę ſeruientibus, elucubranda, perbenigne iamdudum petieramus: Ea cum tu, pro pio & ardenti tuo veteri in Remp. Chriſtianam ſtudio, libenter te ſuſcipere ſis iam antea nobis atteſtatus; equidem nihil iam planè ambigimus, quin in opere tam ſancto tamque neceſſario quamprimum proſequendo omni ſedulitate, cura, & vigilantia totus iam ſponte verſeris. Veruntamen cum & res ipſa magis ac magis nunc vrgeat, ac proinde nobis quoque ſummæ curæ ſit, ciuſmodi opus

primo

primo quoque tempore perfectum & absolutū habere: iterato te quàm clementer adhortamur, vt, si vlla ratione fieri potest, de illo in mensem vsque Octobrem absoluendo vnicè labores atque inuigiles. Augebit meritum hoc de Repub. tuum maximoperè ipsa opitulandi maturitas, & nobis ex eo prior in te benignitas maiorem in modum accrescet, quâ in tuum aliquando non leue commodum, quàm grata ista tua nobis fuerit opera, egregiè tibi declarabimus. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriæ, XXVI die mensis Aug. Anno M. D. LXIV. Regnorum nostrorum Rom. II. Hungarici I. Bohemici vero XVI.

MAXIMILIANVS.

Ad mandatum S. Cæs. Maiest. proprium.

Infrà,

I. SCHWANBACHK.

XLIII. *Alia.*

XLIII.

Alia.

De vera Ecclesiæ reformatione.

HOnorabilis, docte, fidelis, nobis dilecte. Expectamus etiamnum percupidè abs te opus illud Religionis negotium attinens, quod tibi conscribendum iampridem demandauimus, & quæ tandem moræ causa subsit, quod id non solum ad nos non mittas, sed etiam de eo quid saltem succedat nequaquam adhuc nobis significes, valde miramur. Quando igitur res eiusmodi est, quę nobis indies magis curæ sit ac sollicitudini, quamque proinde diutius differri incommodè planè ferimus, sanè te his etiam iterato hortatum clementer volumus, ne expectatione tanta nos porrò distineas, sed si non totum iam potes absolutum, saltem quantamcunq; paratam habes operis partem, subito hisce acceptis per singularem nuntium nostris sumptibus Spiram, egregio, fideli, nobis dilecto Georgio Langio, cui

cui hæc atque alia, quæ deinceps huc missurus es, ad nos transmittendi curam dedimus, perferendam committas, ac præterea in reliquo etiam operis perficiendo, quacunque potes maturatione & sedulitate insudes atq; inuigiles, vt & ipsum eâdem ratione ad Nos tandem transferatur. Ea autem in re quo expeditiorem te senserimus, eo gratior nobis futurus est labor & opera tua, quam sanè tam necessaria præsertim in re, & à nobis tantoperè exoptata, longius in te desideratum iri, minimè arbitramur. Neq; Nos eiusmodi tuum erga Nos obsequendi studium, benignitate nostra irremuneratum vnquam abire patiemur. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriæ, XVI mensis Decembr. An. MDLXIV. Regnorum nostrorum Roman. III. Hungar. II. Bohemici vero XVI.

MAXIMILIAN.

Ad mandatum S. Cæs. M. proprium.

Infrà. SCHWANBACHK.

XLIV. *Maxi-*

XLIV.

Maximilianus II. Dei gratia, Electus Romanor. Imperator, semper Augustus.

Non edita antehac.

HOnorabilis, Docte, fidelis, nobis dilecte. Allatum est ad nos peroportunè opus abs te nostro iussu conscriptum, quod sane lectum ejusmodi deprehendimus, vt leuem istam in transmittendo moram vel te tacente ipsum satis superque excuset, ac proinde tam accuratam & obsequii plenam purgationem, qua tu apud nos vteris, planè non exegerit. Sunt enim in illo adeousq; maturè omnia, & iudicio, grauitate, & prudentia elimata, vt non expectationem saltem nostrã abunde compensent, sed & nobis iam iis de rebus tractationem feliciter suscipientibus & optatissimum & magnopere profuturum obtingat. Tuum igitur in hoc studium, & opera cum Reipub. toti Christianæ tum nobis imprimis eam desiderantibus tam grauiter,

gnauiter & impigrè nauata, præter quam quod ipsa sui satis abundans sit futurum præmium, à nobis certe singulari insuper benignitate semper recoletur. Et nunc quidem clementis saltem eiusmodi nostri erga te animi significationi, vltra priores centum aureos, alios tibi ducentos Spiræ destinauimus, quos tu à familiari, fideli, nobis dilecto Ioan. Langio, vbi libuerit, tibi numerandos repetes, de cætero, de nostra clementia optima quæque tibi pollicens. Datæ in Ciuitate nostra Vienna Austriæ, die vigesima prima mensis Februarij, Anno post Christum natum sexagesimo quinto. Regnorum nostrorum Romani III. Hungariæ II. Bohem. XVII.

MAXIMILIANVS.

XLV.

Imperatori Cæs. Maximiliano Augusto, Domino suo clementissimo.

Responsio est ad Epistolam sequentem.

QVo tempore, literæ tuæ Cæs. Maiest. mihi Duisburgi Cliuorum per Consiliarium reuerendiss. & illustriss. Archiepisc. Coloniensis reddebantur, quod fuit pridiè ascensionis Dominicæ, ego Xanthis quatuor miliaribus dissito oppido, huc deportatus, grauiter, vt ferè semper, ægrotabam: & metuo ne morbus aggraueſcat. Ea enim modo, ita Deo inscrutabili suo, sed tamen iustissimo iudicio disponente, valetudinis meæ perpetua conditio est, vt singulis pene mensibus vel post hebdomadas sex articularis paroxysmus me inuadat, in lectum prosternat, &, præterquam, quod diris cruciatibus hoc tenerrimum corpusculum affligat, etiam alios morbos, vt febrem, inappetentiam, &c. secum

secum trahat, ita vt etiam cessantibus acerbioribus illis doloribus, semper tamen etiam medio interuallo manus & pedes ita infestentur, vt officium suum præstare nequeant, nec ego pedibus insistere, nec manibus aliquid contrectare commode possim. Adhæc, vix vllum est vnquam interuallum, quod à morbis immune sit. nam aut ventris tormina; aut stomachi nausea, aut capitis dolor, aut catarrhorum defluuia tum in malas & dentes, tum etiam particulares in reliqua inferiora membra, vt collum, humeros, manus, coxas, genua, plantas, &c. arthritici influxus, hoc infirmissimum, ac prorsus exhaustum corpusculum exercent: adde, quod aëris mutatio, aut victus varietas facillime hanc valetudinem, & grauissime offendat. Ex quibus omnibus T. Cæs. Maiest. facile colligere & perspicere potest, prorsus esse ἀδύνατον, vt tanti itineris laborem conficiam. Nihil mihi certe sub omni cœlo optatius

eſſet, quam vt poſſim in hoc tam pio inſtituo, T. Cæſ. Maieſt. religioſiſs. voluntati & deſiderio obſequi. Sed videt T. Cæſ. Maieſt. me diuinitus prohiberi, neque enim ſine certiſſimo vitæ periculo hoc iter ingredi poſſum: quum ſi quando mihi Colonia vel Bonnam, vel in Cliuiam vicinam proficiſcendum ſit, id citra grauem valetudinis offenſionem nunquam fiat. Qui cum noſtræ valetudinis ſtatus ſit, nemo eſt qui me nouit, qui quamuis Reipubl. & Eccleſiæ cauſa, vt exiſtimant, id optaret: tamen huius profectionis auctor mihi eſſe auſit. Fatentur enim id ſine certo exitio fieri non poſſe: quod ſi fiat, nullum prorſus vſum T. Cæſ. M. & Eccleſiæ Chriſti præſtare poſſim. Atque hæc ipſa valetudinis extrema afflictio tanta eſt, vt in poſterum vix meditandi, conferendi, ſcribendi, facultas concedatur: ſi quid tamen concederetur, libenter huic tam pio inſtituto impenderem: ſed ego mihi conſcius ſum quam exiguæ mihi

dotes

dotes & facultatos sint, quæ tam arduo negotio pares esse possint. Ac video T. Cæs. Maiest. non deesse viros doctissimos, prudentiss. religiosiss. qui hoc longe melius, & cumulatius præstare possint. Hoc tantum optandum, vt Deus hominum animos affectibus humanis exutos ad synceram Ecclesiæ pacem inclinet: neque enim hodie recta consilia desunt, sed homines desunt, qui rectis consiliis obsequantur. De T. autem Cæs. Maiest. non dubito, quin Deus eam ita gubernaturus & moderaturus sit, vt in neutrum extremum se abduci, neque in dextram aut siniſtram se impelli patiatur, sed ad mediam & regiam viam ingrediendam directurus sit. Hæc autem via quænam sit, indicat Hieremias. Hæc dicit « Dominus, state super vias, & videte, « & interrogate de semitis antiquis, « quæ sit via bona, & ambulate in ea, « & inuenietis refrigerium animabus « vestris. Rogo itaque atque obsecro « T. Cæs. Maiest. vt hanc excusatio-

nem à necessitate & Dei voluntate ductam, qua nulla iustior esse potest, in optimam partem accipiat, meque in omnibus, quantum diuinitus licet ad obsequium T. Cæs. Maiest. exhibendum paratum esse sciat, nihilque mihi dolere grauius, quam quod in hoc sanctiss. negotio, T. Cæs. Maiest. desiderio obsecundare non possim, vt libenter velim. Dictatum Duisburgi, è lectulo doloris, ipso die Ascensionis Dominicæ. An. 1565.

Fideliss.

G. CASSANDER.
Theologus.

XLVI.

Maximilianus II. Dei gratia, Electus Romanor. Imperator, semper Augustus.

Ecclesiastica. De pace eius sarcienda.

HOnorabilis noster, & S. Rom. Imperij fidelis, dilecte. Constantem illam & synceram animi tui ad rem

ad rem Christianam studio tuo, & labore indefatigabili iuuãdam propensionem iam antea probè cognitam, literæ tuæ, Cal. Aprilis ad Nos datę præclarè nobis denuo comprobarunt; cum præsertim tantopere doleas & temporis breuitate exclusum te, & valetudine non satis commoda præpeditum, ea qua maximè voluisses animi intentione & sedulitate operi tanti momenti reuidendo accuratius & examinando diutius incumbere non potuisse: quod multa interea relegenti illud, & in varia scripta incidenti occurrerint, quæ partim certis locis percommodè adijcere, partim aptius distinguere & dilucidius explicare licuisset. Veruntamen, non est quod quidquam de hoc porro sollicitum te teneat, cuius opera hoc quidem tempore ita planè nobis satisfecit, vt vix quicquam gratius oportuniusve ad institutum nostrum abs te nobis obtingere potuit. Cæterum de te pro ardenti tuo ad rem tam piam

prosequendam desiderio, quicquid porro confidenter cum nonnullis doctis conferendo & interloquendo aut etiam scriptis communicando abs te præstari potest, non minus alacriter quàm quidem corporis tui feret imbecillitas, suscepturo, à Nostro & S. Rom. Imperij Principe Electore, Archiepiscopo Colonienſi spem nobis non dubiam datam libenter quoque & desiderato accepimus. Siquidem id ad negocium nostrum plurimum contulerit, & ad multa alia, quæ in posterum forte occurrent facilius discutienda apprimè commodum fuerit & necessarium. Quare, hoc vnice te quam benigniſſimè nunc adhortamur, vt tam explendi commodius istius piiſſimi voti tui pro vniuersali Christianitatis commodo propagando suscepti: quàm nobis obsequendi & gratificandi studij continui gratia, ad nos ipse quamprimum venias. Supersunt enim paucula quędam ex iis quæ in opere tuo tractantur capitibus,

tibus, quæ sufficienter per literas tractari inter nos incommodè possunt, adeoque non nisi coram, tam per Theologos,& consiliarios,cęteroſque nonnullos doctos nostros copiosius communicata & collata, & ipsi etiam oretenus conferre tecum summoperè cupiamus. Neque apud nos dubium vllum iam est,hac maxime ratione id nos tandem aliqua ex parte assequuturos esse, quo tu animos Principum omnium à Deo inclinari exoptas, hoc est, vt Euangelica veritas sepositis odiis,calumniis, rixis,& partium studiis,synceris animis cognoscatur,apprehendatur,& errores & abusus, qui temporum progressu & malitia hominum accesserunt,veris rationibus corrigendi suscipiantur. Quæ cum ita sint, & hoc solo itinere tantum te Reip. Christianæ in seruiturum intelligas, equidem confidimus planè, te haud grauatè in eo nobis esse obsecundaturum. At ne quicquam eorum, quæ quidem infirmiori corpori tuo

per iter commodissimè seruiant, tibi desit: Nos sanè, præter quod ipsum hoc anni tempus mitius & senibus inualidisq; lenius & amabilius, tibi peregrinanti maximè conducet, & totum penè iter secundo & aduerso flumine aduehendus placidissimè conficere possis: mandabimus insuper fideli, nobis dilecto, Georgio Langio, qui & viaticum abundè tibi nostro iussu suppeditabit: cura etiam Episcopo Spirensi Principi deuoto nobis dilecto tui commissa, vt de lectica tibi accuratè prouideat, qua Vlmam vsque (quod iter est plerunque quatuor dierum) commodissime veharis. Vbi deinde per Erasmum Rancbschnabel ciuem Vlmensem (cuius etiam hospitio veteris) nauem tibi bene instructam, quę te ad hanc vsque vrbem expeditissimè deferat, conduci iubebimus. Scripsimus autem & Electori præfato Colonienſi de necessariis omnibus tibi ex Colonia Spiram vsque nauiganti suppeditandis. Quo in itinere

itinere deuoti noſtri, & S. Rom. Imperij Principes, Electores Moguntinenſis, & Treuerenſis Archiepiſcopi, ad te iuuandum & condignè tractandum, quę ſpectant, benigne liberaliterque mandabunt. Siquidem id eorum dilectiones, iam ante annum quoque nobis omnino eſſe curaturas pollicitæ ſunt, ſi quando ad ipſas venire te contingat. Maturari autem quanto ocyus poteſt profectionem abs te, vel hoc nomine omnino vellemus, vt clementiori adhuc cœlo rediens quoque vti poſſis. Et ſanè quo citius nobis adfueris, eo gratius futurum obſequium in hoc tuum benignius à Nobis agnoſcetur, quemadmodum te facturum nos quidem nihil porro ambigimus, expectaturi breui aduentum tuum. De quo tu, Spiram vt primum appuleris, per literas nos maturè admonebis, vt hic quoque hoſpitium tibi deſignari in tempore iubeamus. Officium autem & operam omnem hac in re nobis impenſam ea benignitate

gnitate & liberalitate ſemper recolemus, vt præter vera illa iuuati abs te inſtituti huius noſtri Chriſtianiſſimi & æterna præmia, à nobis quoque laborem eiuſmodi tuum omnem cumulatiſſimè compenſatum ſentias, de cætero magis ac magis clementiam tibi noſtram demeriturus. Datum in Ciuitate noſtra Vienna Auſtriæ, VIII menſis Maij. Anno MDLXV. Regnorum noſtrorum Rom. III. Hungarici II. Bohemici vero XVII.

MAXIMILIANVS.

Ad mandatum S. Cæſ. Maieſtatis proprium.

Infrà.

I. SCHWANBACHK.

Poſt ſcripta.

QVia S. Cæſ. Maieſtas, &c. intelligit, Electorem Colonienſem percupere, operis tui ad Cæſ. Maieſtatem

ſtatem miſſi inſpiciendi copiam ſibi fieri, equidem ſua Maieſtas, vt in eo illius Dilectioni morem geras clementer annuit. Datum, vt in literis, &c.

MAXIMILIAN.

Ad mandatum S. Cæſ. Maieſt. proprium.

Infrà.

I. SCHWANBACHK.

XLVII.

Ampliſſimo & Clariſſimo viro D. Ioachimo Hoppero, Regiæ Maieſtati Hiſpaniarum à ſecretis conſilijs.

ACcepi his diebus Clariſs. vir literas à D. Guilhelmo Lindano, quem ante intellexeram aduerſus libellum de officio pij viri aliquid eſſe commentatum. Sed, vt verum fatear, tale quale his literis continetur, à

Queritur Caſſander indignè ſcriptũ aduerſus ſe à Lindano.

tur, à viro tam erudito, vt ex eius scriptis appareat, & humano, vt à nonnullis predicatur, minimè omnium expectabam. Verum vt iudicium tibi integrum relinquam, literas ipsius vna cum nostro ad illas responso ad T. Excellentiam mitto, & fidei tuæ iam olim mihi perspectæ committo, obsecrans te, & tuam priuatim conscientiam obtestans, vt tantum tuis istis grauissimis negotiis temporis subtrahas, quantum huic causæ cognoscendæ sufficiat. Confido enim neminem fore paulo modo æquiorem, & præsentem temporis statum prudenter considerantem, qui, si libellum ipsum, reum, eiusque defensionem sinceriore & candidiore animo inspiciat, & expendat, & capita accusationis cum ipsis locis vnde accusatio ducta est, attentius paulo conferat, non iniquius & durius accusationem istam institutam esse pronuntiet. Quod quamuis ex responso nostro satis appareat, exempli tamen causa, vnum hic locum adiungam,

adiungam. Obijcitur libelli auctori quod doceat non metuendam excommunicationem etiam à potentiore, & gubernationem obtinente parte, ob Euangelicorum dogma inflictam, modo in fundamento fidei, & charitatis perstent immoti, charitatis vinculum obtinētes, &c. Quid vero hic aliud dicitur, quam eos qui re ipsa & cōscientia propria à Christo capite, & ab eius corpore, quod est ecclesia, separati non sunt, externa quacunque excommunicationis sententia, in diuino iudicio non teneri. Tales autem esse non paucos, qui in hoc libello describuntur, qui pio sinceroque animo Deum colentes, Christo capiti sincera fide, & membris eius Christiana charitate cohærent: & hanc miserabilem dilacerationem deplorant, & omnibus votis pacem & conciliationem desiderant. Hos verisimile est cum Christi sponsi & capitis ecclesiæ iudicio non damnentur, neq; ecclesiam sponsi & capitis sui iudicium

cium ſequentem damnare velle, & cum propriæ conſcientiæ iudicio non damnentur, neque etiam huiuſmodi ſententia excommunicationis lædi poſſe, vt quæ in peruerſos tantum, obſtinatos, & cõtumaces, Chriſtumque & eius eccleſiam pertinaciter contemnentes, & reuera à Chriſti & eccleſiæ eius ſocietate diuulſos vim ſuam exerceat. Rectè enim mihi Eccleſia Leodienſis aduerſus epiſtolam Paſchalis ſecundi, qua Robertum Flandriæ Comitem ad perſequendam & vaſtandam Eccleſiam Leodienſem propoſita peccatorum remiſſione inuitat, reſpon-
» diſſe videtur, Neminem lædi poſſe
» ab alio, niſi priuslędatur à ſemetipſo.
Et Auguſtinus ad clerum Hippo-
» nenſem. Quid obeſt, inquit, homi-
» ni, quod ex illa tabula vult eum de-
» lere humana ignorantia, ſi de libro
» viuentium non deleat iniqua con-
ſcientia ſua. Idem in Pſalmum 23.
» Inter iuſtum, inquit, iudicem & con-
» ſcientiam tuam noli timere, niſi cau-

ſam

sam tuam. An non libellus aperte loquitur se non de omnibus, qui in illo Euangelicorum appellato cœtu versantur, sed de huiusmodi tantum placidis, quietis, synceris hominibus loqui, quos fatetur numero pauciores videri, cum plerique eorum, qui Euangelici vocantur, eum cœtum qui à Catholica & Romana ecclesia denominatur, prorsus aspernentur, omnemque eius communionem defugiant, nec vt membrum eiusdem corporis amore & misericordia prosequitur, sed vt Sathanæ & Antichristi corpus abominentur? Annon aperte loquitur, vehementer id illi dolere, & eos qui huiusmodi sunt, à schismatis nota eximere non posse? An non subijcit, se de iis tantummodo sermonem habere, quibus hæc acerbitas minimè placeat, quique cum à reliqui corporis societate reiecti ac pulsi videantur, societatem tamen & communionem omnem Christianam cũ toto corpore quam latè patet, animo & voluntate co-

lant? vbi est igitur hic ille venenatus, & à Sathana inflammatus aculeus? Neque hic quicquam sententiæ illi Christi contrarium dicitur, Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: id enim de improbis & nocentibus hominibus dictum est, qui fraternam admonitionem, & Ecclesiæ, post legitimam conuictionem, sententiam, superbè contemnentes, in sua peruicaci malignitate persistunt, nec admites istos & pacificos de quibus libellus loquitur torqueri posse arbitror. Atque ex his, vir prudentiss. facile cætera iudicabis. Cum autem in eadem ferè causa versari videantur, qui in Græcia & Oriente Christi nomen profitentur, non possum apud T. Excellent. præterire iudicium Clariss. viri Bartholemæi à Salingniaco, sedis Apostolicæ Protonotarij, Ordinis equestris militis, ac vtriusque iuris professoris, qui Orientem diligenter perlustrauit, ex libello eius, qui de itinerario terræ

sanctæ

sanctæ anno M. D. vigesimo secundo, Lutetiæ expressus in lucem prodijt. Incolunt, inquit Cyprum maxima ex parte Græci Christiani, tametsi in multis ceremoniis differant à ritu Romanæ Ecclesiæ, nec ideo tamen damnandi sunt, nisi credamus fatuè hominum salutem consistere in ceremonijs, aut magis fatuè, extra Romam neminem posse saluari, &c. Ab hoc non admodum discrepat sententia fratris Brocardi Franciscani in descriptione terræ sanctæ. Quos, inquit, nos damnatos iudicamus hæreticos, vt sunt Nestoriani, Iacobitæ, Maranitæ, Georgiani, ego plerunquo inueni bonos, & simplices esse homines sincerè erga Deum & homines viuentes, &c. Sed hæc obiter, vt intelligas etiam superioribus annis non defuisse è Catholicis prudentes & graues viros, qui à rigidiore hac Theologorum sententia, qui Christi Ecclesiam Romanis finibus metiri videntur, dissenserint. Cæterum, vt ad rem redeamus, non

ignorabam quidem, quod & libellus non prætermiſit, hanc eſſe indigniſſimam & deplorandam pacificatorum conditionem, vt quum ſe inter pugnantes medios interponunt, vtrimque plagas accipiant. Verum ab hac parte, tam graues & indignas plagas non expectabam. Certe hæc res ſtudia noſtra conciliandæ paci inſtituta tantum non reſtinxit, & pacis concordiæque in Eccleſia ſpem propemodū omnem excuſſit. Nam ſi huiuſmodi duriores ſententiæ valeant, nihil pacificationi loci relictum video. Et quis non animum abijciat, cum pios ſuos conatus tam ſiniſtre & indigne accipi & exagitari videat? Quid enim indignius & iniquius, quam modeſtas admoniones, ſycophantias ſanguinarias, blaſphemias, infandas contumelias, venenatos, & à Sathana inflammatos aculeos appellare, & amicas ad ſocietatem Chriſti corporis & Chriſtianam concordiam inuitationes, peſtilentes adulationes, & bis proditoris

toris pacis interceſſiones vocare. « Quate videat Tua prudentia, an expediat hoc tempore huiuſmodi ſcripta publicari, (nam intelligo aduerſus eũdem libellum ſcriptum Theophili titulo eſſe paratum) &, an non potius honeſta ratione auctor admonendus & inducendus ſit, vt vel prorſus ab editione, vel certe ab huiuſmodi acerbiore inſectatione temperet. Cæterum hæc omnia tuæ fidei (vt dixi) committo, & prudentiæ permitto, ac de humanitate tua optime confido. Non audeo te durius promiſſi nobis libelli interpellare, ſed tamen vt fidem aliquando liberes rogare non deſinam. Vale, & nos quod facis ama.

Tuus

GEORG. CASSANDER.

XLVIII.

Doctissimo atque ornatiss. viro D. Georgio Cassandro, domino suo honorando. Coloniæ.

S. D.

Respondet superioribus Hopperus.

DOlet optime Cassander, & quidem vehementer dolet, eam fuisse tarditatem meam in respondendo, vt te iterato scribere, & me officij admonere oportuerit: sed tu, qua es æquitate, causam credo ipse satis perspicis, pondus scilicet negotiorum, cui & accessit profectio Hollandica, à qua, post diutinam absentiam huc Antuerpiam reuersus, hæc raptim exaraui: dico raptim, quoniam & hic negotium fuit, quod in septimum vsq; diem me detinuit, Vt igitur ad literas tuas reuertar, postulas, vt antequam D. Lindano responsionem tuam mittas, ad eam epistolam quam nuper ad te dedit, arbitrium ego meum interponam, quid de vtroque (nam vtriusque exempla

empla ad me misisti) videatur. Videris sane mihi onus imponere Æthna grauius, ac maxime quidem si Iurisconsultum, non autem Theologum me esse memineris. Accedit amicitia, quæ mihi cum vtroque vestrum est, quæ, vti me iudicem aut etiam arbitrum honorarium inter vos constituam, non patitur: sed si quâ vos concordare, nam inter bonos bene agier, & discrepantes in speciem sententias conciliare queam, hoc tibi persuade, me nullam partem studij officijque prætermissurum. Omnino autem ad rem pertinere videtur, vt quid in hoc negotio actum sit intelligas, quod breuiter tibi strictimque commemorabo. Menses sunt tres plus minus, quod aliis de rebus Bruxellam veniens D. Lindanus, quandam suam lucubratiunculam mihi communicauit, quam Theophilus, siue Examen libelli de officio pij viri inscripsit. Eam vt accepi, auide continuo percurri. Inueni libellum, quantum

quidem mihi iudicij est, nec inelegánter nec indocte conscriptum. Vnum non placuit, nimia in reprehendendo acerbitas, & verborum nonnunquam potius quam rerum exagitatio. Sed suspicans non tam vero iudicio ita me putare, quam quod natura leni sum & facili, & fugitans tumultuum, & ob id mihi diffidens, communicaui rem cum alijs duobus Lindani & meis amicis, quos suprascriptam lucubratiunculam quoque perlegisse sciebam. His, idem quod mihi visum est, nec ex re fore Ecclesiæ Christianæ, si ita in lucem proferretur. Itaque, vt apud alios maiores eius rei forte mentio incidit, & illis placuit, nequaquam irritandos aut exulcerãdos esse eos, qui rem Catholicam quoquo modo iuuare, & paci ac concordiæ studere videntur. Quod audiens, retuli ea de re ad D. Lindanum, hortatusque sum, vt si quid esset in eo libello quod offenderet, super eo per literas potius, priuatim, & amice, quam

scriptis

scriptis publice libellis, cum authore communicaret, fortasse re bene intellecta, fore, vt facile conueniat, & vel vnus sententia desistat, vel alter se aliter verba, quam dicta sunt, accepisse, intelligat. His igitur monitis ille parens, vt est sane vir bonus, literas ad te dedit, in quibus si quid reperis fortasse vehementius aut acerbius dictum, rogatum te velim, vt pro tua solita modestia prope singulari, minus grauate id feras: dabo enim operam, vt vbi responsum tuum acceperit, quod nunc hic agens summo desiderio expectat, non solum mitior fiat, verum etiam tibi ac rationibus tuis, quoad eius fieri queat, se accommodet. Vt enim illum ego noui, nihil aliud quærit, quam quod verum & rectum, & cum Catholica religione coniunctum est, quod quidem quoniam & tibi propositam esse existimo, planeque mihi persuadeo; non video quomodo non facile inter vos conuenire queat: tametsi verbis

nonnihil videamini prima fronte dissidere. Ac maxime quidem, si communis aliquis vtriusque amicus se medium interponat, qui & vehementius dicta (nam nulla disputatio sine acrimonia est) mitiget, & aliter quam dicta sunt accepta, declaret, nec quidquam omittat, quod ad vos conciliandos, & rem Catholicam iuuandam, quæ omni scelere hoc tempore laceratur, quoquo modo pertinere possit. Quod de meis commentatiunculis, tam frequenter instanterque me admones: næ aut tu nimis acerbus es creditor, aut ego debitor nimis delicatus. Tu nimis acerbus, si occupationes meas spectes, quibus vel huius tantulę epistolæ tempus vix potui eripere, tantum abest, vt ad commentandum multum otij concedatur. Ego nimis delicatus, si tuum desiderium respiciam, quod nullam moram admittere videtur. Plane vt vtrique satisfiat, cogitaui, ecquid delegatione, quando solutione non possum,

animum

animum tibi explere queam, & alterius commentarium, qui eiusdem argumenti sit, in mei locum ad te mittam, quem vbi videris, curabo enim describendum, significabis, ecquid me liberes, nec ne. Cornelium nostrum, quia tibi alter ipse est, non aliter puto salutandum, quam vt vtrique vestrum literæ hæ sint communes. Metellum autem doctissimum atque amicissimum hominem, quam poteris & officiosissime, & verbis quam amplissimis à me resalutabis. Cura optime Cassander, vt valeas. Arnoldo Birckmanno nostro plurimam salutem. Antuerpiæ, XIX Maij, M. D. LXIII.

T. d. addictissimus

IOACH. HOPPERVS.

XLIX. *Eximio*

XLIX.

Eximio & venerando Domino Georgio Cassandro, Domino suo obseruando. Coloniæ.

Salus in Domino Iesu Christo.

Theologic. De communione sub vna specie.

HONORANDE domine Georgi Cassander, recepi 23. Augusti literas tuas, scriptas postridie Calendas Augusti, & iuxta quod superscriptum fuit, satisfeci tabellario. Fateor, me iam tradidisse opusculum quoddam imprimendum de communione sub vnica panis specie, hoc præcipuè agens, vt declarem quòd communio sub vtraque specie, neq; omnibus à Christo sit præcepta, neque tanquam spiritaliter vtilior, quàm est communio sub vnica specie, à Christo consulta. Fateor quoque, me consultatione illa, quam tuam fateris, in multis offensum. Ideoque, vt consulerem rudioribus, qui ex ea consultatione offendi & scandalizari possent, quædam eius confu-

confutaui. Admonitione enim ſecreta, etiam ſi mihi conſtitiſſet eam conſultationem tuam eſſe, non putaui ſatis vulgo mederi poſſe. Arbitror, cùm opuſculum meum legeris, te idem mecum iudicaturum. Periniquum mihi videtur, vt is qui ſparſis libris in vulgus, ſuam ſententiam liberè dicit, non patiatur etiam alios diuerſum ſentientes, præſertim Catholicos, liberè ſuam ſententiam aperire ante ſecretam admonitionem eius, qui iam ſuam ſententiam publicauit. Puto autem me in dicto meo opuſculo ſequi ſententiam maioris authoritatis, quàm fuerit Cæſareæ Maieſtatis ſententia in materia religionis, generalium ſcilicet Conciliorum. Cæterùm nunquam ego conſcius fui ſcripti, quod ad quendam Collegij noſtri te miſiſſe dicis. Dominus Ieſus Chriſtus te in omnibus dirigat atque cuſtodiat pro me orantem: nam & ego calculo aliiſque morbis mirè diſcrutior. Iterum vale.

vale. Pridie Apostoli Bartholomæi, MDLXV. Louanij ex minori Collegio Theologorum.

V. D. deditus

IOANNES HESSELS,
à Louanio.

L.

Clarissimo viro D. Ioanni Hessels à Louanio, Magistro nostro.

Theologic. De communione sub vtraq;. Vide Epistolas Cassandri, fol. 1209.

CVM mihi T. D. literæ pridie B. Bartholomæi scriptæ XV. Septembr. mensis hic Coloniæ redderentur. Eximie & Venerande D, ecce postridie adferuntur alteræ à T. D. literæ prioribus copiosiores, ad quas mihi quamuis articulorum doloribus afflicto, breuiter & ingenuè respondendum aliquid putaui. Quod itaque ad opus illud attinet, quod de vnica specie imprimendum dedisti, nondum mihi videre contigit,

git, quod vbi legero & firmiores rationes cognouero, nequaquam ijs pertinaciter obluctaturus sum. Ad ea quæ aduersus libellum nostrum in posteriore Epistola obijcere videris, pauca nunc respondere statui, cætera fortassis in illud tempus dilaturus, dum mihi librum T. D. accuratius legere & expendere concedetur. Imprimis itaque præterire non possum, videri alicui posse, T. D. non satis candide agere, cum ex nostra Consultatione lectoribus huiusmodi opinionem affingat, quæ cum mente & proposito totius Consultationis repugnat, nusquam enim in tota Consultatione occasio vlla datur, vt existimet aliquis indignè fieri, nisi sub vtraq; specie Eucharistiæ Sacramentum populus sumat: & detestandos esse eos, qui publice vnica specie contenti sunt, tanquam Christi institutũ contemnentes, &c. quamuis hoc significetur, quod habito respectu ad Sacramentum eiusque perfectionem, magis conueniret

Ruard. Tom.2. ad artic. de Euchar. pag.360.

ret sub vtraq; specie fieri cõmunionem, quam sub altera tantum: hoc enim magis consonum esse eius institutioni & integritati, & refectioni corporali, imo & exemplo Christi, & Patrum primitiuæ Ecclesiæ, qui extra Iudæam (credo etiam & in Iudæa vixerunt. Nam illa verba, Erant perseuerantes in communicatione, fractionis panis, hoc minimè probare agnoscit Reuer. vir Petrus Soto in Institutione Christiana) sub vtraque specie sacram Eucharistiam dispensabant, in Ecclesia etiam Romana. nam in Canone simul complectendo assistentes, dicimus, vt quotquot ex hac participatione, filij tui corpus ac sanguinem sumpserimus, &c. & expressior est mortis Domini representatio. Hæc verba sunt D. Decani celeberrimæ vestræ & nostræ Academiæ, quæ in explicatione articulorum Caietanus Thomæ Summam sequutus, scripta reliquit. Quanquam, vt ingenuè fateor, ijs in hoc assentiri non possum, qui vnum illud

illud periculum irreuerentiæ tot rationibus, ex ratione, perfectione, & institutione huius Sacramenti sumptis, opponendum putent: atque ex eo colligi posse puto, si diligens cautio adhibeatur, vt huic periculo occurratur: quod haud ita difficulter fieri possit, & in veteri Ecclesia, & in Orientis Ecclesiis factum est, vel ex istorum virorum rationibus sequi, communionem illam, quæ publice & solemniter in vtraque specie fit, multo esse conuenientiorem. Et huic sententiæ suffragari videtur Thomas, cum inquit. Quamuis totus Christus sit sub vtraque specie, non tamen frustra: nam primo hoc valet ad representandum passionem Christi, &c. Secundo, hoc est, conueniens vsui huius Sacramenti, vt seorsim exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potum. Non video autem quid absurdi sit, si dicamus plus spiritalis fructus esse posse ex vtraq; specie sumpta quam ex altera tantum, si quis

3. p. Sam. 76. Art. 2.

in vnitate Ecclesiæ vtramq; speciem digne sumat, vel eo nomine, quod ob expressiorem significationem; maior est confirmatio fidei nostræ ex vtroque sigillo corporis & sanguinis noui Testamenti, quam corporis tantum, quamuis iste fructus deuotionem sumentis consequatur, & contra fieri possit, vt laicus quis in altera specie Eucharistiam sumens, plus fructus ob suam pietatem consequatur, quã sacerdos vel alius quispiam vtramq; speciem participans. Quare non sequitur illos debere improbari, qui altera specie contenti sunt, cum vniuersum fructum huius Sacramenti in altera specie consequi possint: nec ideo minus probandi sunt, qui, vbi licet, vtramque speciem desiderant, ob rationes supra expositas, &, quia, vt diximus, communio in vtraque specie, si in se consideretur, expressiorem significationem mortis Christi, & maiorem confirmationem fidei nostræ, per calicem noui Testamenti contineat.

neat. Imo Alexander de Ales scribere non dubitauit, licet illa sumptio, quæ est sub duabus, esset maioris meriti, &c. tamen sumptionem sub vtraque specie, quem modum sumendi tradidit Dominus, esse maioris efficaciæ & complementi. Nec videtur mihi multum dissimilis esse hæc quæstio illi, quæ est de rara & frequenti communione, nam vt rarior communio alicui æque salutaris esse possit, atque frequens, tamen ea, quæ frequentior est, si fiat ab ijs, qui ad eam recte dispositi sunt, in se anteponenda videtur. Quod autem & tuo, & aliorum Catholicorum quorundam nomine postulas, vt confitear eam communionem, quæ ordinarie & solenniter in festo Paschæ sub vna specie, iam inde ab aliquo tempore in Catholica Ecclesia occidentis celebrari consueuit, non aduersari institutioni Christi, ac eius præcepto, &c. nullo modo huic sententiæ pertinaciter contradicendum existimo, ne Ecclesiam Christi

Alexand. in 4. Quæst. 53.

aliquid admisisse dicamus, quod Christi institutioni, & præcepto contrarium sit. Quin potius, vt breuiter, & aperte meam sententiam declarem, quam pios & prudentes in Ecclesia Catholica viros non improbaturum confido, Credo, Christum cum sacramentum corporis sui institueret, & illud discipulis suis edendum daret, verum fuisse Sacramentum, quod ab Apostolis accipiebatur, etiam antequam Sacramentum sanguinis à Christo esset institutum & traditum. Quare ab illis vehementer dissentio, qui existimant in altera specie non esse verum Sacramentum, nisi alterum quoque adiungatur. Ex quo consequitur, horum sacramentorum non tam necessariam esse connexionem, quin ob grauissimas causas, alterum sine altero sumi possit, eamque fuisse mentem Ecclesiæ, quæ ægrotis & etiam sanis domi extra ordinem, in specie tantummodo panis communionem sacram accipere permiserit.

rit. Tertio, & illud ab omnibus, tam veteribus, quam recentioribus agnosci video, licet in altera specie sit verum Sacramentum, non tamen esse plenum, integrum & perfectum, nisi in vtraque specie, ratione videlicet expressæ & perfectæ significationis, tum in representatione mortis Domini, tum in significatione plenæ & perfectæ nutritionis: atque eam ob causam inductos fuisse puto veteres, qui totis mille annis, vt existimo, in solenni administratione huius Sacramenti, in vtraque specie hoc Sacramentum corporis & sanguinis Domini fideli populo, vel seorsim, vel certe pane in calicem intincto, distribuerunt. Quapropter & hodie ob similes causas, & alias nunc exortas, hunc communicandi modum, quamuis ob certas causas ad tempus intermissum, vtiliter & pene dixerim necessario restitui posse: neque ob id aliquid contra mentem atque propositum vel Conciliorum, vel potius Pontificum, qui hanc par-

tem Concilij Constantiensis approbarunt, admittendum. Porro habitum fuisse aliquod discrimen, ordinariæ & extraordinarię communionis apud veteres, non aliunde, quam ex illorum facto & vsu collegi, quos publice in Ecclesia haud temere aliter quam in vtraque specie Sacramentum administrasse manifestum est. Et fatetur D. Decanus, quod tempore Cypriani & Ambrosij in sacris conuentibus de calice omnes bibebant, domi vero corpus tantummodo Dominicum sumerent: quare ad hanc rem Brentio monitore opus non fuit, apud quem nunquam me tale aliquid legisse profiteor. Quod sub finem tuarum literarum scribis, orare te Deum, vt me faciat apertum, & clarum Ecclesiæ Catholicæ, & fidei, quam aduersus hæreticos tuetur, cõfessorem: Item, significare te, multos mihi Catholicos dicere, vsquequo claudicas in vtramque partem, &c. quamuis mirer, vnde hoc tibi in mentem venerit,

rit, tamen quod ea à pio animo profecta putem, in optimam partem accipio, imo pro tam pio erga me studio, gratiam ago, sed tamen nullam huiusmodi scribendi occasionem fuisse puto, vt quæ tacitam & tamen iniustam reprehensionem contineant. Quam enim aperte fidem Catholicam aduersus hæreses profitear, nouit imprimis renum & cordium scrutator Deus, tum priuata aliqua certamina, quæ mihi cum nonnullis Protestantium partes sequentibus fuerunt, & inimicitiæ ac obtrectationes insignium quorundam virorum, huic parti nimium deditorum, susceptæ: & opuscula quædam in hoc argumento edita, vt defensio aduersus calumnias cuiusdam, qui in libro quodam Germanico meum nomen indigne traduxit, & libellus modo editus, qui continet doctrinam Catholicæ Ecclesiæ de Baptismo infantium, cuius ad te exemplum misissem, nisi & paulo crassior esset, quam vt commode transmitti

per tabellarium posſit, & niſi eum ad vos paulo poſt venturum putarem. Multum autem abeſt, vt in vtramq; partem claudicem, hoc eſt, inter Catholicam fidem, & hæreticam ſeu ſchiſmaticam perfidiam medius fluctuem, cum nullam aliam Eccleſiam me agnoſcere ingenue profitear, quam quæ à Chriſto inſtituta, ab Apoſtolis per vniuerſum orbem fundata, ad nos vſque eſt propagata: omnes vero cœtus, qui eam Eccleſiam, quamuis non parum deformatam, & à priſco ſuo ſplendore degenerantem, odioſe & hoſtiliter inſectantur, omnemq; eius communionem vt Antichriſtianam deuitant, & ſibi ſolis Eccleſiæ nomen arrogãt, abominor & deteſtor: quamuis & illud agnoſcam, in agro illo Catholicæ Eccleſiæ tritico admixta eſſe zizania, & aream illam Dominicam, non prorſus eſſe à paleis repurgatam: tamen cum Cypriano prorſus ſentio, quod tametſi videtur in Eccleſia eſſe zizania, nunquam

quam tamen impedire debere, aut fidem aut charitatem noſtram, vt quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodo laborandum vt frumentum eſſe poſſimus. Et cum B. Auguſtino cenſeo, neque propter paleam relinquendã aream Domini; neque propter piſces malos rumpenda retia Domini, &c. quæ noſti. Item & illud credo, ſub titulo Catholicæ fidei etiam fermentum Phariſaicum latere poſſe, à quo pio cuique cauendum ſit, & à quo qui caueat, non ideo tamen à Catholicæ Eccleſiæ puritate recedere dicendus ſit: nec dubito, vt reliquas virtutes, ita & religionem in medio duorum extremorum conſiſtere, hoc eſt, inter Phariſaicam ſuperſtitionem, & ſchiſmaticam ſeu hæreticam impietatem, recteq; ab Eraſmo dictum eſte, cum aliquid tale illi obijceretur, Non male illum nauigare, qui inter Scyllam & Charybdim nauiget, & vt diuinis literis «

magis consentanea loquamur, illum demum rectè incedere, qui Regia via ingrediatur, ita vt neque ad dexteram, neque ad sinistram declinet. Atque illa sunt extrema illa, quæ tanquam vitiosa vitanda puto, quæ si nulla essent, frustra tam multi pij viri iam dudum de corrigendis abusibus in Ecclesia tanto studio monuissent. Neque propterea probo illos, qui ea quæ recta & sana sunt, tanquam praua & vitiata traducunt: sed regulam Apostolicæ doctrinæ, in antiqua, perpetua, & constanti Ecclesiæ traditione explicatam sequendam existimo. Atque huiusmodi medium Prophetas, & pios quosque homines, atque adeo ipsum Christum tenuisse legimus, qui Iudaicæ Ecclesię statu non parum corrupto, ita vitia & abusus reprehendebant & vitabant, vt tamen à communione & societate sacramentorum non recederent, atque ob hanc moderationem Christus, qui & Pharisæos, cum quibus tamen in

externo

externo Dei cultu communicabat, reprehendebat, & Samaritanos cum omni manſuetudine inſtituebat, vtrimque male audijt, vt & à Samaritanis tanquam Iudæus reijceretur, & à Phariſæis tanquam Samaritanus notaretur. Neque huic Eccleſiæ Catholicæ vnitati quicquam decedere puto, ſi aliqua eius membra in quibuſdam controuerſiis, ſumma fidei capita non attingentibus, inter ſe diſſentiant: modo ne pacis & charitatis vinculum abrumpatur. Illud quoque diſſimulare non poſſum: me non omnes, qui adhuc Proteſtantium partes ſibi ſequendas putant, eodem loco habere: quin me putare, non paucos ex illis eſſe viros bonos, ſumma capita noſtræ fidei confitentes, & nulla animi prauitate in erroribus aliquibus perſiſtentes, & grauibus abuſibus, quos in Eccleſia tolerari vident, offenſos, nullo tamen odio ab illa Eccleſia ſeparatos, ſed correctionem abuſuum, & vnitatem ſententiarum vnice deſiderantes,

rantes, quos moderatioribus his rationibus, quibus neque fidei integritas, neque Ecclesiæ auctoritas violatur, ad meliorem sententiam & Ecclesiæ vnitatem reuocari posse video, & ipsa rerũ experientia idem confirmat, qui durioribus & asperioribus nonnullorum rixis & contentionibus absterrentur. Atque in hac sententia optimos quosque, qui hæc diligentius animaduertunt, esse video, & ipsa rerum experientia idem confirmat, cum non paucos hac æquiore via, ad mitiorem & meliorem sententiam reductos esse videamus, & reduci posse confidamus. Atque Deum testem inuoco in animam meam, me nulla alia ratione hanc mitiorem, quam in multis Catholicis viris deprehendi, sententiam sequi, quam quod per eam solam Ecclesiæ pacem aliquo modo restitui posse putem. Illud vero quam longissime à meo ingenio & instituto abest, vt medij alicuius, quod à Catholica veritate recedat,

vel

vel auctor vel sectator esse velim, vel alium portum, in quo tuto acquiescí possit, inueniri posse putem, præter Catholicam Ecclesiam, ab ipso Christo, Apostolorum ministerio supra petram fundatam, quam ne portæ quidem inferi, quamuis non parum concusserint & labefactarint, euertere hactenus potuerunt.

Tuus

G. CASSANDER.

LI.

Eximio & venerando Domino Georgio Cassandro, Domino suo obseruando. Coloniæ.

Salus in Domino Iesu Christo.

Responsio Hesselij ad superiorē.

HOnorande D. Cassander, lectis diligentius literis tuis, ad me datis postridie Calend. Augusti, & à me receptis pridie S. Bartholomæi, putaui

putaui ad te iterum scribendum. Dicis te non posse cogitare, quid prudens Theologus in libello consultationis tuæ reperire possit, quod accuset & reprehendat, cùm tu ipse in eadem ad me data epistola longe aliam des interpretationem, verbis illis memorabilibus Gelasij (quam ego etiam veram puto) quàm dederis in libello consultationis. Voluisti enim ex iis probare, in ordinaria & solenni commemoratione Dominicæ mortis requiri, vt laici vtramque speciem sumant: Ad quod probandum, ea verba, vt ipse in epistola ista exponis, nihil omnino seruiunt. Dum autem Gelasij decretum ex consultatione tua tollitur, multa quæ citantur, simul tolluntur. In ista autem secunda expositione verborum Gelasij, loco illius quod dicitur: hæc sanguinis recusatio, quæ cum corpore vnum mysterium efficit, signum erat abnegationis veri & naturalis in Christo sanguinis: mallem sic vel simili aliquo modo effe-

ri:

ri: Recusatio sanguinis naturalis Christi, sub forma vini latentis, signum erat abnegationis naturalis sanguinis in Christo, prout in propria atque humana specie in mundo conuersatus est, & nunc in cœlo regnat: ne scilicet quis Caluiniano more ea verba intelligat, veluti in Eucharistia dicatur esse sanguis Christi, quia est ibi signum sanguinis, non naturalis sanguis, idem ille qui in Christo sedente ad dexteram patris est. Deinde dicis populum esse docendum, non in vnius vel vtriusq; speciei sumptione, sed in ea tantùm communicatione, quæ à dignis fit, salutarem huius sacramenti fructum consistere. Quod non videtur mihi cum consultatione tua congruere. Quid enim, si populus, dum sic docetur, respondeat, & dicat: Scimus quidem nullum esse sacramenti salutarem effectum apud eos, qui indignè communicant: sed ex libello consultationis edocti sumus, ordinariam & solennem atque publicam

publicam ſumptionem Euchariſtiæ, contra Chriſti inſtitutionem & veterum doctrinam eſſe, & proinde indignè fieri, niſi ſub vtraque ſpecie populus ſumat: Et ideo non poſſumus non deteſtari eos, qui ordinariè & publicè contenti ſunt vna ſpecie, vtpote Chriſti inſtitutum, & veterum doctrinam negligentes, aut etiam contemnentes? Secundò ex conſultatione tua didicimus, plus ſpiritalis fructus eſſe ex vtraque ſpecie ſumpta, quàm ex altera tantùm: Et ideo vnica ſpecie contentos non poſſumus non improbare, tanquam eos, qui minus frugiferum præponunt magis fructuoſo. Dicis etiam eos eſſe probandos, qui dum in Catholicæ Eccleſiæ vnitate vtriuſque ſpeciei vſum conſequi poſſunt, eum præferunt. Et addis, eos qui Eccleſiæ, conciliorum, & diuturnæ conſuetudinis authoritate moti, alterius ſpeciei vſu contenti ſunt, non eſſe odioſius percellendos, nec ſacrilegij condemnandos: Non tamen dicis

eos

eos esse probandos atque laudandos. Vbi significas, Ecclesiæ & conciliorum authoritate eos non laudabiliter moueri: quasi Ecclesiæ & conciliorum authoritati aliquid præponi possit. Et ita deinceps loqueris, quasi vsus vtriusque speciei pro populo à Christo sit institutus atque præceptus, & à veteri Ecclesia, non autem communio alterius speciei. Dicis quoque, hunc esse Ecclesiæ Occidentalis morem. Quasi nunquam fuerit Orientalis, quæ ex præsanctificatis vna specie communicauit suos: aut quasi Ecclesia Orientalis vnquam Occidentalem ob communionem sub vna specie reprehenderit. Dicis præterea, communionem sub vna specie vsurpari extra ordinem. Et aliam facis ordinariam & publicam communionem, aliam extraordinariam & non solennem. Quam distinctionem nec in Scriptura sacra, nec in Veteribus puto inueniri. Legi eam & apud Brentium. Cùm iam dicis

consultatione tua te respondisse Consiliario cuidam Reuerendis. Treuirensis, qui petebat, quibus rationibus & argumentis induci debeant fideles, qui credunt iure diuino non esse præceptam communionem sub vtraque specie, vt calicem petant: satis insinuas, te vnà cum illo Consiliario tanquam certum habere, quòd debeat apud Catholicos reuocari vsus vtriusq; speciei: sed quæsiuit ille, quibus rationibus induci debeant, vt eum petant? Si debet reuocari vtriusque speciei vsus, oportet huius causam reddere? Nec video aliam reddi posse, nisi quia creditur à Christo præceptus. Posset fortè illud (*debet*) significare, quòd prudentia iudicat expedire, imò necessarium esse paci & bonis moribus: Sed hunc sensum agnosceremus esse Consiliarij, si aliquo modo appareret significatio, quòd ipse fateretur Christum non præcepisse vtramque speciem. At cùm non dicat, etiam si

non

non sit iure diuino simpliciter necessarius: sed, etiam si credant, simpliciter iure diuino eum non esse necessarium, vsum scilicet calicis: videtur subindicare, quòd ipse putet eum diuino iure esse necessarium. Parum quoq; in re Theologica mouet me authoritas Cæsareæ Maiestatis & consiliariorum eius contra generalia Concilia. [Nec puto Pontificem concessisse calicem consensu Cardinalium, & (vt aiunt) concludendo consistorialiter. Sed quicquid sit de eius concessione, parum refert, cùm ea sit prudentiæ. Hoc vnum T. D. significo, me neque vidisse instrumentum concessionis Pontificis, neq; instructionem Cæsareæ Maiestatis, datam Electoribus ecclesiastici ordinis: sicut etiam non vidi librum tuum, iussu Cæsareæ Maiestatis conscriptum: Quæ omnia summopere videre cuperem. Vidi Germanicè impressam publicationem quandam concessionis Pontificis, qua calicem ad Impera-

toris instantiam concedit: Sed ea publicatio nullam addit conditionem, cùm T. D. scribat, Pontificem concessisse calicem, certis additis conditionibus. Ex qua re cœpi ingemiscere, cùm aduerterem, eum qui publicauit, & omnes ei consentientes callidè illudere populo, & Hussitarum more agere, dum quod volunt publicant, & conditiones reticent. Et vt libere mentem meam tibi coram Domino Christo aperiam, hoc est, quod à T.D. non per me solum, sed etiam per plurimos Catholicos postulatur, vt apertè confitearis, & publicè, eam communionem, quæ ordinariè & solenniter in festo Paschæ & aliis maioribus festis, sub vnica panis specie apud Catholicos hactenus celebrata est, nulla ratione aduersari Christi Domini institutioni atque præcepto, & apud dignè communicantes totum fructum salutarem sacramenti ex ea percipi: ita vt communio sub vtraque specie non plus fructus

ctus habeat, nec plus Christi institutioni & præcepto satisfaciat, quàm communio sub vnica specie: & hoc non propterea, quia rudes per ignorantiam excusantur, aut quia veritas antea non satis fuit declarata, sed simpliciter, & rei veritate per omnia Euangelio respondente. Hanc enim cõfessionem requirit definitio Concilij Constantiensis & Tridentini, quibus omnes rationes in oppositum cedere debent. Et quia in Domino Iesu Christo confido, te has meas literulas eo animo acceptu-rum, quo eas scribo (coram Deo enim in Christo loquor, me vnicè orare ipsum Dominum Christum, dum hæc scribo, vt T.D. ad propriam tuam salutem & multorum aliorum, dignetur facere apertum & clarum Ecclesiæ Catholicæ & firmissimæ fidei, quam contra hæreticos hodie defendit, confessorem) significo tibi, Catholicos plurimos pio desiderio tibi dicere: Vsquequo claudicas in duas partes? Si Dominus est

nus est Deus, sequere eum: si autem Baal, sequere eum. Si Protestantes (vt aiunt) sunt veritatis & synceræ fidei præcones, sequere eos apertè: Si autem (vt re vera est) Ecclesia Catholica, hoc est, Papistica, est ea, quæ fundata est ab Apostolis super petram, aduersus quam nunquam præualebunt portæ inferi, sequere eam: Nec confidas te tuo ingenio inuenire posse præter eam aliquem tutum portum, in quo securus acquiescas. Obsecro te per misericordiam Dei, crucem Filij eius, & charitatem Spiritus illius, memento frequenter illius terribilis sententiæ Saluatoris: » Qui me erubuerit, & sermones » meos, hunc filius hominis erube- » scet, &c. Quis sermones Domini erubescit, nisi qui Catholicam Ecclesiam eiusque sententias confiteri erubescit, quam prophetica Scriptura, & Euangelica, & Apostolicæ epistolæ, ipsaque in hanc vsque horam fidei & pietatis, per Christi protectionem perseuerantia tam per-

spicuè

ſpicuè commendat? Plantatio quæ contra hanc inſurgit, ſiue à Proteſtantibus, ſiue ab his qui inter Catholicos & Proteſtantes, veluti medij vtroque extremo ſe intelligentiores reputant, quia à Patre cœleſti non eſt plantata, eradicabitur: ſicuti antiqua Satanæ zizania quamplurima iam (laus Deo) eradicata videmus. Videt qui te & me iudicabit, quo affectu hæc tibi ſcribam. Quapropter obſecro, ea expendere digneris. Vale in Chriſto. Louanij, ex minori Collegio Theologorum, XXIX. Auguſti, An. 1565.

T. D. in Domino Ieſu Chriſto, & propter eum frater IOANNES HESSELS *à Louanio.*

LII.

Optimo atq; doctiſs. viro D. Georgio Caſſandro ſuo.

S. P.

Eccleſiaſtica.

CLariſſimus vir, Cancellarius noſter, ad diem VII huius menſis ad me mittebat tuas, & Mercatoris noſtri literas, mi doctiſſime Caſſander: Sed cum per eum ipſum tabellarium me Cliuos vocaret, egoque vererer ne ſoluto flumine impedirer à reditu, ita feſtinato vltro citroque cucurri, vt reſponſum in reditum differre coactus ſim. Bene eſt, mi Caſſander, quod amiſſo ad Cæſarem ſcripto illo, maxima moleſtia ſemel defunctus es. Nam niſi aulæ mores mihi non ſatis perſpecti ſunt, in qua nimis multos annos triui, nihilo maiorem reportaturus eras gratiam, ſi diutiſſimè retentum decies ſollicite reformaſſes. Nam illi ex quorum approbatione pendent

in

in illiuſmodi rebus Principum iudicia, fere parciores ſunt in laudandis aliorum laboribus, nimirum vt tribus hîc illic aſſutis verbulis, opus ipſi abſoluiſſe videantur, cæteroqui imperfectum. Verum viro cordato & prudenti ſua rectè facti conſcientia ſatis eſt, eaque animi ſui alacritatem ſuſtentat, ſolidamque à Deo laudem expectat, cui in primis opellam ſuam conſecrauit. Quod tuum nomen in catalogum illum inuidioſum ſit per maleuolorum hominum artes relatum, eo mihi dolet magis, quo te id grauius ferre animaduerto, quanquam apud eos, qui res ipſas iudicant, tibi illud tuiſque ſcriptis infamiæ futurum non eſt. Quis enim neſcit, vt nullo cum iudicio, ita maxima cum inuidia Indicem illum eſſe comportatum & conſutum? Quis Ieſuitarum importunam impudentiam, & coniunctas cum hac virtute mirificas ad quæuis eccleſiaſtica munia (vt ſic dicam) obrependi artes ignorat? Ego certe perſuaſus

ſum illis ſolis à Concilio permiſſam fuiſſe illam operam. Verum, mi Caſſander, quando noſtri ſeculi ſummum decus & ornamentum Eraſmum habes ſocium eadem illa cenſura perſtrictum, non eſt profecto, quod magnopere tibi illo nomine diſpliceas. Nam Eraſmi nomen, vt Caſſandri, in primam claſſem, Deſiderij vero vt Georgij, in ſecundam retulerũt Ariſtarchi illi aut Ariſtippi verius. Contuli de his rebus cum Recco noſtro, tui certe amantiſſimo: Is affirmat Vicelium ſerio ſibi dixiſſe, optare ſe ſuum quoq; nomen eodem adſcriptum fuiſſe, cum illic Eraſmum videret. Et quis ſcit, mi Caſſander, num ductu diuinæ prouidentiæ in famoſum illud album ſis relatus, quo lubentius tua ſcripta ab ijs legantur, aduerſus quorum proteruas parumq; religioſas nouitates illa imprimis elucubraſti. Ego certe, vt nunc tuæ ſunt res, non ſatis diſpicio, melius ne an peius tibi & tuis ſcriptis conſuluerint homines maligni,

maligni. Nam quin olim temeraria illa censura mutanda sit, ego nihil dubito. Existimat Reccus bene te facturum, si apud Cæsarem atque Pontificem querare te iniquè hæreseos notatum esse, quando nunquam in animum induxisti aduersus Ecclesiam errorem aliquem defendere, sed parere monenti rectius. Mihi vero res tanti non videtur, neq; satis video, quid illis querelis efficeres, quando aduersariis tuis, qui illorum Principum, præsertim Romanensium fores omnes obsident, facile fuerit tria tua verbula in calumniam, malitiosa interpretatione atque callida trahere, quum ne Gropperus quidem, quamuis tantum non ad superstitionem vsq; receptorum rituum assertor, illorum potuerit religioso, si dijs placet, acumini satisfacere. Si quid tamen illiusmodi statues, & me putaueris vllam tibi operam præstare posse, eamque requires, senties animum tuæ famæ studiosum: Sed quando iam primum

ver

ver appetit, ſpero fore vt breui coram de his atque alijs prolixe garrire poſſimus. Reccus enim conſtituit te miſſo carpento huc ad nos, vere adultiore deportandum curare, vt aliquam diu ſuauiter nos tecum recreemus. Et ſi minus ille, ego, Deo volente, vobis non deero ea in re. Quod ſupereſt, mi Caſſander, velim mihi ſignifices, An defenſio Catholicæ traditionis, quam inter tua ſcripta numeras, is dialogus ſit, qui pro libello de officio pij viri editus eſt, an aliud opus. Nam præter eum dialogum ego nullam tuam defenſionem vidi: & ſi alius eſt liber, obſecro, reſcribito, vnde mihi comparare poſſim. Præterea hoc etiam addito, niſi graue eſt, quis ſit ille vir, quem rerum Hebraicarum peritiſſimum vocas, teſtemq; Catechiſmi in vetere Hebræorum eccleſia ad erudiendos τὰς προσηλύτας vſurpati, teſtem laudas in libello de Baptiſmo paruulorum. Sed quando huius libelli mentio incidit, miror te

Ego de Oſiandro ſuſpicor, cuius ſcripta non habeo.

Dauidis

Dauidis Georgij in ipso non meminisse: sed credo te illius insaniam ἀποστασίαν verius, quam hæresin esse duxisse, & fortasse ille baptismum non tanti fecit, vt in controuersiam vocaret. Ego aliquando Germanicum scriptum legi, à Basiliensibus editum, quo hominis illius amentia notata est, verum non memini, an baptismum attigerit. Sed iam prolixior fio quàm constitueram, mi Cassander. Iubeo igitur te etiam ab vxorcula mea, plurimum saluere, & à Recco. Nam Wezius, alioqui toto animo tuus, dum hæc scribo, abest. Vale mi doctiss. Cassander, meoque animo carissime. Ex meis ædibus Zeuenerianis, Idibus Februarijs, M D X L V.

T. D. addictiss.

A. MASIVS.

LIII. *Orna-*

LIII.

Ornatiſſimo, optimoque viro, Dn. Petro Ximenio, Hiſpano Theologo, ac Philoſopho. Coloniæ, ad Dominici.

Iudicium de libro Balduini aduerſus Bezam. & alia Eccleſiaſtica.

Ioh. Metellus Sequanus, I.C. Petro Ximenio Hiſpano Theologo S.D.

Commodum à me diſceſſeras: cum ecce tibi Bircomanus ille noſter, qui Franciſci Balduini contra Theodorum Bezam librum, è Belgis tuis adtulit, rem, mihi certe, ac ni fallor tibi, valde nouam. Quare, prætermittere non potui; quin eum ego ſtatim percurrerim. Cur enim diligenter euoluiſſem; adeo, quam tute probe ſcis, priuatis in illis meis negotijs occupatus? Itaque Georgio Caſſandro, id quod fortaſſis alioqui iuſſiſſes, cumprimum eum dedi deuorandum ſcilicet; cuius, percrebram in illis mutuis controuerſiis mentionem fieri legiſſem. Is igitur, ei perlegendo, quoniam

niam adflicta valetudine tentabatur, totum biduum consumpsit, ea tamen sedulitate, vt; cum ad eum postridie reuertissem, & eius iudicium exquirerem: ipse; res & sententias quas Balduinus explicat, sibi probari responderit; atrocem illam vero, cruentamque, contra Bezam recriminationem, sibi quidem minime omnium placere. Quam ob rem; optare, quæ sui nominis inscriptionem habent; ea, diris huiusmodi scriptis, tamquam à suo, si cuiusquam, ingenio alieniſſimis, coniuncta non fuisse. Neque sane, æquiore animo ferre: quod mutila, non illa integra, proponantur: si iam certe, quibus numquam ipse suum nomen indidit, id Balduinus recte prodere videatur. Longe porro acerbissimum accidisse: quod idem ille liber, toties, ac tam insolenter, Caluinum & Bezam, ad respondendum Defensioni libri de officio viri pij, prouocarit. Existimare enim aliquem posse; hoc, se auctore fieri, quod

quod se tamẽ inuito, tum prorsus inscio, contigit. Deinde: ab omnibus, maxime talibus certaminibus; tam suapte natura, quam nunc aduersa prope valetudine; ita semper abhorruisse, vt, nec eos ipsos viros, licet acriter offensus, vlla iritarit acerbitate, vel insectatione: sed ijs tantum; quam potuit modestissimam, & eam tuendæ profecto famæ suæ necessariam defensionem opposuerit. Hæc ille, totidem fere verbis, quem tu virum ex animo loqui, vt reor, non dubitas. Accepit etiam Optatum Mileuitanum Afrum, contra Donatianos; Balduini nimirum labore castigatum, tum vero prolixa præfatione locupletatum. Eum tu, cum ad nos veneris, excuties. Atque, Antonij Augustini mei testimonio; sed ex antiqui codicis Appuli fide; discres: Cypriani, qui de simplicitate clericorum vulgo dicitur; eum, de vnitate Ecclesiæ, librum, adpellari. Sed, heus tu. Ratumne putas; Ferdinandum Cæsarem; ex auctoritate

ritate Pij Quarti Pontificis Maximi: Germanis sacerdotibus, vxores esse, constituendæ religionis causſa, concessurum? An & ijs, quos λαϊκὸς vocamus, calicem? Ista coram ego tibi, ac breui; clarius atque copiosius: tecumque, de his, ceteriſque multis; meo quidem, hoc est libere, non Aristotelio tuo more, conferam. Vale, XVIII. Kal. Ianuarias. MDLXIV. Colonia Agrippina; ex Andreæ.

IO. METELLVS.

LIV.

Georgius Cassander, Cornelio VVoutero.

S. P.

LIteras tuas, ornatiſs. & ſuauiſs. D. Corneli, Gandaui ſcriptas XVII Ianuarij, ipſe D. Cancellarius, qui eas Cliuis acceperat hic mihi *Theologic.*

Xanctis in manus tradidit, oſtenſis prius tuis ad ſe literis. *Et paulo poſt. XXVI eiuſdem menſis, hoc eſt, poſtridie Pauli.* In quibus tranſmittendis probanda quidem eſt tua diligentia, ſed tabellarius improbior paulo fuiſſe videtur, nam commemorabat D. Cancellarius, ſe XII illi ſtuferos numeraſſe. Equidem facile tibi credo, te malle hic nobiſcum literario otio frui, quam moleſtiſſimis illis negotiorum tricis implicari, ſed hic pietatis in Deum & charitatis in propinquos ratio habenda eſt, quibus hæc officia iure quodam naturæ debentur, quibus tamen negotiis non ita arcte te aſtrictum puto, vt non primo quoq; tempore ad nos excurrere liceat, quod & te facturũ promittis, & vt quamprimum facias, te etiam atque etiam rogo. Velim ſane, ſi quo modo fieri poſſit, vt ante quadrageſimam hic nobis adſis, vel ea de cauſa, vt in futuram quadrageſimam de annona nobis proſpiciamus. Nam non ſatis video,

quomo-

quomodo per hanc quadrageſimam victum mihi commodum parem: & ſi non anteuertas, ſub illud tempus paroxyſmum exſpecto, quem tua præſentia leuari & minui cupiam. Adhæc res noſtræ Colonienſes præſentiam tuam exigunt, vel certè vt aliquis puerorum eo mittatur, qui eas inſpiciat: verendum enim ne tam diuturna noſtra abſentia aliquid ijs damni acciderit. Merito mihi abſolutionem tam difficilis & periculoſi operis gratularis, non potuit enim eius confectio mihi, & valetudine debilitato, & omni ſubſidio deſtituto, nõ eſſe moleſta. Nunc vero vehementer animi pendeo, quam in partem accipietur. Sunt enim, vt noſti, varia & pugnantia præſertim in his religionis cauſis iudicia. Hoc tamen me imprimis ſolatur, quod me ſolius Dei, & conſcientiæ rationem habuiſſe, nihilque gratiæ, aut odio alicuius partis dediſſe, conſcius mihi ſim, quamuis eam moderationem, quam ad con-

ciliandas partes conducere putaram adhibere conatus sim. Atque vtinam hæc nostra opella, tam vtilis ad Ecclesię instaurationem esse possit, quam fuit auide à Cæs. Maiestate expectata! Nam sub primum diem Ianuarij venit ad nos tabellarius, ea causa missus, adferens literas ipsius Cæs. Maiestatis ad nos, quibus se dilationem huius operis mirari significabat, etsi nondum cõfectum erat, vel eam partem quę ad manum esset ad se transmitti iubebat: sed iam Kalend. Ianuariis, scriptum ipsum opera Archiepiscopi Colonienſis, ad ipsius Maiestatem transmissum fuerat, nec dubium, quin iam ad manus eius peruenerit. Quin & Archiepiscopus literis suis iam ante quo loco res esset significauerat, nam id eius Celsit. me ex Cæs. Maiestatis mandato interpellanti, exposueram. Rescripsi tamen ipsius Cęs. Maiestati, atque inter cætera adieci, me vehementer cupere Maiestatis ipsius sententiam & iudicium de eo opere cognosce-

cognoscere. Neque enim me nescire, non pauca in eo esse, quæ eruditorum limam requirant, quin & me ipsum, si longius spatium concessum fuisset, nonnulla fortassis recogniturum fuisse. Hoc enim negotium eius esse generis, vt & plurium doctorum virorum collatione, & longioris temporis tractatione indigeat: Non tamen desperare me, si alij docti viri & amplioribus ingenij dotibus præditi, eam, quam mihi proposui agendi rationem sequantur, eamque animi æquitatem, ac pacis ecclesiasticæ conciliandæ voluntatem præstent, quin hoc nostrum qualecunque exemplum aliquam vtilitatem sit allaturum. In ipso vero opere hoc modo inter cætera concluſi, non dubitare me, nonnulla fore, quæ acrioribus & vehementioribus vtriusque partis hominibus displicitura sint, cum vtriusque partis vlcera attrectentur. Illud tamen ne nimis verum augurium sit, me veteri, aut ecclesiæ vehementer labe-

factatæ ſtatum ad huiuſmodi aliquam formam inſtaurari debere, aut ſi id minus obtineat, nobis ex nobis ipſis certiſſimum exitium imminere. Hæc tibi, chariſs. D. Corneli, pro tempore communicare volui, donec etiam latius confabulari liceat. Sed iam finem faciam, nam & articuli defatigati miſſionem & quietem flagitant. Opto te in Chriſto quam rectiſſime valere, & quam citiſſimè incolumem ad nos redire. Optimæ viduæ cum liberis propinquis tuis omnia fœlicia precor. Salutant te peramanter D. Cancellarius, & eius filius D. Adolphus, qui huc heri Weſalia venerunt, craſtino die abituri. Mirum tibi, hic ſi adeſſes, Rhenus ſpectaculum pręberet. Nam non ſolum homines frequentiſſimi per illum vltro & citro commeant, verum etiam ingentia plauſtra grauiſſimis ſarcinis onuſta multorum equorum labore trahuntur. Quin & magnæ & crebræ moles inſtar montium vel ædium in eo conſpi-

Eadem ad Metellum. In opere Caſſandri epiſt. 93.

conſpiciuntur. Magnaq; calamitas, poſt gelu huius ſolutionem metuitur, magna enim vbiq; vis eſt aquæ iam conglaciatæ, ita vt ruſtici multi aut è ſuis caſis diſcedere, aut in ſuperiore parte ædium commorari cogantur. Deus afflictos omnes conſoletur. Xanctis, ipſo die purificationis Virginis MDLXV.

Tuus

G. CASSANDER.

LV.

Clariſs. viro, D. Georgio Caſſandro Theologo, apud Cleuenſes moranti, Dom. fratriq; ſuo chariſs. in Chriſto Seruatore noſtro.

S. P.

CLariſſime Georgi: Vel recordatione libri tui ad Imperatorem Maximilianum, quem nondum vidi, mirum in modum delector, quid *Theologie. Iudiciũ de Ieſuitis.*

obsecro futurum, si legere contingat opus præclarissimum. Ante totus erat Princeps in tui meique Syngrammatis amicissimo complexu, quam Satanas bellum Transsyluanicum ab imprudentibus parum bene suasum nobis inferret. Bellum, inquam, quo tam Ecclesiæ, quam Imperio nocentius aliud non vidit Germania, quodve Cæsaris nostri Monarchiam ineuntem statim cæde tanta funestauit, ac consilia Saluberrima quæque, & molimina omnia Christianismo restaurando perneceſſaria interturbauit. Qua calamitate publica ita discrucior, Georgi, vt prope tædeat viuere. Nihilo secius nos affligunt, tam qui Papæ, quam qui Lutheri partes sequuntur: inter quos vtrosque Iesuistæ, hypocriticum ne magis ambigo, an malitiosum hominum genus, virulentius nos exosos infestant, quod Ecclesiæ faciem hanc deformem, non aliam, quam vt est hodie, defensam velint, emendationem

huius

huius omnino nolint, ne Seraphicæ ſuæ ſocietatis dæmonizomeno inſtituto deeſſe videantur. Viam Regiam Cęſari commonſtratam abs me vna cum Panegyrico, quo minus edatur in publicum, nullus obſtitero, vt abundantius prodeſſe queam, niſi non liceat. τὸ ἀπειρὲς antiquiſs. Eccleſiæ Patrum quærebam, & putabam aliquid eſſe, quod aiunt, MODERATA DVRANT. Pace nobis per armipotentem reddita, & Marte aliquantiſper ſedato, de negotiò tanto Comitium Vangionicum, ni fallor, diſpiciet. Interea tu, mi Georgi, recte valebis. Literis ad te meis, per Arnoldum Bircomannum reſpondiſti nihil. Hunc M. Petrum Artocopum Ignatianum meum, ſanctæ linguæ ſtudioſum, mihi homodoxum, imò orthodoxum, tuæ ſyncericati totum commendo. Maguntiaci: x. Septembr An. Salutis: MDLXV.

GEORG. VICELIVS *Theol. Senior.*

LV.

Clarissimo viro D. Cornelio Valtero.

Priuata. Historica. Ecclesiastica.

METellus Valtero S. Elogium Cardinalis illustrissimi de piissimo Georgij Cassandri libro, cum his accipies, & pecudem adpellari sæuum illum hostem, facile adgnosces. Timent etiam probi purpurati, probos eruditosque viros lacessere. Habent enim, vel hoc tempore, si velint, aculeos, quos infigant animis piorum: ac tamen, quid non dixit nouus ille? Iam à suis pœnas luit, quo tibi magnificentior triumphus esse videatur: si tamen quis de pecude, non de fortibus viris triumphet. Quod si pecudi huic, eius item adsectlæ coniungentur; præsertim is quem nosti, vti certe is meretur; nolim sane, triumphum agere. Maiore enim sum animo, quã vt credam gigantes, de pygmæis posse vel debere triumphare. Malim tamen te Duce

te Duce vincere; si cum talibus effœminatis dimicandum quidem esset. Virilem enim Abbatissam esse audio, cum qua bellum gero, non armis illis, quibus cęteræ vincuntur, cupidineis; sed animo ne cedat, formidoloso, quod à me accepisti scripto. Nisi quidem, verecundia ac pudore piæ mentis, abhorruisti cuiquam Notario tradere, qui exequeretur mandatum. Te hortor, ac rogo; cumprimum hoc mea causa facias, nec ei soli insinues, sed toti capitulo; tum virginum fœminarum, tum virorum: vtque conferas ijs de rebus, quæ faciunt ad meam probationem, cum quibus te quidquam certi rescire posse iudicabis. Tibi reliqui indices, memoriæ gratia: tantum requiro, quid tuus erga me singularis amor possit, ostendas. Quibus si & Pighio adieceris, quod à me petit (es enim Bonnæ) tibi maiore beneficio vtrumque deuincies. Sed iam mihi videor audire; tibi, cum Romanis tricis quid negotij?

Quare,

Quare, referam quod mauis. Rex Philippus, triginta quattuor triremibus, in continentem, mille militares viros in littus exposuit ad Oranum. Hi, tanto animo adgressi sunt Africanos, qui Algerij Rege Duce Madalguimerum obsidebant; vt omnes in fugam coniecerint; ipsumq; Regem amittere coëgerint quidquid impedimentorum ibi tormentorumque bellicorum haberet: parumque abfuit, quin & ipse caperetur. Quatuor triremes, ac totidem bireremes eius Regis, in eorum potestatem venerũt, oportune proculdubio: nam vix octiduum Madalguimerum se tueri poterat, quo nomine, gratior victoria; tum quod vna videbatur Oranum ruere. Hæc acciderunt VI Idus Iunij. Iam, nequid Ximenius me reprehendat, ista credo: non eo tamen auctore, cui me fidem habere voluit, sed litterarum; quæ à nobili quodam amico meo, qui gestis rebus interfuit, cuique nomen est Ioanni Bellifro-

montio

montio Clariuallio, scriptæ sunt; exemplo persuasus. Fuerunt decretę publicæ supplicationes Bruxellis iamdiu, tam felicis victoriæ causa. Renardus, Bruxellis hæret. Cupit ac petit audiri, & omnibus, qui eam in eum tibi notam fabam cuderunt inuitis, se mansurũ in Belgica pertinaciter tuetur: fortassis aliquid monstri alit. Cætera coniectes. Nemo procerum, iam à multis diebus in ea Regia visitur, quanquam Margaretæ prorogatus fuit summus gubernationis magistratus, in annos quattuor. Imitatione votorum Vicenalium id fieri putabis. Tu videris. Virum nunc adhuc habet apud se menses sex iam integros, cum quo dicitur æstatem exactura totam. Libellus famosus porrectus fertur summo cuidam viro, tamquam supplex libellus. Is in eo pictus, ouis incubans, è quibus, Episcopi noui prorumpebant, è singulis singuli, sed vnius mitra, alterius brachio, vel alio tanto membro, conspicui. Depicti viri capiti

piti dæmon immineb at, cum hac inscriptione; HIC EST FILIVS MEVS, IPSVM AVDITE. Hæc referunt qui Antuerpia redeunt; tamquam corrollarium aliarum picturarum, quas Balletti amicus tibi delineauit. Mereturne seditiosus ille carcerem? Atqui meretur, quod & Ximenium esse iudicaturum reor: æquior tu tamen, proscribatur, dices. Viglius, horum temporum pertæsus; se totum sacris litteris traditurus esse dicitur: quod vt commodius faciat, se sacratis presbyteratus ordinibus mancipauit. Ioannes Langius tuus vxore mortua, & prioribus ordinibus iam nunc initiatus, eum sequetur. Vtinam, multos huiusmodi viros, hisce sceleratissimis temporibus haberemus, vigeret magis religio, neq; nos opprimeremur tot sectis hominum, interpretantium scripturam ad sua commoda, sed Deus paucos sibi delegit, attamen omnes vocat. De Erici partu, nihil auditur, fugisse tantum ad Danos, sed consilia sunt ignota.

ignota. De Gallis; Parisienses ac Rhotomagenses, adhuc moliri noua, contra nouæ religionis homines: immò, non staturos fœderi pacis: quod sensim animaduertunt Condæani, sibi parum vtile. Qua ratione; tum vero Condæis contraria factione Guisia; nondum res esse in ruto; multi putant. Britanni, ex his occasionibus suam procurant. Tuentur Gratiæ portum, & leuibus prœliis hostem arcent ac prohibent ab obsidione. Itaque; nisi Hispanus recenti victoria elatus, Gallis animos, vel vires, addiderit, infeliciter Galli pugnabunt. Carmen à Pighio accepi, quod vestris illis vmbris conuenit. Verbis & numeris id placet, res desidero. Clarissimum virum Echtium, cui Ximenius, & ego post Christum vitam debemus, honorificentissime à te meo nomine salutari cupio. Eius famulus, ab hinc triduum, à me petijt; ad vos aliquid rerum nouarum scriberem: tum nihil erat. A te vero nunc, pleniss-

pleniſſimas rerum mearum litteras expſecto. In te enim earum ſpes recumbit, quod te ſero velim, atque credere, me certe, beneficio maximo cumulabis. Quare; vt tibi cordi ſim, à te, mirum in modum flagito. Vale, XI. Kal. Sextil. MDLXIII. Colonia Agrippina, currente calamo.

METELLVS.

LVI.

Excellenti viro Dn. VINCENTIO CORNELII, *Cæſareæ Maieſtatis per inferiorem Germaniam, Theſaurario in Hollandia.*

S. P.

Oeconomica, de re numaria.

ORnatiſs. iuuenis Petrus Montfortius repperit me ſemiuiuum, adeo vt nec litteras legere, nec colloqui poſſem. Obtulit mihi munus Hollandiæ honorarium, ſed quum ſignifi-

significaret, eam pecuniam esse in manibus Erasmi Scheti, nolui ab ipso accipere. Post, vbi iam aliquantum recreatus legissem epistolam Scheti, ea non declarauit sibi pecuniam esse redditam. Nec eam scripsit ad me, sed ad Petrum Montfortium. Epistola Aduocati Hollandiæ non exprimit summam, quam Hollandiæ Status donari voluit. Sed epistola Scheti nominat ducentos florenos. Hoc munus mihi tam gratum est, ac si essent mille floreni. Nihil enim promerui. Sed ad me perscriptum fuit de trecentis florenis: & Petrus Montfortius fatetur eam summam in conuentu ciuitatum fuisse concessam. Addidit, se præsente Dominum de Ascendelft mandasse Guilielmo Goesio, Hollandiæ Aduocato, vt iuberet Schetum mihi numerare ducentos & 40. florenos. Nunc ventum est ad ducentos. Munus, vt dixi, pro amplissimo habeo. Te tamen hoc scire volui, vir amicissime, vt si quid forte

fuci subsit in hoc negotio, deprehendas, & corrigas. Ante paucos dies scripsi ad te per Petrum Montfortium, sed totus languidior. Hæc scribo etiam languens. Dominus dabit lætiora, quum volet. Vbi conualuero, gratias agam benignitati patriæ. Ex oratione Petri cognoui, quantum tibi debeam. Vtinam aliqua ex parte referre liceat. Cupio te cum omnibus tibi charis quam prosperrimè valere. Datum Friburgi, festo corporis Christi, Anno MDXXXIII.

ERASMVS ROT.
mea manu.

LVII.

Clarissimo eruditissimoq; Theologo, Dn. Georgio Cassandro. Duisburgi.

Ecclesiastica. de reformatione religionis.

IOH. Metellus G. Cassandro S. P. Etsi nihil erat, quod nunc ad te scribere oporteret; istuc proficiscente Ximenio homine diserto, tuique studio-

ſtudioſiſſimo: tamen; malui diligentia, quam vlla negligentiæ ſuſpicione, peccare: poſteaquam, ex tuis litteris, quas à te rediens hic repperi, didici, te cupere; vt frequentibus ego ſcriptis te laceſſam. Arnoldus Bircomanus, epiſtolam à Sambuco die Maij XIV datam, accepit, qua ſcribit, te breui à Maximiliano ac Ferdinando Cæſaribus adcerſitum in Pannoniam ſuperiorem iri: vt, de conſtituenda religionis reformatione, ſententiam tuam ijs exponas. Egit is quidem officium amici optimi, te plane inſcio; vel potius, qui tam longe ab omni ambitionis culpa ſemper abfuiſti, ac nunc abes, inuito. Ita euenit, vt ijdem Cæſares, & præcipue Maximilianus, Archiepiſcopo Colonienſi mandatum dederint, te eo mittendi. Id quod, Archiepiſcopus Theodoro Bircomano Medico rettulit, & Brouillerio, quem Vicecomitem adpellatis. Itaque tota vrbe ſparſus eſt hic rumor; non ſine magna, ni fallor, in te Ie-

ſuitarum inuidia: nam ſe Theatinos nominari nolunt. Scribebat Sambucus; vt te ad iter, vna cum comitibus comparares; tam putauit certam tuam profectionem. At, vti Valtero, animi dimidio tui carere minime potes; ita neque Ximenio debes. Diſputationes enim facile, Ariſtotelio ſuo more, alioqui ſedatas, acutis argumentationibus excitabit. Hoc vero Cæſarum de tua probitate eruditioneque iudicium, eo pluris facio; quod te, re cognita, ex iudicio Senatus, quique de Rep. cum ijs conſultant, delegerunt. Perlectus eſt enim tuus de ſacra communione libellus, mirificeque is ſenatui placuit: quod iam tibi dixeram. Litteras autem Sambuci, ad te mitto, quas remittes. Mitto vero, ne non rem, vti ad me perſcripta fuit, intelligas. Ego, te non hortabor modo, ſed etiam per omnia ſacra obſecrabo; ne, præclaræ pijſſimæque Principum voluntati, hoc tam neceſſario tempore, temet, per excuſationem,

nem, opponas. Consules enim Reip. Christianæ, tum honori ipse tuo; amicisque satisfacies. Nam, etsi te morbus quidam vrget, non is est perpetuus. Quare, per interualla respirabis. Ac sane puto, diuina prouidentia contigisse, vt ad hoc munus inuiteris; ne non tu quoque corpus reficias salubrioris aëris mutatione, ac vicissitudine. Spem igitur concipe, tam pios conatus Deum esse promoturum. Neque te moueat, quod Vicelius pater, Martio proximo superiore quoque vocatus, eo non venerit. Præter enim quam, quod cum valetudine non raro conflictatur: is admodum senex est, tu, adhuc iuuenis. Itaq;, si animum sumpseris, non dubito, quin itineris labores, salua etiam valetudine, ferre possis. Quæ vero Cęsarum sint mandata, iam intelligis. Dicitur enim Archiepiscopus, ea ad te perscripsisse, eorum nomine. Vnum est fortassis, quod te commouebit, vti Vicelium; Iesuitas nimirum, pedem

tecum esse collaturos. Sed hoc, nihil est. Vicelius enim à Ferdinando Imp. tantum euocabatur, tu potissimum, à Maximiliano. Et vt tibi, cum ijs congrediendum foret, si cæsim te illi, tu punctim feries. Non enim tibi deest vera antiquitatis cognitio, Patrumque diligens lectio; quibus solis, vel eorum præcipui sese niti iactant. Sed vereor, ne, dum te ego impello; Ximenius retineat, nescio quo, inanique illo, metu. Ego, malim arando, vti Cardinali Polo Vintonienſis in Britannia Cancellarius respondit, eum, hortanti ad otium, quod phthisi laboraret; mori. Vestrum est enim Theologorum officium; etiam valetudinis dispendio, immo vitæ, Christi gloriam, vbi vobis est integrum, promouere, augere, confirmare. Sed neutrum horum periculum, tibi, mea quidem sententia, videtur imminere, qui iam melius habeas, & quem familiaris ille morbus non impetit, nisi post. Octobrem. Hæc hactenus. Heri,

forte

forte Rhedanum Theologum ad Apostolos, conueni. Is cum à me peteret, numquid rerum nouarum haberem; ac respondissem, me vrbe abfuisse, teque inuisisse: subiecit de Dusseldorpiensi conuentu: teque ibi non postremas partes sustinuisse. Dixi, te strenuum gerere vbicumq; sis, atque Iesuitas culpa non vacare, quod te calumnijs, qua nec eis licet, perstringant. Putabam enim eis addictum esse. Ille vero, cuinam, inquit, viro probo non struunt insidias? Mihi, inquit, ipsi, cum ab Archiepiscopo vocatus, propter Cæsarianam, de duobus illis articulis, communionis calicis, & sacri coniugij, instructionrm; quid ego sentirem, explicassem, negotium facessere conati sunt, meque in suspicionem vocare haud sunt veriti: homines fastuosi, tantaque ambitione calentes, vt vix totus eis orbis, suffecturus esse videatur. Tum ego, te ab ijs iniuria adfici, cuius de communione librum, ipsi seditionis ar-

guant. Ille, ſanam eſſe opinionem in ea re tuam, adſeruit: nempe, veteris Eccleſiæ eiuſque Catholicæ, ſed te, de ſacro coniugio quædam meditari, quæ non viderit: in quo tibi fortaſſis, non per omnia adſentitur. Te, in lectione Patrum eſſe non mediocriter verſatum: attamen, te quædam amplecti, quorum vſus, in Eccleſia ſit vel infrequens, vel prorſus abolitus, ideoq;, nonnullis ſuſpectus. Quod autem te ſeditionis arguunt Ieſuitę, eos improbe facere. Te enim ab hinc annis xx noſſe, neque quidquã tale ab eo fuiſſe animaduerſum toto eo tantoque tempore: quin immo, ingenium tibi lene ſemper miteq;, ac placidum fuiſſe, & ad ſarciẽdam Eccleſiæ concordiam propenſiſſimum. Quod ſi quid excitare voluiſſes, hoc ſane potuiſſe te præſtare, etiam Coloniæ, qui litteris valeres, & amicos potentiſſimos habuiſſes. Hæc ille. Litteras ad Lindanum, amici, vel omnino ſupprimendas eſſe ſentiunt, vel mutandas: neq; tibi parcunt,

cunt, quod tanta diligentia vtaris, ad te, homini plane furibundo, excusandum, nam nihil tibi cum eo negotij. A te vero, de industria istos litteras elicere, vt inde, si possint, ansam calumniandi tui arripiant. Silentio igitur transigendos. Si quid velint, prodeant in publicum, edant sua, vel tua publico scripto carpant: tum ipse, illis respondeas; neque adeo, vt soles demisse, sed vti res feret, acriter. In quorum sententia ego sum. Numquam enim huiusmodi viros satis explebis responsionibus, si semel cum ijs, scripto agere consueueris. Te perpetuis epistolis lacessent per se, vel alios, nec modum, quem seruare numquam didicerunt vlla in re, aut furori potius, adhibebunt suo. Deinde, mentio illis tuis in litteris fit, nonnullorum virorum, qui fortassis, grauiter, propter res de quibus in ijs agitur, se nominari ferant. Postremo, totas niti argumentis ab auctoritate, cum tu rationes abunde, quibus solis iam hæ-

rendum est in his rebus, edito libello discusseris. Verumtamem, si quid Lindano scripturus sis, id sit perquam breue. Si quem scilicet libellum tuum, de quo tantopere furit, legerit, eum te non agnoscere pro tuo, si alia est sententia, quam quæ nuper à te sit edita, quam eo mittas. Eum vero librum, tantopere Cæsaribus, Principibusque viris placuisse; vt à suis Consiliariis legendum, expendendum iusserint. Quibus vniuersis ita satisfecerit: vt Cæsares, te, eo nomine ad se, quo de reliquis religionis controuersiis eo modo differas, componendis, conciliandisque dissidijs, accersiuerint: rumpantur inuidia, licet, Iesuitæ. Ita, qui tibi bene cupiunt, sentiunt. Reliquum est, vt te moneam, de libello coniugij sacri: nimirum, vt eum cumprimum absoluas. Hoc multi à te petunt, ego inprimis: & vt, in votorum libertate, etiam repugnante Ximenio, ceteriſque, audacter elabores, quo nobis restituatis, bonos

proboſque

proboſque mores, ac priſcam aureæ Eccleſiæ faciem. Sambucus ad te ſcripſit: An de me aliquid, ſignifica, & cum reſcripſeris ei, ipſe, mei, rogo, memineris. Vale, pridie Io. Baptiſtæ, MDLXIV. Vbiorum Colonia. Omnes qui te norunt, te ſalutant, tibique gratulantur, de mandatis Cæſarianis: imprimis, Sudermanus Iuriſconſultus. Bircomanus Medicus, tibi omnia optat feliciter euenire. Epithalamium mitto: vxorem duxit enim, adoleſcentem, ac ſtatæ formæ. Nuptijs interfui, Arnoldus vero, ſe, ἀπολογίαν tuam Latinam editurum ait, ſed tuum inſcribi nomen ei vult. Debes enim iam audacior fieri, qui Cæſares patronos habeas: tum, ſuſpicionis neſcio quid pariunt ἀδέσποτοι libelli, ac timorem arguunt, & puſillanimitatem. Io. Otthonem, optimum eruditiſſimumque virum, ſaluere iubeo, ac Rhedanum Iuriſconſultum, qui cum apud Comitem Neuenarium, amicitiam contraxi. Vale,

xi. Vale, ac salue denuo, multumque.

IO. METELLVS.

LVIII.

Clarissimo Angliæ Baroni Guilhelmo Monteiouio.

S. P.

Politica. ORnatissime Mecœnas. Si singulæ spectentur epistolę, λαχανίζω, si vniuersæ quas in omnes mundi plagas cogor mittere, plusquam Asiaticus sum. Hic tolerabili in statu sumus, excepta incredibili rerum caritate. Tantum liceat effugere bellum: quod vt liceat, vereor, prout hactenus habent huius fabulæ exordia. Sed in manu Domini sunt omnia nostra. Vtinam optimis votis æquè per omnia respondeat fortuna, atque illius benignitas meis aliunde respondit. Apud Regem Ferdinandum habebam patronum incompa-

comparabilem, Bernardum Episcopum Tridentinum. Is vt audio se subduxit ab aula, offensus, vt arbitror, his belli præludijs, cuius quando simus habituri finem, nouit Deus. Quibus agatur consiliis Cæsar, nescio. Amissa Hungaria, miseris modis vastata Austria, & rursus imminente Turca, nonnullis videtur nimium diu hærere in Italia. Nec pauci mirantur, qualis sit illa pax inter Cæsarem & Gallum, quum duo filij nihilo minus detineantur in Hispania. Rex Ferdinandus habet inuictum animum, sed nouus princeps destituitur neruis belli. Quod si Cęsar vi Lutheranos aggreditur, hic prorsus de nobis actum fuerit. Quod optimi Regis vestri pietas semper molita est inter Cæsarē & Gallum, hoc Rex Poloniæ Sigismundus magno studio molitus est inter Ferdinandum, & Ioannem regni competitorem. Sed fata superant hominum consilia. Officium meum erga Carolum tuum tibi non ingratum

fuisse

fuisse mihi fuit gratissimum, cuius indolem felicissimam precor, vt Dominus Iesus tum seruare, tum vsque in maius meliusq; prouehere dignetur. Nescio quem mihi fortuna cibum offerat edentulo: Certe Petrus Barbirius sic mihi adamatus, sic à me litteris celebratus, me pensione Curtracensi spoliauit inaudita perfidia. Et audio Cantuariensem deficere: cui si quid acciderit, nihil est quod sperem de pensionibus. Mihi sat animi est, si carnificem meum calculum queam excutere. Quanquam apud Gallos exoritur Budaica factio stolidis modis in me velitans. Nec ipsi sciunt quamobrem mihi succensеant. Thomæ Moro nihil gratulor, ne studijs quidem admodum. Isti regno gratulor, cui non potuit sanctior, meliorque iudex contingere. Consolaris me de tumultu obtrectatorum: at tu vix nosti decimam partem eorum, quæ in me ex insidiis diabolicis artibus moliuntur quidam scelerosi sub Euange-

lij

lij titulo latitantes. Scribam filio & præceptori, quorum vtrumque tibi gratulor, si patietur valetudo. Nam inter epistolarum tumultus, cœpit esse vehementer molesta, nec possum suspicari causam nisi siccitatem intestinorum. Ignosce Domine Mœcenas, non vacabat hæc relegere. Apud Friburgum v. Cal. April. MDXXIX.

Agnoscis manum tui veteris clientuli. *Erasmi.*

LIX.

Clariß. Iurisconsulto D. Io. Metello amico suo, apud Bircmannos. Coloniæ.

IO. Metello Sambucus S. Accepi responsum pro Cassandro, & Imperatori Maximiliano obtuli. Quod tibi meæ prolixæ, ad Bircmannos ante duos menses missæ, non sint redditæ, vehementer miror, nec me tam oblitum officij, atque humanitatis

Politica, Ecclesiastica.

tatis putes; qui erudito, ac singulari amico, cuius mihi familiarem consuetudinem sæpe optabam, respondere nolim. Denuo allocutus sum D. Slardellatum, Episcopum nunc Quinque Ecclesiarum, de negotio tuo. Is, totus esse cupit tuus, suamque operam, modo si quæ facultas eiusce rei in Maximiliano sit reliqua, promptam pollicetur. Monere non desistam, & quid sperandum sit, postea significabo. Cassandri memoria, non excidit, etiam Maximiliano: sed is, Augustanæ confessioni, multis de causis, magis semper fauit. Quare, si Cassandrum monueris: vt, quemadmodum indicasti, sua ad illam proxime rationem instituerit; gratiam ab eo, & Rep. Christiana auferet, omnibusque salutariter consulet. Hæc, ex me dico, non Imperatoris nomine, ac iussu. Vale, & me Domino Cassandro, Bircmannis, itemque Syffano, commendato. Viennæ, vbi est Dominus à Lansacco. In die Martini MDLXIV.

Raptim.

Raptim. Vale ac salue. De libris nihil certi scio, an sint in bibliotheca Imperatoris, quos quærebas: nondum enim sunt digesti in ordinem à præfecto, & Græcos suis esse conclusos in arcis.

SAMBVCVS.

LX.

Ornatiſs. D. Audomaro Edingo, Summi Flandriæ Senatus ab actis, Gandaui.

S. P.

ETiam atque etiam te rogo, vt epistolam inclusam cures tuto reddendam Leuino Ammonio clienti tibi deditissimo, quo quidem nomine me tibi quoque obstrictum arbitror, nec grauate debeo, viro, vt audio, cum primis docto atq; humano. Quare posthac & Erasmum in *Priuata.*

Digitized by Google

tuorum numerum asscribes. Bene vale, Cal. Octobr. An. MDXXVIII.

ERASMVS ROT.
mea manu.

LXI.

Eruditissimo viro, Domino Georgio Cassandro, Theologo. Xantis.

Priuata. Historica.

METellus Cassandro. Philippus Vesembecius cuius causam tibi commendaui, cupit meam apud te commendationem tãtum ponderis habere; quantum vales apud Amplissimum virum Cancellarium, & auctoritate, & gratia. Equidem, homini probo, ciuique vestro, fit iniuria, id quod, tu, ex supplicis eius libelli lectione, facile cognouisti. Quam ob rem, à te flagito; vt quibuscumq; litteris, vel verbis, atque commendatione potueris æquitatem negotij iuuare, hoc vnum, homini non ingrato præstes. Cuius rei,

te,

te, & Echtius monet, teque saluere iubet. Negotium etiam meum, in animo geras. Vrgeor enim, ab aduersario. Mitto ad te, consilium Balduini, de reformanda Ecclesia, cum responsione cuiusdam, qui totum id, nouitijs, ni fallor, argumentis, euertit. Vbi legeris eum libellum, remittes, & iudicium ea de re tuum, hoc est argumentis, indicabis obsecro, quamquam, te scio, in libello de Officio viri pij, & eius præcipue defensione, harum controuersiarum capita discutere. Hugonoti Carolo vnum suorum Procerum misisse dicuntur, qui ab eo, eorum nomine petat liberam suę religionis facultatem; non iam edicto pacis illius, certis tantum locis, concluſam: sed vbicumque locorum, tota Gallia: nec audiunt, qui de pace, vel concordia, quidquam proferunt, tanto animi ardore capti, vt armis, hanc sibi quærant. Iam Condeus illic nulla est, propter suspiciones, & inconstantiam, auctoritate.

Maris Præfectus,& Andelotius eius frater, sunt eorum duces ac principes viri: eoque res spectat, ut Vendomij filium impuberem, cui iure, & materno, & paterno genere Regio Gallico, extincto Carolo & eius fratribus, successio debetur, ipsi, Regem suum declaraturi sint, vti fertur. Sic furor fit, læsa sæpius patientia. Ecce, Sorbonicam prudentiam. Præter proprias vires, quæ magnæ sunt, Anglos sollicitant, neque Palatinus, Landgrauius, Wirtembergensis, Saxo, Bipontinusque, ijs, defuturi putantur: nam, de Heluetijs, iam scripsi, Carolo non esse militaturos, contra illos. Lotaringus, & galeratus Belgicus, sæpe in Sequanis consultant. Regina mater, à Philippo, auxilia petit. Belgici proceres, negant. Egmundanus Cameraci subsistit. Dolet Belgis, euocatum, ac timetur. Vale XVIII. Febr. MDLXV. Coloniæ.

IO. METELLVS.

LXII. *Eru-*

LXII.

Eruditiß. ac πολυγλωτ@τῳ viro, P. Vulcanio, in familia Domini Montioÿ. S.

VUlcani chariſſime, ſi hæc epiſtola te inuentura eſt apud D. Montioium, rogo vt huſc Simonem Geynſum, hominem in vtraque lingua abſolutum, & in philoſophia non vulgariter doctum, velis cognoſcere, & ſi quibus in rebus potes commodare, id facias. Mihi, ob egregias virtutes cumprimis charus eſt. Cætera ex ipſo cognoſces. In præſentia non vacabat pluribus tecum agere. Scribe per hunc, nam rediturus eſt. Bene vale, Friburgi x v Calend. April. MDXXXI. *Priuata.*

ERASMVS ROT. *tuus.*

LXIII.

Clarissimo viro, D. Georgio Cassandro Theologo.

Multa Historica.

METellus Cassandro S.P.D. Literas tuas auide legimus. Eas enim cum Echtio, Helmanno, ac Bricmanno qui cras hinc non rediturus multis hebdomadis, Antuerpiam proficiscitur, communicaui. Sunt enim hi, tui, ac mei. Itaque Reip. gratulamur, te opus illud absoluisse; cuius est maxima proborum omnium exspectatio: Vtinam, optima cõsilia tua principes viri sequantur: nam, probaturos minime dubitamus. Efficies igitur, vt intelligamus, quæ Maximiliani Cæsaris sententia sit, cumprimum tibi rescripserit. Alimur enim spe, ni vel Legatus ille Romanus impediat, quod equidem non sine caussa metuo, vel Vaiuodianum bellum: quamquam, non minorem suspicionem mihi mouet spes illa, Philippo sine liberis decedente. Spes igitur illa, tot regnis potiundi: quibus, certe nihil nouum,

uum, vt adpellant, nisi perquam irritatis animis, potest obijci. At, his remoris, tamquam echino pisce, nauicula, vereor, sistetur. Sed tamen, vt hæresum flatus, eam impellent, optamus certe. Quid igitur tu, ceterique moderati viri, proficietis, expectamus. Vnus Deus, ne tota nauis submergatur, præstet. De Parisiensi in Lotaringum tumultu quæ scribis, certa sunt. Ad me perscriptum est; Hugonotios, qui dicuntur, ita rebus suis cõsuluisse, vt ex singulis iurisdictionibus, in qualibet Gallici regni prouincia, intra viginti quatuor horas, vna conuenire queant, sui tuendi caussa: nam prouincia, duabus aut tribus iurisdictionibus administratur, ipsi sua lingua Balliuatus adpellant. Qua prouidentia, religionem suam hactenus conseruant. Quinimmo, rumor est, intra octiduum, equitum octo millia, posse, è suis in vnum cogi. Summa hæc est eorum vigilantia. Quo accedit; Heluetios, in

fœdere nunc excepisse, se Carolo contra illos esse militaturos. Comes Egmundanus, in Hispaniam, per celeres dispositos equos profectus est: caussam suspicantur, acuti quidam, Gallicos tumultus. Purpuratus enim ille Carolus, in Mediomatrices suos peruenit, ac, si potest, Philippum, ac nostros, honorificis illis pietatis titulis, cohortabitur: vel potius in aduersarios suos incitabit, ac fratris sui purpurati nostri, miris artibus, ne dubita, iuuabitur. Oportet enim nihil eos de pristino splendore remittere: at vident sensim imminui. Quare, fulcra, minanti ruinam, subijcienda sunt, egregia scilicet bellicaq;: nam, nihil minus, quam de religione, cogitatur, qua tamen, cætera tegimus, sed à nonnullis, potius Egmundani profectio tribuitur, quod Inquisitoribus Armenteriæ oppido, sæuitiam sustulit. Philippus, omnes eo loci suspectos, propter hanc caussam, comprehendi iussit. Capti fortassis, viginti: cæteri,

teri, maximo numero fugerunt. Omnia Belgæ ſuſpicantur, ac timent: neque tamen, quid certi ſit, auditur. Danus, de ijs conqueritur, quod, præter pacta, naues aliquot, ſale & bellico adparatu onuſtas, Sueco vexerint, eo nomine minatus, ſe ijs, nauigationem ad ſuas, & maritimarum ciuitatum prouincias, intercluſurum. Ac de pace cum Anglis compoſita, falſa fuit fama, induciæ tantum pactæ, trium hebdomadarum: quamquam, Anglia, Belgica, ſine magnis incommodis, carere vix poteſt. Feruntur & Gallicæ linguæ homines, Gallum, propter nouæ religionis ſtudium, finitimis noſtris Gallię Belgicæ oppidis, optare. Vides motuum metum. Sed, nihil meticuloſius, quam regni, vel prouinciæ adminiſtratio; in qua, hoc tempore, vel vmbræ, putantur exercitus delecti: tantum poteſt purpurati calliditas. Ego certe non metuo. Priſcus enim ille animi vigor, & impetus Belgarum, in genua

prolapsus, & externis commercijs, atque diuitijs, solo nunc metu concluditur. Quod ad Vaiuodianum in Pannonia tumultum attinet; Lazarus Shuendius, eo, cum imperio missus superiori mense: cuius copiæ, sexdecim peditum, ac duorum equitum millium, dicuntur. Vaiuoda, delectissimum militem conscripsit: ac licet, Selimus Solimani hæres Turca, suos, inde, octennalium induciarum nomine, reuocarit, ad proxima oppidorum præsidia: veremur tamen, ne se iterum, vel à Vaiuoda sollicitatus, ex occasione, vel perfidia, coniungat: Quamquam, iam olim accepi; hominem esse, vini curandæque cutis studiosiorem, quam armorum. Baiazetum fratrem, qui ad Persas profugit, esse virum militarem, qui fortassis, modo supersit, caussa regni, in eum mouebit. Valet enim gratia, apud Ianizeros; in quorum fide Turcicus Imperij neruus consistit. Sed, laqueo, incerta

incerta tamen fama, fertur à Persis, magno Solimano, ære persoluto, iugulatus. Selimum enim sibi succedere volebat, partim odio istius, cuius fratrem propria manu, arcus neruo, dolose ad se accersitum, intorto collo, in tentorijs suffocarat: partim fauore Rossæ vxoris, quæ Selimum filium, Bassæ consilijs nixa, apud maritum promouebat; Baiazetum, eiusque fratres, adfectati imperij, quo tollerentur, incessebat. Si igitur Baiazetus supereſt; ciuile bellum, inter fratres, oriri posset; ac Persa mouere, quæ rebus, Italiæ ac Pannoniæ salutem adferret, Turcarum viribus dispersis, non vnitis. Atque vtinam, nostri Principes legationibus ista tentarent tam studiose; quam, inter proximos ac Christianos, exercent huiuscemodi, vel excitant, simultates. Sed, ne tibi nimium superbus, aut curiosus, vti purpuratus noster, me clam compellabat, ipse

ipſe videar; iſta prudẽtibus relinquo: tum, ne nimis ingenioſus ſim, ſic enim & addebat, in aliena Republica. Hæc ſiquidem ſcribenti, rumor adfertur; à Cæſare, ſenatui Cameræ Spirenſis literas miſſas; quibus dicatur Vaiuoda profligatus à Schuendio, ipſeq;, à cæde, in caſtrum quoddam ſe propipuiſſe. Quod verum ne ſit, haud ſcio. Hæc, Spira rediens Secretarius Comitis Morſæ, retulit. Optandum certe eſſet. Quid ad te rerum nouarum ſcribam præterea, nõ habeo. Sed heus! pene mihi exciderat; Sacerdotem quendam, crematum fuiſſe, iuſſu Pontificis; in Venetorum prouincia, quod virgines Veſtales duodecim, non modo vitiarat, ſed & grauidas reddiderat: inter ceteras, Abbatiſſa, & eius duæ virgines, intra annum pepererunt. Ille vero, pietatis prætextu clarus; quodque earum paternam confeſſionem curaret, cum eis, dum ei peccata confiterentur, egerat; quo tempore, ac loco, & modo, vna conuenirent.

uenirent. Quod certe factum, si Surius, adpendici suæ nexuerit; longe maiorem gratiam, apud cordatos viros inibit; quam, si suos Antipodas Apostolos, tot falsis luminibus illustret. Hoc enim, verum est; quantum, ex chartula his inserta, cognosces. Ago tibi gratias immortales: quod causſam meam, apud Amplissimum virum Cancellarium, tuendam susceperis. Hoc, te obtestor, facito diligenter, & cumprimum. Maximum enim brachij sæcularis, in quo aduersarius spem collocat, periculum mihi, foueti tamen optimum ius, imminet, & litteras ex vrbe accepi, eum censurarum declarationem, ante duos menses, contra me impetrasse. Cui vt obsistatur; vna hæc fructuum, præbendarum ad Apostolos, vera probatio, præstare potest, sed, Capitulum non concedet, à quo facienda per attestationem publicam eius fides; nisi alicuius Principis viri litteris impulsum; inter omnes vero, omnia Illustrissimo

mo Cliuenſi deferunt. Præpoſitus Cliuenſis, prudens ac pius adoleſcens, operam ſuam mihi pollicitus eſt: ſed hinc abijt, propter quædam negotia. Gaudeo, me in eius amicitiam veniſſe, propter ſingularem eius virtutem, tum quod tui ſit ſtudioſiſſimus. Hanc amicitiam, Echtio noſtro debeo, qui, vt ei innoteſcerem, effecit. Faſciculum aliquot librorum Neruij, quos petis, accipies, cum his litteris. Eos Bircmannus à me petitos, mittit. Vale, ac mei, rogo, memor ſis, atque reſponde quamprimum. Colonia Vbiorum, XVII Cal. Martias MDLXV. Salutant te omnes tui, ac noſtri. Ego Cornelio, fratris obitum, ſane condoleo: ſed, inſtructus eſt optimis artibus, quibus hunc mœrorem & leniat, & totum, etiam à te conſolatus, expellat. Lenſius ſcripſit de coniugio, ab Otthone ruo, eius rei certior factus coram, qui ſe Cornelio loquutum adſerebat. Hic pauci, nec vllus credidit. Ximenius,

valde

valde laudat Syrenios suos scopulos. Si hic esses, huc veniret. Frequēter lectitat, raro scribit: Te iam saluere, per litteras ad me, iussit. Vale. Obsignaram has litteras, & ecce mihi nuntium, qui fasciculum scriptorum ad me pertulit, inter quæ, litteræ de rebus Gallicis recentiores. Maris præfectum Castilloneum, esse Parisios ingressum cum quingentis equis: Exercitum; hoc est, militem, circum Parisios, suæ factionis, habere: itaque timeri vehementer de nouo tumultu. Reginam matrem, ad Carolum Regem, qui Tolosæ est, profectam, & de itinere ad Philippum instituendo, cogitare. Tolosa enim in Hispaniam, ex Gallia itur. Balduinus, sui non dissimilis, libellulum Gallicum, ad Principem quemdam Galliæ, quem Condæum esse reor, de reformandæ ecclesiæ Gallicæ rationibus, conscripsit. Cui aduersaria pars, Galiicè etiam respondit, quem librum nondum legi. Datus mihi mutuo, ac

redden-

reddendus, si impetraro à Domino, ad aliquot dies, ad te eum mittam, vbi legeris remittendum. Biscampius hospes meus, apud quem prandeo, & hæc scribo, te plurimum salutat. Vale.

IO. METELLVS.

LXIV.

Clarissimo viro D. Vincentio Cornelij Thesaurario, &c.

S. P.

Priuata. QVum persuasum esset à ciuitatibus Hollandiæ decretos esse florenos trecentos, id quod ipse etiam D. Petrus à Montfort fatebatur, & epistola aduocati Hollandiæ non haberet, nisi ducentos, de nullo quidem concepi sinistram suspicionem, sed res ipsa loquebatur aliquid erroris subesse. Rursus scripsi per Doctorem Viglium, quod non feciſſem si Scheti litteras accepissem.

pissem. Nam epistolam egregij viri Iodoci Sasbouti scriptam 14. Cal. Nouembris accepi, in hebdomada Paschæ. Nunc nihil supereſt scrupuli, nisi de florenis sexaginta, qui, siue non fuerunt decreti, siue sunt in manibus bonorum, non ero cuique posthac molestus. Tantum hoc agam, vt vobis amicis & patriæ pro hoc honore sponte delato præbeam aliquod grati animi argumentum. Datum apud Friburgum Brisg. XXIII die April. MDXXXIV.

ERASMVS ROT.
mea manu.

LXV.

Eruditissimo viro, D. Georgio Cassandro Theologo, Xantis.

IO. Metellus, Georgio Cassandro, Theologo S. Cum altero ab hinc mense, ad te scripsissem; putaui, me, litteras à te exspectare oportere. Etsi

enim, cum varijs hominum diuersorum opinionibus, luctaris; vt eam, quæ tibi probatur, in lucem proferas, idque certamen tibi multum temporis auferat: tamen, tantum tibi superesse non dubito; quantum, nonnullis tui studiosis, in tot hebdomadis, possis impertiri. Exspectabam igitur, vt mihi responderes. Quod quum non feciſſes, cogitabam equidem, ne tamdiu esses in meo ære, saltem te monere debiti. Tum vero, ecce tibi, non litteras ad me, sed chartulam ad Bircmannorum institorem; in qua, tu me, non tamquam debitor, sed creditor, vrges, auremque mihi vellicas. Ego autem, etsi exceptionibus minime destituor; quoniam tamen, tibi in publicis Christianæ religionis constituendæ scriptionibus, occupato, nunc condonare debeo; vrbanum esse iudicaui, vt vetera omnia nomina tibi remitterem; nouasque tabulas ipse confiecerem. Itaque, cum Philippus Vesembecius, homo prudens,

ciuisque

ciuisque tuus, Belga, ad te sibi, cuiusdam negotij caussa, proficiscendum statuisset; idoneus cui tuto litteras ad te, omnium rerũ plenissimas, darem, visus est, eius maxime nomine. Cupit enim Cancellario Cliuensi, quem omnes tui studiosissimum esse prædicant, à te commendari in causa, quam tibi coram exponet; si quid ego iudico, non improba, sed quæ tamen humanitate, & propensa in bonos viros beneuolentia tua, mirificè iuuari potest, immo potius tota finiri. Quam ob caussam, eum tibi commendare nõ vereor: tum quod, Valteri nostri sit amicissimus: & Echtio, mihique charus: qui omnes, à te poscimus; vt efficias, intelligat nostram commendationem pondus habuisse. Sed, neq; ego me deseram quoque, qui præ alijs fauorem tuum ambio. Nam, vnis iisdemque litteris, vtrumque; me scilicet, & Vesembecium, tibi perpetuo deuincire poteris. Ego vero, peto litteras commendatitias, Cliuiensium

Ducis; ad Capitulum Apostolorum huius vrbis: velint, instrumento publico testari; quanti annuæ eorum præbendæ, distributionibus, quas adpellant, cottidianis, æstimentur: quantique, cæteris, quos ipsi nominant crassos, fructibus: vt eo instrumento ipse vtar, ad probationem valoris fructum. Est enim constituta pensio, x x nummorum aureorum, in vna eorum præbenda, quam, aduersarius quidam meus, irritam propterea disputat: quod singularum præbendarum fructus, non excedere summam viginti quatuor aureorum nummorum, tueatur. Est autem iure constitutum; pensiones, quæ crassorum fructuum partem dimidiam excedunt, reuocari. Si ea, viginti aureorum, non tenet; tenebit autem, si medios fructus non excesserit; mihi, in præbenda Leodiensi, nullum ius competit. Quare; mihi in eam rem incumbendum est; vt ipsius Capituli testimonio Romæ vtar. Neque id iam commode, si

remittar

remittar à Romano ad urbis huius aliquem iudicem, consequar: nisi ita commendatus. Scis me, hanc ob causam, hic hactenus hæsisse, iureque equidem firmo nitor. Sed id, probatione horum fructuum, illustrandum est. Itaque, quoniam hæc pertinent ad Cancellarij, clarissimi grauissimique viri, disciplinam, atque cognitionem, si tu mihi, per eum, à Duce, litteras illas impetraueris, adficies me summis beneficijs: meque tibi, multis nominibus obstringes, illeque, me perpetuo, clientem suum habiturus est; ac summæ eius virtutis, doctrinæ, prudentiæ, æquitatis, & humanitatis, apud meos ac cæteros, non ingratum testem: si tamen, eius illustris laus, cuiusquam testimonio, vel augeri, vel imminui posse, cum veras firmasque radices egerit, videatur. A te igitur flagito: vt hoc meum negotium, tibi sit cordi, vnaque, illud Vesembecij. Eius siquidem fratri, nimirum Oratori, quem Pensiona-

rium vocamus, Andouerpiano, gratissimum feceris. Memineris, etiam scribere ad me, quid de Tabulis Eugubinis, à Campano cognoscendis, actum sit: tum, quid Valterus noster, indiculo meo responderit. Cuperemque, per Vesembecium, ad omnia rescriberes, ac mitteres exemplum tuarum ad Maximilianum Cæsarem, litterarum: Maximiliani enim epistolam tantum, misisti. Audimus, & à quodam ministro Vesalienſis ecclesiæ, ceterisque nonnullis, lectam fuisse quamdam responsionem tuam, certis de rebus, quarum, ab Archiepiscopo interrogabaris; Episcopus autem, à Pio Pontifice, quam, nobis inuidere non debes. Echtius, eam à te, summopore flagitat: tuque, si miseris, certe tacituris committes. Sumus enim cupidi, cognoscendi disputationes huiusmodi, in quibus, & libere quid sentias scribis, & veterum patrum cognitione, ac discussione, cumpri-

cumprimis excellis. Ne tu vero neſcias, iam apud omnes, illuceſcis doctrinæ purioris fama. Vidi ego, litteras Iudicis Viennenſis Decembri datas; quibus ſcribit, magnam omnibus exſpectationem fuiſſe commotam, de commentarijs, quæ Cæſarum iuſſu, paras, reformandæ religionis: optaretque, qui de te audiunt, vt tu eo proficiſcaris, atque nomen familiæ Cæſarianæ des tuum. Atqui, Pontificij, ea prouincia, mutationem in religione metuunt: aduerſarij vero dolent, Cæſarem, tantum Ieſuitis, quantum pater, non tribuere, & paternum religionis ſtatum, firmius conſiſtere. Ego, quod ad inchoatas præclaras illas, de reformatione cogitationes attinet: in quibus, vna cum aliquot alijs, verſaris: vereor, vt progredi valeant. Nam, quantum accepi, videtur Pontifex, per certos exploratores, in Cæſaris Regia, omnia cognouiſſe, ob hanc potiſſimum cauſſam, ſi

quid coniectura consequor, eo Legatum Cardinalem allegauit, qui fortassis, vti Dauus ille, turbet. Sed, si nobis ob oculos ponemus; propter deformatam religionem, indies seditiones oriri; quemadmodum proximis diebus, à rusticis Salisburgensis prouinciæ, contra Archiepiscopum Principem suum; & à Nobilitate Baioariorum, contra Ducem: facile animaduertemus; huic morbo, non vlterius esse differendā curationem. Quod enim quidam existimant, pulchre succursum fuisse, per Patres Tridentinos: næ, illi valde falluntur. Iam enim Romæ, ad priores consuetudines reditur: dispensationes quippe Concilio illo prohibitæ, pecunia cōceduntur. Galerus, vni, vt rumor est, centum nummis aureis venditus: & septemdecim alij, prostant. Xenodochiorum, cæterorumque piorum locorum reditus, nouo cuidam Leprosorum Ordini nuncupato, accepta pecunia, traditi, & vtendi adsignati.

Ac

Attamen Philippus, mirum in modum Belgicos Ordines, & Sequanicos vrget, vt Concilium illud præclarum, recipiatur: nimirum ab Episcopis, eo religionis prætextu cohortatus: quoniam, multis eius decretis, eorum dignitas, auctoritas, opesque, & plane constituantur, & augeantur. Viglius, suo more, gnauiter in eam rem incumbit. Sed Ordines, multas causas adferunt: cur hoc eis in primis non liceat, maxime labefactari statum Reipublicæ iam constitutæ, & nobilibus iura patronatus, præter æquitatem, tanquam ludentibus ad suum commodum Patribus in alieno corio, prorsus antiquari, cæteraque multa. Interim; Iesuitæ nidificant Dionanti in Eburonibus; & Cameraci, Episcopi liberalitate, atque Viroduni. Nacti sunt, recentem laudatorem Surium, qui, in Adpendice, quam Nauclero proximis nundinis adiecit, eos vocat Antipodum Apostolos: etiam sacramento confirmat,

hoſce Antipodas, mortuos ad vitam reuocare, neque non illuſtribus miraculis clarere. Inſanit, non paucis locis potius, quam loquatur: ita, vt paſſim, animi morbum prodat. Et quamquam ſciat, à Cæſare calicem impetratum; nihil non tamen calumniatur. Si Cæſarianæ concessionis exemplum ad me mittes, gratiſſimum ſane feceris, licet audiam, vix fere conceſſum agnoſci, neque propterea motus componi. Archiepiſcopus quoque Colonienſis, à Pio diſpenſationem eius obtinuiſſe ſuæ diœceſi dicitur, atque breui eam promulgaturus. Vna etiam, accepiſſe confirmationem Electionis. At, & hoc ſcito; familiari cuidam tuo, Britonium illum Heduum, dixiſſe; in Belgio, probari librum de communione tuum: itaque multos argumentis tuis victos, nunc ijs locis, calicem ſumere. De Panoplipœo tamen, vix quidquam auſim adſerere. In Batauis, alijsque prouincijs Belgi-

eis,

cis, fertur, indicem nouæ religionis. suspectorum tantum conscripsisse, in neminem animaduertisse: nec iam audere, amisso Panopliæ duce illo, cui plurimum confidebat, Perrenoto Cardinale. Ita conscribendus fuerit exercitus, si punire velit Batauos. Horstius, quem Louanio doctorem lepidissimum redijsse gaudeo, tibi loqui gestit: eum puto habere egregiam aliquam à Panoplipœo ad te legationem. Quam, si scribet, vt excipias acriter, consulo. Nihil enim, modestia proficies tua. Porrò, quod certior fieri cupis, num hic canum tumulis expositi fuerint, qui calicem petentes, mortui sint: tu sic habeto. Sacrificos, iussu Senatus eis permisisse quemadmodum & verum est, testari: petentibus vero, non dedisse: negantibus sacramenta, sacris sepulcris interdixisse: hoc est, Anabaptistis; &, vt interpretantur, Caluinianis. Constat tamen, eos, qui solo pane contenti

non

non fuerint, expositos fuisse. Sed, iam pœnitet Senatum huius facti, apud quem, Cliuensium Dux, ea de re fuerit conquestus. Peius quidem est, quod quidam ferunt; nonnullos Pastores, infame illud sepulchrum, accepta pecunia, in sacrum commutasse. Qui Albano gregi præest, scelus in Echtium admisit. Peste laborantentem, ac fære animam agentem, non vocatus, inuisit: ac tum, grauiter, & supra quam dici potest, iracunde, in eum inuectus est, propter calicem. Neque Echtius, moribundus, hominem cohibere potuit, vlla ratione, à quo, se rectius institui, Christiane petebat, quin prope fureret. Itaque, proximo sequenti die, Echtio significauit: se, eum non permissurum tradi sacræ sepulturæ. Putabat enim, non conualiturum, & pecuniam, ea arte, ab Echtij propinquis, emungere volebat: sed Deus, hominem seruauit. Senatus autem, illo suo edicto, ita plebem conturbauit: vt, non modo

modo multos pœniteat, sed & pudeat. At, ea acerbitate effectum est; vt, ne quid postea, in religione tentetur: sed, liberior futura sit ciuitas. Iam quidem, pestis tota, remissa est. Quare, tuto, vt ceteri, redire potes. Omnes sane, optamus. Ximenius, si rediisses, huc veniret: alioqui, Leodij mansurus. Pergit, cogitationes suas illustrare. Ac veretur, ne redeas: quod pro certo didicerimus, Valterum, vel vxorem duxisse, vel breui ducturum. Multi, hoc à me num verum sit, petunt: quibus, nihil aliud respondeo; quam me credere, eum libentius operam libris daturum esse, quam paruis illis sacris. Tu nos tamen ab hoc scrupulo exime. Quod si ita sit; detur & vxor Ximenio: minus enim, ni fallor, Valtero ab ea abhorreret Hispanus. Ab hinc, circiter hebdomadis quinque litteras à Sambuco accepi. Ei, Neruij pro te responsionem miseram, tamquam amico. Is vero, eam Maximiliano Cæsari obtulit.

Digitized by Google

tulit. Scripseram, te valde dolere, Ferdinandi Imperatoris obitum: qui tamen, tibi adtulisset aliquam, à tibi commisso negotio; cum Maximilianus te, in eo vt pergeres, non monuisset; respirandi facultatem. Sed is, qui, cum Maximiliano collocutus, de te, vt videtur, fuit, rescribit; tui memoriam, non excidisse: suspicor eum, legisse meas, Cæsari. Prolixas, quas se ad me dedisse, ait, non accepi: quod ego sane doleo, tum mea, tum Ximenij causa. Quod adiecit; vt, proxime, scriptionis tuæ rationem, ad Confessionis Augustanæ librum, adcommodares: hoc, eum, multis nominibus; Cæsaris iussu vt faceres, quamquam cælat, scripsisse, coniecto. Est tibi certe, mi Cassander, impositum graue onus, sed cui, si quis alius, par ferendo, omnibus qui te norunt, certum sit, futurus sis. Neque potes honeste; vti minime excusasse, saltem recusasse, &, hanc præclaram prouinciam, à qua tot popu-

populorum salus, prope pendeat, reijcere: sed, ita pro viribus, in eam, totisque neruis intendere; vt, hisce Commentarijs tuis, vniuersos religionis nostræ articulos, atque disputationes, complectare: & ad veterum Patrum rectam regulam, Apostolicaq; & Prophetica scripta simul, exigas: ita, vt extent, tamquam communes quidam loci, de omnibus nostræ religionis controuersiis. Sæpe mentem subijt, te, à Deo, ad hosce labores fuisse conseruatũ: cum singulis propemodum hebdomadis moriturus antea videreris; nunc remissior, saltem infrequẽtior, te morbus inuadat: quo scilicet, diuinam in his iussionem animaduertas: ac te fructus proximi, & charitas incitet currentem. Neque, hoc quoq; nomine, longius differre debes, editionem eruditi illius hominis de Anabaptistarum sectis, qui certe, etiam eo inuito, lucem feret. Simplices enim animos, illi seducunt: putoque fore, vt eo lecto libro, multi ad sanitatem redi-

redituri sint. Alterum libellum tuum, de non puniendis hæreticis, & Sequanis, & Belgis, ipsis denique Hispanis, vtilem cumprimis fore scio. Hic enim à multis iudicibus, ignorantia peccatur. Te excusare Balduino, nihil agis: nam, quomodo eius scripta ab omnibus excipiantur, non ignoras. Alterum scriptum tuum, de sacra synaxi, vltro polliceris: sed maturandum, quo citius, qui male sentiunt, purius credant; & qui nondum eas opiniones hauserunt, ab eis, dissertationis tuæ lectione, citius, & in tempore, auertantur. Ea de re, chartas aliquot Balduini, ad te mitto, vt eas legas, remittas statim tamen: vt ei, à quo accepi, eas reddam. Paginas illas, quibus Caluini vita continetur, ego quoque mutuo, & reddendas, accepi. Versus, si voles, tibi retinebis. Habet enim aliud eorum exemplum, qui eos mihi tradidit. Sed, hactenus de priuatis, nunc de publicis rebus. Ac primum de Belgicis. Ad

me

me ſcriptum eſt; Bruxellæ, ex curru vi fuiſſe, à duodecim Gallicè ſonantibus armatis, extractum quemdam; qui religionis, ſed neſcio cuius cauſſa, tranſportaretur, ad triremes damnatus: & Midelburgi, duos Anabaptiſtas, vi, è carcere ſubductos. Brugis, proximis diebus, Anglum, quod ſacramenta Romano more ſumere detrectaſſet; à clero, iuſſum, extra ſacra loca ſepeliri: nationem Anglicam, ad Conſilium Regium, Bruxellæ vehementer conqueſtam, eamque ob cauſſam iuſſum fuiſſe eius vrbis ſenatum, mortuum exhumare: & honeſtæ ſanctæque ſepulturæ tradere. Dicuntur enim Belgæ, cum Anglis, pacem ferijſſe. Rumor eſt: Pro rege Gubernatricis filium, in vxorem eſſe ducturum filiam Luſitanorum Regis, & nuptias celebrandas Bruxellæ. Cardinalis Perrenotus, bis à Rege fertur petijſſe, vt ſibi liceret auctoritate gratiaque Regia ſalua, ſe Archiepiſcopatu Mechlinienſi abdicare. Renardum,

quem concitatorum in se procerum auctorem fuisse testatur, apud Philippum, tamquam Maiestatis reum, accusauit: ne scilicet, Proceres, huius vtantur consilijs: & interim, eorum fœdus callide dissoluat. Renardus, valet & animo, & ingenio, & summa apud Proceres gratia. Multi putant, huius industria, Cardinalis factum etiam in Hispania exacerbatum iri, multaque eum detecturum, quæ Cardinali laudem minime sint allatura. Alij dicunt, acriter exceptum iri à Rege: hæc res, pecuniarijs Mercatorum Andouerpianorum sponsionibus, agitatur, vti solent res ij nouas, etiam ad lucrum suum, torquere. Si Renardus, se prospere gesserit; spes est, Cardinalem, omni auctoritate casurum. Viglius, se inter vtrumque, vtens foro, gerit: & Morillonio exploratore vtitur ad res gerendas, tamquam suo quodam à latere legato, & Comite. Spargit rumorem, Philippum in Belgium, hac æstate,

æstate, uenturum: sed sagaciores iam facti sumus; quam, vt Regem, cuius causſa, gubernatio prouinciarum, in aliam melioremq; formam mutata sit, ipsi timeamus. Ac falsum est, de Regis reditu, quem constat, in Afros classem parare. Comes Vitgenstenius, qui de te præclare sentit, teque nosse cupit, mihi rettulit; Lantgrauii filiam, duci Holsatię, nuptui, in quodam castro, Decembri mense, fuisse traditam, & incendiariorum scelere, turbandis nuptijs, castrum totum flagrasse: idque, Regi Suetiæ imputari. Quod, Landgrauius, hãc filiam, ei, antea promissam; auditis, & certis eius, ad Elizabetham Angliæ Reginam, lectis litteris; quibus eius Reginæ, cum Landgrauio tractans, matrimonium ambibat, recusarit. Ad me, Vienna scriptum est, superioribus proximis mẽsibus; Vaiuodam, collecto ex Hungaris, & Turcicis finitimis præsidijs, ad XVI millia, milite, Hungariæ vrbem, & oppida quædam, agrumque

latitudine circiter XL milliarium Hungaricorum, cepisse. Maximilianum, propterea, Tributum, quod octennalium induciarum pactis, Turcæ, Byzantium mittebat, ex itinere reuocasse, & tamdiu subsistere iussisse; dum intelligeret, num Turca, eas inducias rumpi vellet: qui responderit, iniussu suo, Turcam, Vaiuodæ militasse. Itaque ad præsidia redire præcepit. Vnde, quod solis Hungaris Vaiuoda nunc nitatur; spem omnes concipiant; de eijciendo, qui proditione omnia gessit, Vaiuoda, lociſque captis recuperandis, breui. Eos tamen, qui prudentia clarent, valde dubitare, propter fluxam Barbarorum fidem; tum quod, eorum Vaiuoda, beneficiarius sit, eiusque ij defensores: ne se, huic bello, obseruatis occasionibus, immiſceant. Maximilianus autem, in hanc expeditionem misit XVI millia peditum, & equitum duo millia. Hactenus quidem, Cæsari Turca bellum non indixit: neque, cum

Solimano

Solimano superiori æstate mortuo, substitutus sit; habeatque Persarum Regem perpetuum hostem; apud quem Baiazetus, prioris vxoris Solimani filius, cui Ianizeri plurimum tribuant, lateat: ni fallimur, indicturus est. Sed, Deus nos, inter tot ciuiles motus, & discordias, conseruet. Vienna enim capta, omnium Germanorum, & Italorum ceruicibus, à Barbaris summum periculum immineret. Nunc & Gallia dicitur nouos tumultus meditari. Accepi, mille octingentos Nobiles, & vigintiquatuor Proceres, quorum pars Comites sint, pars Barones, duce Andelotio, in Campania, religionis suæ nouæ caussa, conuenisse. Carolum enim Regem, qui in Prouincia vulgo nuncupata nunc degit; Hugonotijs puniendis, delendis, aut saltem in ordinem redigendis, consultore Cardinale Lotaringo, cum Pio IV Pontifice fœdus inijsse. Hoc ipsum, Hugonotios sic interpretari; vt, aut vincere eos oporteat, aut

mori. Eorum esse consilia, ne cedant. Quamobrem, à Rege petierunt: eis, ex Edicto pacis, eiusq; permissu liceret sibi, templa, Lutetiæ, vel proxime, ædificare. Certum enim esse aiunt: ex ea vrbe, ad varia propinqua loca: concionibus audiendis, & cœnæ celebrandæ, vel sexaginta, vtriusq; sexus hominum millia, confluere, quæ res, vrbis præfectum valde moueat: qui Regi, periculum ostenderit. Si Rex igitur: ea templa, ijs minime concesserit; vel responsum distulerit: Hugonotios statuisse: recta, Regem petere; quo, sibi eum vindicent, & anteuertant eius potentiam. Clam enim eum in Germania, ad hos motus, militem cogere. Simul quoque, Remorum vrbem, Lotaringi Cardinalis domicilium, ac sedem; tum reliquas eius opes, tentaturos. At, Cardinalis ad hos impetus ita iam se composuit: vt Condęum Principem, miro artificio sibi adstrinxerit. Biduo toto, non fuit ad collo-

ad colloquium admissus, palam testante Condæo, nihil eum, nisi fuco ac fallacijs agere. Admissus tamen, ita eum in suam sententiam pertraxit: vt vtrinq;, reconciliatis, ac beneuolis animis, discessum sit. Pellexit Condæum; certa spes, ei tradendæ nuptui, Guisij demortui eius fratris, filiæ: nam, superiore æstate, Condæi vxor, è viuis excessit, ea autem, Hugonotijs, maritum semper, in officio retinuit. Quid præterea sit actum, cum Condæo, nescitur. Acta enim omnia dicuntur remotis omnibus arbitris, excepta sola Condæi matre. Hæc, si ita, vt pro certo putatur, se habent; vides novas tumultuum Tragœdias, clademq; adferri Galliæ, pessimorum hominum cõsilijs, qui dum regnent, omnia sursum deorsum versant: hic, ni fallor, iterũ Balduinus triumphabit, nactus non importunã occasionem. Rumor etiã, ex Genua percrebuit: Corsicam eorum insulam, à Petro Corso, qui eam superiore anno tentarat, denuo

impetitam iri, eum, classe Turcica, adiuuari, & à Pio Pontifice, Ducequé Florentiæ; quod vix credo: sperare quoq; se, à Gallis auxilia. Pontificem enim Gallis fœdere coniunctum. Itaque milites, ac præfectos militares, iam conscripsisse. Videretur, certum, cum Hispanis, in quorum clientela protectioneque sunt Genuenses, fore bellum. Fortassis, Philippi animus exacerbatus est, propter sententiam, qua Pius Gallorum Regi primum locum tribuit. Habes, multis de rebus, multa; quæ iam, vt in meo ære, prius enim tibi remisi, futurus sis, efficient. Quare, da operam, vt hanc omnem pecuniam, statim, atque cum fœnore, refundas. Vale, Pridie Calendas Februar. MDLXV Colonia Agrippina. Salutant te Helmanus, & Echtius, & Bircmannus. Echtius, præter vxorem, amisit & Gertrudim filiam, ac paucis ab hinc diebus, socerum. Suadet, vt redeas. Bircmannus intra triduum Andouerpiam profici-

proficiscitur; non rediturus intra bimestre. Oblitus eram, tibi scribere, Comitem Egmundanum, Belgicorum negotiorum, vt aiunt, causſa, ad Philippum Regem, per celeres equos, fuisse profectum: Non puto, Philippum, Carolo, contra Hugonotios, coniunctum. Potius credam; Renardi factum, profectioni causſam dedisse.

CAPVT

Litterarum Ioannis Stock, Notarij Rotæ Apostolicæ, Canonici ad Apostolos, scriptarum Romæ VIII *Octobris*, 1564. *ad Dominum Io. Hensbergium Theologum Colonienſem, Canonicum S. Seuerini. Exscriptum ex originalibus.*

ISti noſtri ....., non ſunt tam ſancti vt apparet, ambulant in figuris ouium, intus aliqui ſunt lupi

rapaces: & simulata eorum sanctitas duplex est iniquitas. Regnatque in illis magna ambitio. Veneti fecerunt vnum eorum cremari viuum, ex mandato Pontificis, qui dum ageret Patrem sanctimonialium virginum, in Dominio Venetorum; duodecim ex illis ingrauidauit: inter quas, Abbatissa,& duæ aliæ,vno anno pepererunt filios,& inter confitendum egit cum illis,de loco,modo,& tempore coitus; cum admiratione & stupore omnium, qui hominem sanctissimum arbitrabantur: tantus in vultu eius erat fucus.

Originales litteræ, sunt penes Dominum Io. Helmanum, J. V. Licentiatum, qui eas habuit à patruo suo. Continebant enim responsionem quarumdam rerum, ad Hensbergium, quæ ad eum pertinebant, Helmani patruum.

LXVII. *Eru-*

LXVII.

Eruditiſs. viro D. Cornelio Sceppero Cæſari à ſecretis.

S. P.

MIhi cum tenaciſſimo malo res est non ſine vitæ periculo. Rogo, fac ſciam, quid acciderit Alfonſo Valdeſio. Tot menſes non ſcribit verbum. Aut ægrotat, aut ablegatus eſt, aut totus alius in me factus eſt. Aueo, & de Liuino noſtro cognoſcere. Tantum ægre potui, mi Corneli. Friburgi, poſtrid. Pentecoſtes. *Priuata.*

Tuus

ERASMVS ROT.

LXVIII. *Eru-*

LXVIII.

Eruditissimo viro, Domino Georgio Cassandro, Theologo. Duisburgi, In ædibus Domini Cancellarij Cliuensis.

Ecclesiastica. Politica.

IO. Metellus Georgio Cassandro. S.P.D. Etsi, ab eo tempore, quo à te discessi; quamquam ternis, aut quaternis litteris, à me prouocatus; nihil respondisti: tamen, mihi committendum non esse duxi; vt tibi negligentiæ verterem, qui es omnium hominum diligentissimus; quod multæ aliæ occupationes tuæ de rebus publicis sacrisq;, præoccupasse, nuncque hoc tempore maxime tibi pæne extorsisse, videbantur. Fama enim omnes accepimus; te, in iis studiis jam totum occupari; quæ primum Imperatoris Ferdinandi jussu, deinde Maximiliani Cæsaris rogatu, suscepisti: ea nimirum, quibus certa quædam religionis formula; quod ad opiniones in religione de

de fide dissidentes attinet, ac mores, ad ineundam concordiam, comprænditur. Facile ergo patiar, silentium tuum, optimis illis laboribus, nænias meas obruere. Sed ægre fero, saltē hoc te non scribere, quod minime tibi vacat huc scribere. Dum enim, multi de te nos interrogent, alii quoque scribant: nihil est, quod ego respondeam: ego, inquam, qui, ex omnibus, qui te, dum hic esses inuisebāt, (nam nemo est, qui non maluerit alio, metu pestis, migrare) sum solus reliquus qui stationem, Dei summi beneficio sanus ac saluus, minime deserui. At hoc, mirabili diuina prouidentia, contigit: ac tantum profeci, miserandæ ciuitatis casibus, vt quæ Philosophi, scriptis ex aliis accepta tradunt de contemnenda vita, quamque nihil sit in nobis, de quo nobis quid polliceri possimus, ipse coram spectarim, licet inuitus: atque tandem, non ex mortuis, sed viuis magistris, didicerim: multum vero interest, quid legas,

an

an videas, vti tute facile noſti. Videre autem mortuos, quos biduo ante, hilares ſpectaſti, nec vnum, ſed multos: equidem, conſtantem etiam hominem, mouere poteſt. deinde, antidota nulla, huic lui obſiſtere, metum auget. præcipuos ciues fugere, plebem attamen, periculis audacter ſeſe objicere, nec timere, immò, mori fere cupere, quid aliud porro eſt, quam, lupum auribus, in re periculoſiſſima, tenere? Tu, mi Caſſander, ſic habeto: ciuitatis ſtatum, eſſe valde mœſtum, in qua, & medici, & pharmacopœi, ſolum verterunt non quidem, ſed ſedes mutarunt, & quorum liberi, & familia, vim morbi non modò, ſed & mortis, ſenſerunt. Publica loca deſerta, fora venalia; ex centum, vix ſex habent, qui obſonia ex agris adferant. mercatores, non habent emptores: neque opifices. Sacra, à paucis fiunt. Diuites enim ſacerdotes, templa reliquerunt, vt vix quattuor ex triginta, domi manſerint. judicia ſilent alioque

que translata sunt. Quid? fertur, ad hominum x x v. millia, ea lue periisse. Vehementiorque vis eius longe putatur, quam ab hinc annis vndecim fuerit: Nos, qui in Andreæ clausstro habitamus, ex duodecim, decem domos infectas conspeximus. neque adhuc omnes sunt liberæ. Quamquam enim aliquantum, propter proximum frigus, sedata est, id, non eiusmodi censetur, vt vllum, vel periculi, vel morbi, metum abstulerit. Ex familiaribus tuis, Echtius, vxorem amisit. VIII. Idus Octobris, Ciningi, quo ea, cum vniuersa familia, periculi vitandi caussa, pridie Calendas adpulerat. Tertio nonas ægrotare cœpit. Corpus, nauigio huc allatum, & heri, in Albani, sepulta. Maritus itaque, mirifico dolore torquetur. Rediit, nec hinc alio migrabit. Conradus quoque Bestorpius, vxorem, ac ruri. Faber, vt audio, duos liberos. Sed, plura jam non libet defuneribus. Nec hæc ego scripsissem:

nisi

nisi putarem, te cupere scire, statum ciuitatis. Quem, non est intuitus Ximenius noster, lugubrem. Abfuit enim Septembri, qui, fatalis huic vrbi fuit. At, decuisset Philosophum Epictetæum, ac pauperem Theologum, ista coram conspexisse. ipseque, hoc maxime auebat. Dicebat enim, has miserias, esse longe omnium optimam mortis cemmentationem: licet, præ ceteris, hunc communem casum Christiane defleret: nec aliud ad me scribit, ingeminans eadem. Nescio, quo fato, malit apud Torrentium viuere, quam hic, una tecum, de grauibus rebus disputare, & publicam rem juuare. Sed est ita natura comparatus, vt nulli, quidquam negare possit. petenti adsensit, vti de pueris illis. id quod, magno ei incommodo sane accidit, etsi tu ei suasisti. Ita impedita sunt eius studia, atque præclaræ cogitationes, in rebus humilibus, & eius ingenio non dignis. Tu si potes, à mensis illis Eburonicis eum abstrahe: nihil enim

enim ei melius facere potes, conse-
neſcet apud turbã, cui balnea, vina,
Venus, plus nimio ſunt in deliciis,
& quamquam vitam faciunt, cor-
rumpunt tamen corpora, quantum-
libet ſana. Ipſe vero, non hæc ſtudia,
ſed litterarum ſequitur: eſt vero,
tanta eorum hominum in viuendo
liberalitas; ut, ſobrium non ferant.
Quæ vidi, refero, ac valde dolet,
etiam doctos, vulgi conſuetudinem,
ea in parte, ſectari. Sed hæc tu, me
multo certius intelligis. Ex nundi-
nis Francofordienſibus Caluini in
Ioſuam commentarius, operum eius
partus poſtremus prodiit, cui præ-
fixa eſt, ex Beza, obitus eius deſcri-
ptio. Senatum vrbis Geneuæ roga-
uit; vt ad ſe veniret adfixus lectu-
lo, ei commendauit negotium reli-
gionis: poſtea, omnes eius vrbis mi-
niſtros cohortatus eſt, ad mutuam
concordiam. Poſt ſacram ſyna-
xin, ex more, ſollemni conuiuio, in
eius domo fuerunt excepti, ii om-
nes. Alia die, omnes in agro mini-

ſtros, ad ſe quoque accerſiri juſſit, quos animauit ad conſtantiam in religione retinendam: teſtamentum condidit, non admodum quidem, vt ex eo videtur, dives. Elegans carmen ei poſuit Beza, quod adſcribam, quia te nondum id legiſſe puto.

Te viuo, Caluine, fuit mihi viuere dulce.
Hei! cur non licuit, te moriente, mori?
Et tamen eſt, fateor, grata hoc mihi nomine vita;
Quod, tibi quas fundam, ſufficiat lacrimas.
Viue igitur Beza in luctus, tibi vt vſque perennes
Caluini in tumulum vita miniſtret aquas.
Iunctura abſenti donec te rurſus amico
Mors pariter vitam finiat, & lacrimas.

Cætera, ex eo ſcripto cognoſces. Mortem ſane Caluini, peſtis conſecuta eſt Geneuæ, tum belli ab Allobrogum duce metus maximus. Ita tamen ea vrbs vires ſuas munierat;

vt

vt Bernenſes, Baſilienſes, Tigurinos, cæteroſque ſuæ religionis Heluetios, ex quodam fœdere, ſibi coniunxiſſet, omninoque ſtatuiſſet, impetum belli ſuſtinere. Sed quoniam, tam ſæua peſtis in Heluetiis, ac vicinis eis locis, graſſatur: ea vrbs, à Duce, verum tamen exigua pecunia, pacem pacta eſt. Putatur & eos, cum proceribus nonnullis Gallis, rem communicaſſe: ac fortaſſis, maius aliquod incendium oriturum fuiſſe. In Gallia audimus omnia eſſe compoſita. Philippum ſerio agere, de vetere religione, in integrum reſtituenda. Gallos ad hæc, quo Catholico Regi ſatisfaciant, conniuere: atque rerum faciem ita fucare, vt aliquid tale velle videantur. Itaque Philippo verba dari. Cuius item legato ſurripuerint furto notas eas litterarum, quibus ſecreta ad Philippum mandabat. Quod vero nihil in ea re, cum Philippo ſincerius tractent, vel hinc liquet, quod edicto nouo confirment, pacis

illud, mutuum inter vtriusque Religionis viros, fœdus, immo concionesHugonoti, vti prius habeant. Lugduni quidem, seuerius se gessiisse Carolum Regem, sed hoc non religioni, immo vero seditionibus tribui. Nunc certe, ea vrbs, tantopere pestiferis conficitur morbis, ut vix quartus quisque superstit: clausæ, omnes officinæ. nec eo amplius, mercatores commeant. Nonnulli scribunt, in ea vrbe, non esse reliqua hominum quinque millia. Vniuersa quoque Rheni ripa, qua vsque decurrit, infecta. Heluetii etiam: præsertim Basileenses, maritimæ denique, ad Oceanum Germanicum ciuitates propemodum omnes. In Hispaniis porro: Tarraconenses, Barcinonenses, Valentini. Philippi Regis vxorem, opera medicorum, quo ipsa seruaretur, fœtum abegisse certum est. ita quidem, vt nonnulli, propter vim medicamenti, vereantur, ne perpetuo sterilis inde remaneat. Carolum Philippi Filium,

ducturum

ducturum in vxorem Maximiliani Regis natu maiorem filiam. Venturum autem esse in Belgium, non auditur, quantumuis Cardinalis Granuellanus, propter simultates, quas cum proceribus gerit, aliud adferere feratur. Is, in Sequanis haeret, nimirum Vesontione. nec se rediturum huc scribit, nisi vna cum Philippo Rege. Iam, longe minorem auctoritatem habet: nam, res omnes, eo absente, sine eius consilio geruntur. Abest autem, praetextu visendae matris, ac familiae inter fratres herciscundae: quidam tamen audacius, nam, liberum exilium interpretantur. Nuper Philippo Regi, Simonem Renardum Sequanum, tamquam odii proceruum in se callidum architectum, detulit, vt aiunt, eamque ob caussam, Renardum, in Hispaniam euocari. quo nempe Proceribus eum virum adimat, cuius consilio vtantur. ac miris artibus, eorum amica societas dissoluatur: ipse, denuo rerum habenas

benas capeſſat. Eo tamen eſt ingenio, & animo Renardus, vt non facile ceſſurus ſit. ac minitanti, peiora minitetur. Hæc tibi, nolim enim eſſe auctor, huius nuntii, quod utrumque norim, ſintque mei ciues. Romam ego miſeram librum tuum, de communione calicis; quem Epiſcopus Balneoregienſis Pontifici legendum obtulit. bonique munus cõſuluit. Sed Claudium Britonium, neque Galli conteſtationem, nec eam, quam Germani Principes Auguſtanæ confeſſionis, Ferdinando Francofordiæ exhibuerunt; ferre potuit. Inter ceteros autem libellos, ſupra modum admiratus eſt, editionem orationis quam habuit in Cardinalium conſeſſu, eique Epiſcopo, ſæpius ingeminauit, ſe, eam, nemini vinquam oſtendiſſe, minus, eius exemplum tradidiſſe, gratum nihilominus eſſe, quod omnes eos libellos accepiſſet. De tuis rebus, etſi tu nihil ad nos, hæc audio. Maximilianum Regem, tibi ſcripſiſſe, pergeres in conci-

concipienda reformationis formula, ea prorsus ratione, quam litteris Ferdinandus pater, paulo ante obitum præscripsit. ac tibi misisse, ducentos florenos aureos, honorarii nomine. An hoc verum, scire cupio: ac videre exemplum epistolæ Maximiliani, & tuæ ad eam responsionis, vt intelligam negotium ab ipsis fontibus, institutique tui propositum. Mihi vero, soli, scripseris. Idem quod à te rogauit vel potius jussit, à Vicelio, cui, paternam centum florenorum aureorum pensionem, confirmauit: te vero, ei prætulit, cui, ampliorem tradidit. Scriptum itaque, suum, Vicelius absoluit, utque idem præstes cumprimum, valde cupit. Eum ferunt, non posse quædam odii vestigia, cælare, quod ne tibi eueniat, cauebis. Etsi enim ab utrisque impeteris; tuæ tamen pietatis est, omnes adfectus procul arcere, vti hactenus feciſti. Nec te moueat Index librorum, prohibitorum per Patres Tridentinos, ex auctoritate Pontificis

ficis adprobatus; in quo, Hymni tui condemnantur, vel vetantur legi. Vides enim quid concordiæ cauſſa, probos pati conuenit in tot, tantisque de religione diſſidijs. Sitardum Ferdinandi Imp. concionatorem, Maximilianus Rex, ad ſe adcerſiuit; eoque loci, quo pater eum habet. Sambuci nullas litteras, præter eas quas tibi Ximenius coram oſtendit, accepi: ei miſi Neruij tui defenſionem. Si quid tibi ſcripſit, fac intelligam, & ſi reſcripſeris, mei memineris, obſecro. Sed vehementer deſidero ex te audire; num Campani genius interpres, tabulam Eugubinam Latine verterit. Curarem enim alteram ei tradi per Pyghium. Sin minus, nihil eſt opus, ne nos omnes, & Campanum, callidus interpres, vana ſpe vel alat, vel rideat. Certus eſt rumor, de Iulij Phlugij morte, & occupatam eſſe, vniuerſam Numburgenſis eccleſiæ ac dominij iuriſdictionem, ab Auguſto Saxone, ſuiſque ditionibus eam adiectam.

iectam. Vereor, ne huius exemplo, cæteris Principibus calcar addatur, idem cum vicinis Episcopis, paulatim tentandi, atque sensim, Catholici ruant. His inclusi, breuiculum Gallicum, quod, amabo te, Valtero nostro mitte, & ei sedulo commenda, meisque verbis diligenter saluta hominem tui studiosissimum scilicet, meique amantem. Nemo, iam te salutat. Omnes enim tui, nostrique, absunt: præter vnum Echtium, qui mœrore conficitur, quod mihi certe, vehementer dolet. Vale, v Idus Octobres, MDLXIV. Colonia Vbiorum.

IO. METELLVS.

LXIX.

Erudito M. Petro Aegidio, amico incomparabili. Antuerpiæ.

S. P.

Priuata. MAtura vt Hieronymus probe concinnatus huc veniat, propter annotationes asscribendas. De numero & ordine voluminū Pettum consulito. Mihi satis videtur, si in sex volumina compingantur, & si epistolas ad Basilienſem & Berum tradideris. Franciſco non dubito quin ſint redditi. Supicabar nos alteri commiſiſſe. Nuſquam adorno. Tu fac præfationem mittas, ſed ad alium potius quam ad me. ad Buſlidum potius. In cæteris fungar officio amici: Pauli ſententias ſi videtur huc mitte per Franciſcum, vt Badio committamus, à quo nunc binas accepi litteras, & item à Badio prolixiſſimas, ſed amicas. Dorppianas nugas prope diem impartiam tibi. Nunquam vidi hominem inimicius

micius amicum. Tonſtallus lectis illius ad me ineptijs, & meo reſponſo, ſic odit, ſic execratur hominem, vt vix nomen ferre poſſit. Vide quantum profecerit. Reſpondit: & ego viciſſim illi: ſed teſtatus, me poſthac non inſumpturum operam in huiuſmodi nænijs. Tonſtallus optime de te ſentit, & ingenium tuum vnice amat. Næ tu homo bonæ fidei es, qui non ſolum cum bonis ex veteri formula bene agendum exiſtimas, verum etiam cum veſtiarijs ac nautis. Paciſci debueras cum nauta. Nunc petijt quantum libuit. Deinde ex texto Tornacenſi, quo veſtem ſubduplauimus non redijt ad nos præter vlnas plus minus quinque, nimirum ex viginti. Verum hæc leuicula. Cocles, aut ſi mauult Cyclops, illorum teſtamentum pro loco tradidit. Si eſt cur te huc velis recipere, mihi ſane aduentus tuus erit gratiſſimus. At nolebam te mea cauſa circumagi tuo incommodo. Nam mihi decretum eſt hanc perdurare hyemem.

hyemem. Ab hac nec στυμὴν τῦ χρόνυ. Si quid seuiat in Ioannem puerum tuum, in me seuiat oportet, qui biduum illum remoratus sum. Equum alterum ita vendidi, vt perditum putem, non venditum. Rursus hunc quem donaui Abbati Bertinico, non minus arbitror periisse. Bene vale amice incomparabilis. Optimo parenti & suauissimæ coniugi multam ex me salutem dicito. Bruxellæ pridie Natalis Lucæ. Vbi dabitur commodus γεάμματοφόρ@. Fac, habeam, quod Dorpio respondi, à te descriptum.

ERASM. ROT.

LXX.

Sebastianus Castellio N. amico Belgæ. S.

Theologic. QVod istic sic passim seuitur in Anabaptistas, doleo, & persecutoribus sanam mentem opto, non quod

quod erroribus faueam Anabaptistarum, sed quod & ipsi persecutores, & erroribus non minus, credo, grauibus, & sceleribus laborant grauissimis: & si neutrum esset, & cætera abessent, vel hic error & hoc scelus esset quouis Anabaptistarum errore grauius, quod homines ob religionem interficiunt & putant interficiendos. Nam omnino hic persecutionis spiritus alienus est à Christi spiritu, & qui eo impelluntur nesciunt cuius sint spiritus. Et tu frater, caue, per Deum te quæso, caue ne te vel imprudens vlla persecutionis societate contamines. Non ego de sententia tua loquor, quam ab istis persecutionibus abhorrere mihi persuasum est: sed de euentu, qui vel inuito te consequitur tuas cum Anabaptistis disputationes. Audiui enim eos à te in gratiam Principis aduocato refelli. Deinde cum refutati tamen in sententia perseuerent, puniri. Si ita est, malim te in ipsis Principũ erroribus & peccatis castigandis

gandis & refellendis occupari, quibus eos scatere tu non ignoras, eisq; hoc primum omnium persuadere, non esse homines ob religionem interficiendos: Ita demum liceret nullo Anabaptistarum (nõ dicam enim Principum.) periculo disputare. Nunc dum principibus illo errore infectis refellis Anabaptistas, idque ab ipsis principibus aduocatus, vt quos volens refellis, iisdem nolens noceas, neq; ipsis principibus quicquam prosis, neque enim reddunturprofecto tua de alienis erroribus disputatione meliores, sed duntaxat in suo iniusto facto (ne quid dicam asperius) confirmatiores: sanctius esset, Deoque acceptius, te tuo periculo principibus refellendis operam dare, quam ex tuto disputantem miserorum miseriam augere. Neque vero errores refellendos esse nego, sed sic refellendos non iudico. Hæc à me beneuolè amiceque dici non dubitas. Mouet me & illorum miseria, & tuum periculum. Scis quid

sæpe

sæpe audiente me dixeris, Ne nos inducas in tentationem. Callidus est Satan, & paulatim trahit quoscunq; potest in societatem sanguinis, à qua nos ita procul abesse debemus, vt vel à veste abhorreamus sanguine polluta. Denique vt officij nostri quid sit, sciamus, sic cogitemus. Quid faceret Iesus si hic esset? & statim responsum in animis nostris audiemus. De Gallia nihil, nisi meros furores audimus. Rhotomagum captum esse fama est, & vtrimque cecidisse plurimos, & expugnata vrbe ita esse seuitum in oppidanos, vt matres quo hostium manus euitarent, seque suosque natos in flumen demergerent. Denique tota Gallia nihil miserius cogitari potest. Vę auctoribus, væ sanguinarijs, væ incendiarijs, & Principum instigatoribus. Hi sunt fructus doctrinæ de persequendis hæreticis. Amarunt sanguinem, & sanguinem, ô iuste Iudex cœlestis, eis dedisti. Sed finem faciam, nam nihil proficio, tantum iu-

stissimum

stissimum meum dolorem in fidelissimi optimiq; amici sinum effundo. XXIII Nouembr. MDLXII.

SEB. CASTELLIO.

LXXI.

Clariss. rectioris Theologiæ doctori Georgio Cassandro, viro Dei, Fratri charissimo suo.

S. P.

Ecclesiast. QVàm primum vidi commendationem, Imò approbationem Cęsaris tuo de libro, charissime Cassander, exhibente Arnoldo nostro, protinus cœpit gestire animus mihi præ gaudio plurimo, in vtilitatem Christianismi publicam: nec hoc ego gaudio cupiam vnquam fraudari, at isthuc exaugeri magis. Id quod fieri aliter vix queat, nisi copiam legendi libri mihi feceris, ad fidem opt. Arnoldo id procurante. Cæterum posthac cura prima nobis erit, vt cum

vt cum Cæsare eodem tempore locove vnà coniungamur, ad ea nimirum, quæ in medium consuluimus, seriò pertractanda. Nullibi verò id fieri poterit commodius, quàm ad Rhenum, partim valetudinis nostræ, partim viciniæ gratia. Nam longius proficisci, non est nostrum. Et habet Rhenus, quo Comitium alat, forsitan vberius aliquanto, quàm aut Lechus aut Regenius: Vt modo taceam loci huius commoditate plures ad conuentum Imperialem inuitari posse Principes, & tempora hæc difficillima idem omnino flagitare. De hac caussa grauissima commonebis aulam, obsecro, tui cum amatricem, tum admiratricem. Bellum Transsyluanicum authore Satana, heu quanta præpedit? Vereor, ne huic succedat Saxonicum. Cuiusmodi nunc N. à pace Princeps dictus, abiecta pace moliatur, nihil ad nos, qui concordiam meditamur, omnium factionum osores præstrenui. M. Arnoldus stu-

penda referret. Atrociora certè clerus irreformabilis commeruerat passim in Germania. Virga Dei quępiam esse possit N. nisi subesset macula notabilis. Te in Christo filio Dei Seruatore vnico nostro valere semper, ex animo precor, quia diligo fratrem. Moguntiaci XIII Maij. Anno MDLXV.

Tuus

GEORGIVS VICELIVS,
Senior.

LXXII.

Eruditiß. viro D. Georgio Cassandro, Theologo, &c.
Xantis.

Historica. Varia.

METellus Cassandro. Litteras Maximiliani Cæsaris legi non sine magna voluptate, quod eum ex ijs intelligam totum incumbere in eam curam; vt deformatam tot nævis religionem; per te, ac cæteros, reformet.

reformet. Laudat autem consilia tua, mirum in modum, atq; prudentiam, & doctrinam. Ego igitur, vti decet, tibi quoq; priuatim gratulor hoc nomine: tum Echtius noster. Cuperem tamen, maiora liberalitatis in te, à tanto principe signa edi, quam verborum, maxime cum sciat, te esse tenui fortuna, & morbis continuis prope obnoxium: teque nihilominus, tantos labores sustinuisse. Quod spem facit; næ illud, re ipsa exiguum est. nam nosti versiculum Poëtę; Diues, promissis, quilibet esse potest. Quos libellos defensionis tuę petis, ad te mitto, numero octo. De Ximenio, ad Sirenios scopulos consenescēte Leodij, nihil scribo. Si hæc legeret, fortassis mihi succenseret, quod eius morā reprehendo. Tu tamen pro certo habe, si hic esses, cum primū ad te venturum. Expolit enim lambitq; suos fœtus, quos ita cœpit amare; vt cætera, quantum credo, posthabeat. Sed eos, tuo iudicio, vel absoluet à Vulcano, vel ipse sane, cō-

demnabit. Hortatus sum eos cumprimum in lucem protruderet, ne serius remedia cicatricibus vel recentibus potius vulneribus, callum iam obducentibus; insignia quæ tentat, adhiberet. Ego autem, iterum à te peto; vt, cumprimum tibi per valetudinem licebit; iudicium tuum ad me scribas, de responsione, ad Balduini de reformanda ecclesia consilia, vel idæas, illisque argumentis, quæ multos vrgent; saltem paucis, mihi priuatim, quo ceteris quoque satisfaciam, temet opponas. Hæc hactenus: nunc ad publica. Vesalius, certa sponsione pecuniæ, quo magis prædiues diteſceret; ex Hispania, superiore anno, Hierosolymam profectus est, neq; se mercatoribus, sed peregrinis comitem adiunxerat: sibique satis sordide de commeatu & annona prouiderat. Inde rediens, à quodam Georgio Bouchero Nurembergense, ex Ægypto, ciuitateque Cayro redeunte, in itinere repertus fuit, quem is ad

se

se pertraxit: ita, vt nauim suam ille, vt se comitem ei iungeret, reliquerit. Totos XL dies tempestatibus acti, terram adpellere cum non possent, ipseque Vesalius nimis tenuiter, præ sordibus, sibi de pane, aquaque prouidisset, ac multi morerentur, inque mare demum abijcerentur, animi languoribus, ac timore, in morbum incidit, sæpe nautas rogans, ne se in mare, si moreretur, projicerent. Tandem nauicula, Zacynthum adpulit, à qua, cum primum desiliisset; eam vrbem ingrediens, ante ipsam portam, mortuus est: cui, saxum posuit is qui hæc refert, eius comes. Hunc exitum, viro alioqui claro, nimius pecuniæ ardor dedit: quem, multas in humani corporis partibus cognoscendis litteras extinguere debuisse, tibi videretur. Gallicarum rerum status, sic se habet: vt sensim, vni alteros, quemadmodum ad me scribit Episcopus Atrebatensis, qui te salutat, ferre consuescant: nisi tamen, colloquium

Caroli cum Elizabetha & Philippi, noui quid monſtri parturit: quamquam Carolus proxime Ordinis ſui Equites creauit: in quorum numerum, nouæ religionis proceres plures, in primis Porcienum Principem adſciuit. Lotharingus enim, ad ſuos Mediomatrices, facto illo Pariſienſi perculſus, haud inuitus reuertit. Hiſpanicus creber eſt rumor, Philippũ aut Carolum F. ad Belgas aduentare: ſed apud eos, qui penitius Reip. ſtudia perſcrutãtur, vacillat. Renardus, à Granuellano Maieſtatis accerſitus, ita ſe defendit: vt, magis ei Rex, quemadmodum audio, faueat. Sed heus tu. Audio, pro certo confirmari, ſacros eius prouinciæ ſanctoſque Inquiſitores, mirificis perſuaſionibus, Pium IV. tentaſſe; vt ſibi purpura, tanquam Cardinalibus, vti liceret. Habitum enim apud Hiſpanos, natura cultus eiuſcemodi mirabundos; pijs illis Quæſtoribus criminum de religione maximam eſſe allaturum auctoritatem: hoc vero,

vero, iam modis omnibus procurandū, quod sæua illa hæresis aliquorum viscera prorsus occuparit. Pius autē, veritus ne hominibus ambitiosis habitus gradum ad maiora præberet, & excitaret aliquot potentiæ æmulos; permisit, vt sibi Patriarcham aliquem, ijs regnis crearent: cum præcipue, eos impellere posset, illius cōtra Philippum, eiusq; posteros, sententia, qua Carolo præire Hispanis licet: quo is quidē, aliquantum Philippum demulceret; & claris illis luminibus obstrueret: Philippo non petenti, immo ignoranti, vltro detulit, decreuitq; summam Superintendentis titulo potestatem Hispanicæ Inquisitionis, qua ex caussa, mitior futura putatur. De Romanis Italicisq;, vulgo iactatis rumoribus, hæc feruntur. Supplicio adfectos aliquot ex iis, qui XIV Decemb. diem, Pontifici necando constituerant. Pium, horribilē Romanis Harpyis bullam promulgasse: qua cogantur in Beneficijs quæ residētiam, vt ipsi loquun-

tur, exigunt præsentes, qui ea possident, adesse. Empsium Cardinalem, nunc maxima gratia, apud Pontificē florere: tum, quidquid beneficiorum vacat, in Germania, id omne in suos cōferre. Maximilianum, à Pontifice, sacerdotibus vxores petere. parœcis fortasse, concessurum: sed Canonicis, nō minus eas deberi, qui sint & ditiores, & lautiores. Italos Proceres, vna cum Venetis, in Philippi potentiam, quam ipsi suspectam habeant, fœdera clam inijsse, & Corsicam, in id, iam à Petro Corso, etiam Gallorum secretis auxilijs impeti. Qui metus, Philippum, quo principijs obsistat, in Italiam euocet. Cosmum enim Florentinum aperte Corsicam sibi velle quærere. Accepisti, opinor, Furstembergium, Ordinis Liuonici Magistrum, à Moscouitarum Duce, è captiuitate non modo liberatum, verumetiam, omnibus suis prouincijs restitutum, annuo quidem, at tolerabili satis tributo. Polonus attamen, qui suppetias

tias Ordini laturus fero venit: sibi Rigam, Liuoniæ Metropolim, retinet; ac Suecus Reualiam: egregij scilicet tutores, qui miseros à Barbaris adflictos, spe præsidij, spoliant. At & ipse Ordo sibi hoc vnum à Moscouitis exitium accersiuit: dum opes illinc, & equos, ceteraque ad ducendum bellum opportuna, ad suos in Germaniam, superioribus annis miserunt: ita, vt prouinciam, omnibus necessariis rebus, propemodum ab ijs expilatam, hosti reddiderint opportunam ad inuadendum. Hoc Liuonico bello Polonus cum Turca fœdus contra Moscouitam ferijt: quod, ne vtrique Pannoniæ, nonnumquam sit futurum pernicioſum, multi prudentes viri suspicantur. At Polonus, fære coactus ad id fuit, quod eius maior nobilitas in Moscouitam propendere videatur. Cæsar Vaiuodianam expeditionem Triumuiris commisit, quorum vnus, Lazarus Schuendius, qui iam rebus à Vaiuo-

da,lociſq; occupatis,nunc poſtremo recuperatis Cęſari,in Vaiuodæ prouincia,bellũ gerit,in qua ad milliaria xx progreſſus dicitur; vltraq; ſemper exercitum producit. Tocaium, prȩcipuam arcem noſtri antea vi ceperant, & aliquot alias, deditione: quibus initiis felicioribus noſtrisfuit additus animus; & hoſtis in fugam verſus. Solimanus enim, qui falſo creditus eſt mortuus, Vaiuodæ factum improbauit; Turcaſq; ei militantes, iamdiu ad ſua præſidia reuocauit, ſeq; Cæſari, ea de re, per legatos purgauit. Seſe quoq;, Cæſari Polonus excuſauit. Eſt enim Vaiuoda, ſororis eius filius. Solimanuſq;, octẽnales inducias cum Cæſare firmauit. Hoc bello factum eſt, vt Cæſar, Ferdinãdo patri exequias, quibus Martij decimus dies Pragæ dictus erat, in aliud tempus diſtulerit, atque Comitia Imperij, quæ Maio indicta dicebantur. Et quod ad exequias attinet, eo venturi putabantur Principes viri Germani, inprimis Auguſtus

gustus Elector, qui cum Maximiliano maximam amicitiam alit. Atqui, nonnullis suspicionem mouit: quod die Purificationis, cereales nullæ ceremoniæ factæ, vel solemniores, quã cæteris Dominicis diebus habitæ: licet Cæsar interfuerit cõcioni, & anno superiore, nihil earum prętermissum. immo vero, ijs, Maximiliani fratre Ferdinando, ac Maria eius vxore, cohorteq; omni curiæ, & Episcopis, & Cardinale vno præsentibus; multum diligẽtiæ fuerit adhibitum. Hæc igitur tam subita mutatio nonnullorũ animos perculit. Cãtoneus, Granuellani Cardinalis frater, ad Cæsarem ex Sequanis Philippi nomine proficiscitur, vti suspicio est, tractando eius natu maioris filię matrimonio, cum Carolo Philippi F. quam & Carolus Gallorũ Rex, ambijt. Antea Cæsar Philippo quippe respõdit, se Carolo eam elocare non posse, nisi de Caroli vita, vel prosperiore valetudine, certior quædam spes adfulgeat. Hunc Cantoneum, miris

miris artibus, Granuellanus, ad hanc legationem promouit: quo, Maximiliani fauore res suas in Belgio stabiliat, atque sibi magis Philippum confirmet, ad quem ex Sequanis creberrimas litteras, vti ex Hispanijs adfertur, dat, de rationibus Belgij regendi: sed qui scribunt ea de re, dicunt eas eo tendere, vt rem ipse constituat suam. In Germania, nihil noui. Iuniores Saxoniæ Duces, exercitum cõscribere feruntur Sueco, Augustus Dano. Sed Landgrauium procurare, ne vel Sueco, vel Dano vlli milites mittantur. Hæc sunt, quæ tibi de multis multa scribere volui: quoniam hoc à me petis. Nam tibi de religionis reformatione, quam Cæsar molitur, & ad proxima comitia parat, aliquid significarem frustra, cum ista tibi vel domi nascantur. Litteræ, quas Illustrissimus Dux ad Capitulum Apostolorum mea causa scripsit, libellum meum supplicem insertum non habent: ac vereor, ne communi formula

mula conceptæ, ac porro mihi parum vtiles sint. Quam ob causſam, cum mihi, earum exemplum missum non sit, à Reuerendo Præposito Cliuensi petij, ipse eas apud Secretarium perlegat: numque petitioni meæ commodę sint, videat: atque mutari eas curet, nouasque mittat & insuper alteras ad Abbatissam Vilicæ. Tu, quod poteris, mea causſa facito. Vrgeor enim ab aduersario, qui iam declaratoriam excommunicationis contra me obtinuit, quod, quæ molior, minime probarim. Vesembecius, qui fuit à Duce in integrum restitutus; nunc à Senatu Vesalienſi denuo vexatur, eiusque bona, neglecto, vel vilipenso Ducis mandato, detinent. Mirum est, tantum posse odia, apud nouæ religionis homines. Hoc scribo, vt si casus tulerit, eiusce rei Amplis. Dom. Cancellarium, admoneas: eique, meo nomine, omnia clientis officia tu offeras. Vale, XVII Cal. Maias, MDLXV. Colon. Agrippina.

Cum

Cum has obſignarem, litteræ ad te & Cornelium mihi allatæ ſunt; quas mitto: cuius ſint, haud ſcio. Ecce item tibi Leodio ad me litteras, quibus Pius Cardinales XXIII creaſſe, quod felix fauſtumque ſit, fertur. Macte virtute, ſic itur ad aſtra. Iam tu, de pia veraque reformatione, maxima quæque, tam felicibus auſpicijs, cogitato. Iterum vale, ac multum ſalue. Pæne oblitus eram, laudatorem illum tuum Ieſuitam, Franciſcum, Romam vna cum aliquot collegis cogitare: hoc magis fauſtum huic vrbi credo. Exiſtimo, & hos, de galeris ita proſtitutis ſpes magnas ſibi concipere. Atque ſane ita eſt. Francofordia ſcriptum eſt, omnes libros, qui Geneua eo mittebantur, poſtquam Baſilea nauis Argentinam ſoluiſſet, ſecundo Rheno media nauigatione ſubmerſos: omnesque mutos illos, alioqui loquaces Veſaliæ futuros, & multis locis, magiſtros, perijſſe. Hæc, minime dubito, deferent;

tanquam

tanquam Xenia, nouis Cardinalibus, Ieſuitæ iſti Romipetæ; &, quid non de prouidentia diuina, vel huius naufragij cauſſa garrient? Sed iterum ego obſignaram has, cum ecce tibi Bircmannum Medicum, ab Archiepiſcopo Colonienſi redeuntem, qui narrauit, Archiepiſcopum ei dixiſſe; ſe litteras à Maximiliano Cæſare accepiſſe; ſcriptas propria eius manu: in quibus ei ſignificat; ſcriptum de religionis reformatione tuum, ſiue opus; ita quidem ei placuiſſe, vt id cæteris omnibus idem Imperator præferat. Archiepiſcopum autem ita in amorem tui eſſe inflammatum: quantum vix credas. Se, colloquio tuo, valde ſupraque modum delectari. Conſtituiſſe itaque tibi domum Bonnæ concedere: ac tibi, de reliquis, quæ ad victum pertinent, prouiſurum. Hæc, ſe totidem verbis audiſſe; iam dixit Bircmannus: nimirum, hodie mihi rettulit, qui,

Chriſti

Christi Domini nostri passioni, sacer est. Atque insuper, Achiepiscopum ei mandasse: vt omnia, quæ extant opera tua, in ei colligat, & quamprimum mittat. Rescribe quamprimum, & copiose.

IO. METELLVS.

LXXIII.

Clarissimo & Nobili viro Dn. Adriano vander Myle, Consiliario Regio, domino & amico suo honorando. Venetijs.

S. P.

Politica. De legatione Danica.

ACcepi literas tuas, ornatissime Myli, Decembr. datas, ad quas propter occupationes, quibus hoc tempore pene obruor, serius respondeo. Quod saluum me redijsse, quod legationem Danicam ex sententia confeciisse gratularis, in eo beneuolentiam erga me tuam agnosco. Quod non contentus fama, quæ passim

passim nunc apud vos percrebuit, rem omnem à principio ex me aues cognoscere, in eo etiam amplector amorem erga me tuum, vt quem amici gaudium gaudere video. Sed etsi pleraq; in hoc negotio eius sunt generis, quæ rectius verbis coram & familiariter, quàm literis exprimantur: ne tamen tibi, cui in alijs maioris momenti rebus gratum facere velim, hic non obsequar, summatim successum exponam, coram expositurus reliqua quæ literis illinere certis de causis nolui. Scripsi tibi Lubeca, si bene memini, quod ex consilio Senatus eius ciuitatis recto itinere, quo Hafniam petere constitutum erat, relicto, per Holsatos, aut si mauis Cimbricam Chersonesum, Flensburgum profecti simus, quod Rex Daniæ eo in oppido, quod ipsius ditionis est, tum conuentus agens, aliquandiu hæsurus ferebatur. Sperantes fore, quia proceres & consiliarios regni eo adduxerat, vt illic negotium nostrum

conficere, atque ita longioris itineris moleſtias, ac maris diſcrimina poſſemus euitare. Sleſwicum igitur cum appuliſſemus, quæ Ducalis eſt ciuitas, ſalutauimus ducem Adolphum, quem te in aula noſtra vidiſſe puto. Is nos valde humaniter Gottorpij (quæ arx eſt haud procul à Sleſwico diſtans) excepit: neque ſatis habuit nos conuiuio plane regio excepiſſe, adiunxit nobis itineris ducem vtriuſque linguæ & Germanicæ & Danicæ peritum, qui Hafniam vſque nobis de vehiculis prouideret. In tota enim Holſatia, aut etiam Dania vix meritoria reperias, ſed ruſticis ea, qui omnes ſeruilis conditionis ſunt, ex præſcripto Principis imperantur. Poſteaquam ex duce Adolpho intelleximus Regem relicto Flenſburgo Hafniam reuerſum, magnis illum itineribus conſequuti ſumus, atque cum ad Hafniam appropinquaremus, Rex de aduentu noſtro factus certior, hoſpitium nobis deſignari iuſſit domum

mum præcipui cuiusdam ciuis, vt in ea regione, satis commodam. Tertioque postquam appulissemus die audientia data, ego Germanico sermone mandata ad longum exposui, quod sane felicius cessit, quam sperare ausus fueram. Feciq; etiam contra id, quod antequam iter susciperem vellem, mihi tum non satis ipse fidens, nominatim, vt scis, stipulatus fueram. Interea autem dum de responso dando deliberatio habetur, Rex nos magnifico sane conuiuio excepit, in quo multi φιλοδήσιοι κρατῆρες obambulabant, quos nos, cum Rex præiret, μάλα παικρατικῶς, præter Danorum exspectationem, imperturbato cerebro hausimus, vt quod de Polonorum Regis, atque aliorum Principum legatis gloriantur, de nobis Dani iactare non possint. Post sex deinde dies responsum in scriptis traditum, præsente rege ab ipso signatum & sigillo regio munitum: petijtque rex, vt quale esset boni consuleremus, se, vt res

nunc sunt, amplius concedere non posse. Sed cum quid scriptum contineret explicatum non esset, tantumque salutationibus alijsque περίεργοις sermo extractus, verentes, id quod res erat, diximus, nos perlecturos, & si quid esset quod explicatione egeret, aut quod perperam fortassis intellectum esset, vt corrigi id posset, postulauimus, vtque si qua difficultas posset suboriri, quia ipsius Maiest. forte tædiosum foret interesse, aliquos ex Consiliarijs regni delegaret, quibuscum libere posse-mus de totius negotij statu communicare. Quod haud grauatim, vt visus est, nobis annuit. In hospitium reuersi, cum scriptum legissemus, dici non potest, quanta molestia simus affecti. Quid multa? Ego totis duobus diebus vix cibum, totidem noctibus vix somnum capere potui. Nihil toto eo scripto præter phaleras, nihil præter ambigua verba, Apollinis responsis similia. Postridie ij qui tractando negotio delegati post-

ca

ea à rege fuere, munera offerunt, quæ longo sane tempore à nobis repudiata, tandem postremo responso dato accepimus. Neque enim tametsi à regia munificentia proficiscebantur, accipienda iudicauimus, nisi etiam lætum responsum in hasce regiones deportare licuisset. Communicatis itaque per aliquot dies difficultatibus, liberam tandem nauigationem obtinuimus, & vectigalium ex nouo abolitionem, plusquam vnquam sperare ausi fueramus. Et tu nosti qualis erat sub abitum nostrum, cum Bruxellæ vna essemus, de successu istius negotij spes: qualia quidam omina præcinebant. Hafniæ XXV dies mansimus, Helschenorumque excurrimus visendi gratia: ibi fretum quod Sundam nominant vidimus, inter duas arces, vt Hellespontum puto inter Sestum & Abydum. Rex ijs diebus, quibus Hafniæ hæsimus XVIII aut XIX feras sua manu confixas ad nos misit, vinique amas VII ac ἀσυμβόλους nos

voluit Dania excedere, misitque vsque ad limites regni nobilem quendam qui parochi officio functus ἀλλὰ καὶ τραπέζαν, aliaque ad iter necessaria procuraret. Tandemq; per plena discriminis ac pestilentia infecta loca, in patriam, læti, tanquam ex turbulento fluctibus mari portum consecuti, reuersi sumus, quæ lætitia maior esset, nisi eam interpellarent vel potius obruerent tumultus, quibus vbiq; nunc regiones hæ misere quatiuntur: sed Deus his aliquando finem dabit. Quæ autem toto itinere memorabilia vidimus, quæ de moribus illarum gentium forte scire desideras, hîc nihil scribam, ne nimium excrescat, quod iam video, epistola. Ex hodœporico eo, quod Secretarius Vlotinus confecit, quodque vna nunc misissem, si descriptum exemplar ad manum fuisset, alias poteris cognoscere. Tu autem ignosces si quid liberius hic: tecum enim quasi cum præsente, vt in buccam venit, loquor.

Quia

Quia autem in eo nihil facio quod ab intima noſtra familiaritate alienum ſit, nihil hic tu inuenies, ſed alij fortaſſis, quod reprehendent, quibus tu iſta communicabis, ſed illos admone noſtræ familiaritatis. D. Nicolao optimo candidiſſimoq; ſalutem: cui has communes eſſe cupio. Vale, Mechliniæ. Raptim IX Cal. Ianuar. MDLXVI.

T. d. addictiſs.

G. RATALLER.

LXXIV.

Nobili & clariſſimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Regis Hiſpaniarum Conſiliario.

S. P.

ACcepi, Clariſs. Domine Conſiliarie, literas tuas ad XXV Auguſti ſcriptas, quæ mihi gratiſſimæ fuerunt, gratiores etiam futuræ, ſi te *Priuata.*

valentem & omni ex parte sanum nunciassent. Cæterum quando res ita habet, prudenter mihi feciſſe videre, quod consilio D. Præsidis obsequens, eo te contulisti, vbi & aër ad recuperandam confirmandamque valetudinem accommodatior, & maior copia medicorum. Cui accedit quod eadem opera Italicos doctores de alluuionibus vestris cōsules; qui si non re (nam & per se & tua diligenti opera satis constabilita res est) certe authoritate & opinione, quibus rebus res humanæ sæpe magis quam ratione reguntur, causam iuuare poterunt. Si ante de profectione tua certior factus fuissem, omnino author tibi fuissem, vt huc ad me in Hispaniam te contulisses: vbi mecum domi agens, præter supra dictas commoditates, quę non defuissent, ad reliqua optima studia tua, tum linguæ Hispanicæ cognitionem addere potuisses, cuius omnino necessarius posthac erit vsus, quantum res nostras ire video, tum

vero

vero aulæ huius rationē, in qua non pauca sunt spectatu digna. Nec sane omisissem (vti nunquam etiam cum occasio erit omittam) in eorum te notitiam insinuare, quorum opera ad res maiores, maioresque dignitates studijs tuis dignas paulatim possis peruenire. Et vero si qua ratione fieri posset, vt isthinc ad nos accurreres, vnaque nobiscum proximo vere (vti Deo approbante speramus) in patriam redires, faceres sane rem longe gratissimam, & vt ita fiat oro. Quanquam etiam absque eo omnino tibi persuadere debes, si qua in re opera mea tibi queat esse vsui, nullam me vnquam partem studij officijque prætermissurum. Cura, optime & amicissime Compater, vt valeas, & me quod facis ama. Madriti XVII Decembr. MDLXVII.

T. D. deditissimus

IOACH. HOPPERVS.

LXXV.

Clarissimo & Nobilissimo D. Adriano vander Mylen, Regio consiliario, Domino & amico suo honorando. Venetijs apud Dom. Nicolaum Stopium.

S. P.

Priuata. CLarisſ. Domine. Literas tuas binas acceperam, quo tempore graui morbo in lecto decumbebam: eramque in ea ſpe cum nullum periculum itineris præuidebam, te breui ad nos aduenturum. Quod cum non fieret lapſis iam multis diebus, facile intellexi, te aliud iter ingreſſum fuiſſe. Conſilium & excuſationem abitus tui ego prompte & alacriter recepi: nec quicquam peculi video, ſi rerum ſtatus ita maneat. Quod ſi autem mutetur (vt breui futurum autumo) & cauſa ipſa, & tua conditio facile te excuſabunt. Reſeruabit nos Deus in meliora tempora

tempora: nos modo operam demus, vt ei in iustitia, & antiqua pietate seruiamus. Noua hîc valde incerta sunt. De Condæi morte hactenus certi fuimus. at nunc iterum reuiuiscere incipit. Wolfangus Ararim transiuisse dicitur, & recta Parisios contendere. Spero tamen Deum iustiori caussa adfuturum. Palatinus tanquam securus nuptias modo celebrat cum vidua Brederodæ: vbi intellexero te in Italiã saluum aduenisse, scribam certiora, si quæ ad nos peruenerint. Arbitror te scire quomodo Mauriſci in Hiſpaniis, & Regina Angliæ in Belgia Regi noſtro bellũ moueant. Angla ex Hollandia veſtra centum naues onuſtas magni pretij mercibus intercepit. Commendo tibi valetudinem tuam, eamque ſic cura, vt ad maiorem dignitatem, quam qua hactenus functus es, idoneus & animo & corpore redeas. Bene vale, amantiſs. D. Breuitatem meam, & modum quo vti in ſcribendo ſoleo, noſti. Fratri ſi apud

te,

te est salutem. Spiræ XXVII April. MDLXIII.

Tuus ex animo

A. ALBADA.

LXXVI.

Clarissimo & Nobili viro Dn. Adriano vander Myle, Consiliario Regio, domino & amico suo honorando.

S. P.

Historica. CLarisS. Domine Myli. Quam lubenter tibi sæpius scriberem, si quid verum haberem, vel scriptiorem dignum? Sed, prout sunt affectus eorum, qui noua perferunt, talia re ipsa si vel pro hac, vel pro illa parte. Hæc modo hîc celebrantur. Amiralium exercitum fratris Regis fudisse: multos Principes viros cæsos esse, & inter alios qui erat ab illo secundus, cuius nomen nescio. Wolfan-

Wolfangum quoq; cladem inflixisse exercitui cui prœest Aumalius, ibique aliquot præstantes viros occubuisse. imo & de ipsius Aumalij morte rumor est. Vterque iam vna coniuncti sunt, & recta Parisios contendunt. Suburbia omnia ibidem destruuntur, ne hosti tentoria præbeant. Sed, quod mirum est, dicuntur duo fratres Monmoransij 7000 hominum apud se habere, & ignorari cui parti addicti, si forte vt patriæ consulant, ac alteram partem ad pacem adigant si meliori se adiunxerint. Dicuntur tamen Cardinalem petere, & vrbẽ Parisiensem circumdedisse. Tẽpora forte impleta sunt, vt dicere possimus, cecidit, & canere Alleluia. De Condæo, is fortuito in præsidia hostium incidit, & captus contra omne ius militare truculenter bombarda in capite traiectus est: Ex exercitu eius qui non conflixerant nulli perierunt, sed aliquot, quos apud se habebat laterones. Regina Anglię nondum rem serio agit,

nisi

nisi quod in mari prædari patiatur. In locum Condæi Rex quidem Nauarræ surrogatus est, sed Amiralius summus Dux, & tutor exercitus, & liberorum Condæi constitutus est, omnesque de nouo iuramentum præstiterunt. Habes nostra noua, sed quæ ex vicino oppido veniunt, vbi magis augentur quam imminuuntur. Posthac nihil expectes à me, quod non magis verum sit. Sed scio, vt hæc te grauiter afficiant, qui alteri parti magis adductus sis. verum fac vt multi hoc tempore prudenter faciunt, qui euentum Deo committunt. Hoc fere omiseram, quod ex custodia abieris, non sic intelligo, quasi iniustè feceris, sed quid si mutatio aliqua incideret? omnia tamen recte spero. Bene vale, Honorande Domine, XIII Iun. MDLXIX.

Tua D. addictiss.

AG. ALBADA.

LXXVII.

LXXVII.

Clarissimo & Nobili viro Dn. Adriano vander Mylen, Consiliario Regis Hispaniarum, amico suo honorando. Venetijs vel Patauij.

S.

AMantiss. Domine. Iampridem binis tuis literis respondi. Quas literas non accepisse te vehementer miror. Forte latitant apud hæredes Stopij, cuius mortem vna tecum doleo. Non satis mihi occurrunt ea quæ tum scripsi, nisi quod Remberti factum dolorem mihi attulerit. Licet ille longe aliter mihi indicauerit, sed vbi ad me redierit cognoscam omnia melius. Non placet mihi titulus quem accepit. nam ad eum, nec idoneus est doctrina, nec etiam facultatibus. Noua quę modo mihi scribis paulo aliter hic narrantur: nempe, Turcam non Venetis bellum inferre velle, sed Regi nostro, ac propterea liberum transitum ab *Historica. Religiosa.*

ab ijs postulasse, vt in Hispanias trajiceret. Mira sunt Dei consilia, vt qui tantum sanguinem apud nos effundunt: eadem calamitates domi sentiant. Quos scis, vtut nunc triumphent, eos credo bibituros adhuc fæces vini iræ Dei. In Gallia Hugenoti dicuntur Massiliam occupasse. Rex equitatum, quem hactenus habuit, dimisit, & nouum indies exspectat, quem ei adducet Dux Ericus: idque certum est. De Auraico iterum dicitur, parare eum nouum exercitũ, sed credo vanum esse. Potius crederem, si quid facit, id eum nomine Reginæ Angliæ facere potius quam suo. Ibi enim seditiones motæ nondum plene sopitæ sunt. Quàm mirabiliter Dominus per tres illos immundos spiritus agit, quorum aliquando apud te mentionem fecimus? Tibi tuam pacem & salutem curæ esse omnino confido. Si ibi Homiliæ D. Macarij haberi possunt eas, vt legas summopere oro: aut vt te vni Christo docendum commit-

tas,

tas sine vllo studio partium, moneo. In inferiore Germania omnia mala se superasse existimant, nec vllum amplius metuunt. Omnes prouinciæ fere suos Episcopos habent, qui quantum boni allaturi sint, ipse intelligis. Meus Vlpianus insultare mihi audet, quod longè alium euentum motus isti habent quam ego vaticinatus sim, sed ei rescripsi, euentum adhuc in actu esse, nec desijsse adhuc agere eum, qui ad vindictam suam manum extendit. Quod aliud scribam, nihil habeo: nisi quod certò putemus, hîc XXI Maij comitia indicenda & celebranda esse. De studijs tuis aliquid cognoscere aueo, & quomodo iam valeas. Bene vale, honorande Domine. Conterraneis qui tibi adsunt multam à me salutem. Spiræ, XX Febr. MDLXX.

Tuæ D. addictiss.

AG. ALBADA.

LXXVIII.

Clarissimo viro ac Domino, Dn. Aggæo Albadæ I.V. Doctori, & Iudicij Cameræ Imperialis Assessori dignissimo, Domino suo honorandissimo. Spiræ.

S. P.

Varia. Sacra. CLarissime Albàda, Veneti pro certo quasi habent, Turcam ipsis bellum meditari: die Martis enim pręterita omnes Turcas, atque Iudæos Turcicos carceri mancipârunt, quod idem suis à Turca factum esse intellexissent. Quin etiam Turcæ, Sclauoniæ atque Dalmatiæ partes Venetis subditas flamma & ferro depopulati sunt, plurimis in seruitutem abductis. De Gallica pace frequens hic est sermo: de conditionibus mirum silentium. Pro monitione ea quam facis summas habeo gratias. Ego ab omni partium studio (quas partes appellare solent) & natura & instituto tam

sum

sum alienus, quã qui maxime: vnius Christi partes & signa sequor. Atq; ideo precibus & votis apud Deum eorum causam ago, atque adiuuo, quos agnosco certe esse eos, cum quibus τῷ θηρίῳ datum est bellum facere & vincere. Nam hos sum certus ductore Agno tandem superiores fore. Beati Macarij Homiliæ an hic haberi possint, ignoro. Christo atque eius verbo, me totum docendum tradidi. Quod ij qui apud nos sanctorum sanguine inebriantur, domi suæ non exiguas clades sustineant, in eo, quemadmodum & tu, iustum Dei iudicium agnosco, & cum Angelo exclamo, Iustus es Domine, qui es, & qui eris, sanctus, quia hæc iudicasti, quia sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt. Sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt. Simulq; agnosco Ægyptium ibi cum Ægyptio commissum esse. Valetudo corporis in eodem pene statu perdurat, atque à summo medico

tantum remedium spero, cui me totum curandum committo. Bene vale clarissime Domine Albada, cum vxore & liberis, & nos subinde suauissimis tuis litteris recrea. Venetijs, An. 1570. 12. Martij.

Cl. D. tuæ obseruantissimus atq; obsequentiss.

ADRIANVS vander MYLE.

LXXIX.

Nobili & præstantissimo viro Adriano vander Mylen, Sereniss. Hisp. Reg. Consiliario. Venetijs.

S. P.

Priuata. Publica. LIteras tuas, Clarissime D. Consiliarie, mense Martio Moguntiæ scriptas accepi, nec multo post Patauium te iam peruenisse per D. Commissarium van Loo intellexi. Et vero quemadmodum ..... manus euasisti, ita & morbum

bum te tandem quoq; euasurum vehementer confido. Nam quod tantas animi & corporis molestias perferre potuisti, magnum mihi ad salutem signum videtur. Tu modo sic te compara, vt reliquis omnibus depositis, in vnam valetudinem curandam incumbas, nec pedem inde moueas, antequam plane sis confirmatus. Et vide etiam ac dispice diligenter, annon magis ex valetudine tua erit, huc excurrere, vbi aër est clementissimus, antequam ad cælum vestrum Hollandicum redeas, quam recta eo proficisci. Quod si ita Medici suadeant, quæso ne omittere velis: eris enim non solum mihi gratissimus, nam plane tibi persuadere debes omnia mea tua esse, sed & ipsi tibi emolumento, cum ob aulæ nostræ, linguæque huius quæ iam prorsus necessaria est, cognitionem, tum ob alias quasdam causas, quas proximis literis approbante Deo exponam; nam tot ac tantæ sunt nunc occupationes, vt vel huius tantillæ

epistolæ tempus vix illis potuerim eripere. Bene vale, clarissime & amicissime D. Consiliarie, & quantum nos amas, tantum te cura. Raptim Madriti, XXII Iulij, MDLXIX.

T. D. deditissimus

IOACH. HOPPERVS.

LXXX.

Nobili & clariss. viro D. Adriano vander Myle, Senatori Regio.

S. P.

Priuata. QVod ad literas tuas non ante respondi, clarissime Domine Consiliarie, non voluntate mea factum est: sed per negotia, quæ sæpe omnibus amicis, vno eademq; tempore satisfacere non permittunt. Magno velim, quo tempore in Italia adhuc eras, meas tibi redditas fuisse literas: forte enim non displicuisset consilium, vt ad nos accurreres. Et vero

vero quæ est cæli huius clementia, non dubito, quin ad valetudinem etiam profuisset. Sed quando non licuit, vt coram te hic viderem, superest vt quod proximum est sumamus, hoc est beneficio literarum multum vtamur, eoque quod per absentiam consuetudini detrahitur compensemus, qua re nihil mihi poterit accidere gratius aut iucundius. D. Præsidi, & reliquis collegis tuis quam officiosissime, & verbis quam amplissimis me commendabis, & si quam ipsis vniuersis aut singulis operam quandoque nauare queam, sentient me nullum studium aut officium omissurum. Quem res illa Germanica exitum habitura sit, valde expectamus, speramus autem Deum, quemadmodum hactenus, nos respecturum, & deuictis hostibus ad tranquillitatem & otium rem tandem deducturum. Optimo patri tuo, & fratri (quem licet incognitum, non possum propter coniunctionem, non plurimi facere & ama-

re) plurimam à me etiam atque etiam salutem dices. Bene vale clarissime Dom. Consiliarie, & Compater amicissime, & me vt facis redama. XII Septembr. MD LXVIII. Madrito.

De negotio meo Daelhemensi, si antequam mandatum contra Scoltetum emitteretur, vel vno verbulo certior factus fuissem, quid rei ageretur (quemadmodum inter collegas fieri solet, maxime absentes, & qui in comitatu Principis versantur) speraſſem rem ita temperare, vt nihil huiusmodi mandato opus fuisset. Nihil enim magis cupio, quam vt inter bonos bene agatur.

T. D. deditiſs. Compater

IOACH. HOPPERVS.

LXXXI.

LXXXI.

Nobilissimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Consiliario Regis Catholici. Venetias.

S. D.

GRatum mihi feciſti, quod Albani interpretationem ad me miſiſti, ſi interpretatio eſt, in qua τὸ ῥῆτὸν τὴν διάνοιαν edicti euertit: ſed ſit hoc imprudentiæ eorum, qui edictum confecerunt. Prima illa verba interpretationis quam ad me miſiſti, quam habeant ſententiam diuinare non poſſum: etſi in hoc non me crucio, nec curo quid illic figatur aut refigatur. Ita prorſus omnem Belgij cogitationem abijcere eſt in animo, & literis me inuoluere. Graſſentur, vt lubet, Pœni. Ego animum conabor abducere à cogitatione calamitatum patriæ, & ad vnam curam literarum ſeuocare. Difficile hoc eſt, ſcio, ei quem natura fecit φιλόπαλεμον: ſed neceſſe eſt aliquid in ſtudio literarum contra naturæ in- *Publica. Priuata.*

clinationem impetrare; præsertim in ea re, cui si maxime velim mederi non possim. Porro autem afflictare se frustra, alienissimum est ab eo, qui se cupidum philosophiæ profiteatur. Vides quo prouehar tecum, dum colloqui me puto, & cogitatione te præsentem statuo. Studeo nimirum elicere tuas literas, quæ vel me doceant aliquid noui, vel in tantis miserijs consolentur. Vale, Patauij XIII Octobr. MDLXX.

Tui amantiss.

NICASIVS ELLEBODIVS.

LXXXII.

Nobili ac clariss. viro D. Adriano vander Mylen, Consiliario Regis Hispaniarum, amico suo honorando, Venetijs apud D. Gulielmum Sanfort.

Priuata & publica.

AMantiss. Domine. Debes mihi ignoscere, quod tanto tempore nihil tibi scripserim, Multa interea

terea mihi grauia acciderunt, quæ literis committere non audeo: sed apud Legatos nostros delatus, (causſam scis,) 2. Octob. officio meo sponte renunciaui, eo consilio vt si fieri possit, reliqua quæ istam rem sequi solent euitarem, de quibus adhuc incertus sum, nisi quod ab amicis, quos in aula habeo, aliqua mihi spes iniecta sit, vlterius eos contra me non processuros. Res enim hæc non hîc solum acta fuit, sed etiam ad Ducem Albanum perscripta est. In Imperio omnia pro me fuerunt: erant enim talia, quæ obijcerentur, quæ nulli constitutioni aduersa essent, versabanturque omnia in omittendo, vel in non faciendo: sed non visum mihi consultum fuit, vt me Principi opponerem. Hæc alias liberius. Comitia finem habent, eaque, prout ex principibus viris intellexi, nunquam celebrata sunt cũ maiori animorum alienatione, & distractione: vnde plerique nihil ex his, nisi bella & motus metuunt. De exundatione

aquarum

aquarum, quæ apud nos fuit, arbitror tibi à tuis scriptum esse. Nostra Frisia maximam partem pecorum amisit, perierunt etiam in ea sex millia hominum, præter rupturas aggerum, aliaque damna innumerabilia. Similia dicitur passa esse vestra Hollandia, *Hontzbosch ende die Zyp zijn ingeloopen.* In Zelandia aliquot ciuitates, & pagi: deinde munitiones illæ à Duce extructæ, dicuntur collapsæ esse & diffluxisse. Idem accidit in ditione Groningensi cum duabus arcibus ibi extructis, eaque tota sub aqua adhuc latitat. Galli iterum arma acceperũt. Quid hæc significent facile ipse intelligis. D. Giphanius est mihi commendatissimus. Bene vale, honorande Domine. XIX Decembr. M. D. LXX. Offeruntur mihi honestæ aliquot conditiones, & vtiliores quam hæc sit: sed hoc rerum statu sine expressa Dei voluntate nihil suscipere audeo. Sunt etiã alii Status, qui me iterum nominare volunt, at metuo ne ca-

nem

nem dormientem iterum excitem, Fiat Domini mei voluntas in omnibus, cui me totum dedicaui. Iterum vale.

Tuus AG. ALBADA.

LXXXIII.

Nobili & clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Regis Hispaniarum Consiliario.

S. P.

QVantum mihi doloris attulerit casus tuus, doctiss. atque amantissime Myli, quia iam longitudo temporis, & liberatio, quam spero tibi contigisse, magnam partem illius ægritudinis ademerunt, nolo & refricando memoriam, & referendo eundem te de integro dolere bis dolorem. Atq; tu pro arctissime nostra necessitudine, & voluntate erga te mea, & amore constantissimo ipse id

Priuata. De Sophoclis versione.

id facile potes æstimare. Quod autem toto eo tempore nihil ad te scripsi: in causa partim fuit, quod parum tuto ad te literæ perferri possent, partim quod vererer, ne si quid minus, vt fit, circumspectè scriptum esset, malum tuum grauius redderetur. Neque enim ignoro, quàm omnia hoc tempore ponderentur, & examinentur, vtque etiam minima quæque in deteriorem partem detorqueantur plerunq;. At, vt ait Comicus quidam, δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ συλλαμβάνει. Interim tamen tacitis sæpe votis optima omnia & feliciſſima tibi, atque etiam palam nuncupatis votis sum precatus, neq; cum oportunitas oblata fuit, vnquam desij, pro eo ac debui, de te, rerumque tuarum statu inquirere. Nunc autem cum Moguntiam naue Confluentia vectum peruenisse te ex literis Commissarij Finantiarum fratris nostri intellexi, tutoque ad te scribi posse, nihil mihi prius fuit, quàm vt has ad te darem, atque valetudinem

tibi

tibi talem, & tam commodam optarem, vt breui incolumem te hic videre & amplecti nobis liceret. Dum in Germania abes D. Wastelius, & de Waert è vita excesse, magnumque nobis negotium exhibuit nominatio trium Hollandorum, quorum tu facile vnus fuisses, nisi valetudo tua in alias te terras transtulisset, quod tamen ego tibi malim explicatius coram referre, quàm literis hic significare. Extremum est, quod te scire volo: multos esse qui me ad Sophoclis editionem, & nunc hortantur, & longo ab hinc tempore, quorum etiam è numero tu es, sunt hortati. Quibus ego hactenus quidem restiti, sed re tandem maturius deliberata, diutius refragari nolo, ne videlicet non omnino infelices, vt ego iudico, vt amici, præclarissimi etiam iuuenilis labores ætatis mihi pereant, quodque præcipuum est, ne ab amicis, à quibus olim in aliquot exemplaria transcriptæ fuere, inscio me aliquando, atque non recognitæ publi-

publicarentur. Quia autem Typographus vrget, velim te promissi, quo vltro mihi te obligasti, nunc esse memorem. Meministi quendam Io. Lalemantium Heduum transtulisse superioribus annis Sophoclem, & quia ipse ex mea ante annos XVIII edita translatione, nulla mei facta mentione multa suis illeuit, & paginas integras transplantauit, cumque versibus se profiteatur Latinis expressisse autorem, neque in toto eius libro vllus versiculus deprehendatur, voluisti fucum illum orbi prodere. Quod si eadem tibi mens perstat, me lubente id nunc feceris, quod non parum dignitatis ex nominis tui additione libello accessurum existimem. Quia autem excidere tibi potuit argumẽtum, in eam, quæ his subiuncta est, formam, quam etiam tu sic concepisti aliquando, quantum meminisse possum, epistolam ad Lectorem poteris contexere, atque primo quoq; tempore aut ante exitum Quadragesimæ, aut hisce

Paschatis

Paſchatis ferijs curabis ad me tranſmitti. Inſtant multi vt Pſalmos edam, atque Syluius inter cæteros me vrget, quos tamen alibi malo in lucem exire. Si autem tibi ſic videretur, poſtquam reſciero, vbi in Italia ſedem fixeris, intertextis Flaminij Pſalmis abſque commentarijs in enchiridij forma iſthic excudendos tibi mittam: ſed ea lege, vt ſupprimatur ea ſaltem editione nomen meum, quod ego non leuibus rationibus motus ſic fieri cupio, ſed de eo aliâs oportunius. Vale cor meum. Vxor & vxoris ſoror, noua nupta, plurimum tibi ſalutis aſſcribi iuſſerunt. Literas tuas vnicè deſidero. Mechliniæ. Raptim, cum Guilielmus Bruxellam rediturus, literas expectaret. Sexto Nonas Mart. MDLXVIII.

T. D. ex animo deditiſs.

G. RATALLER.

LXXXIV.

Clariſs. ornatiſſimiq; viro Dn. Adriano Mylio, Senatori Regio apud Hollandos. Venetijs.

S. P.

Priuata. QVod rarius ad te, quàm pro voluntate beneuolentiaque erga te mea ſcribam, amiciſſime Myli, nolim hoc occupationibus meis aſſignes, ſed, quia ſcribendi argumentum deeſt, fieri exiſtimes. Quodque, vt ego inaneis literas ſine tædio ſcribere non poſſum, ita mihi perſuadeam, te ſine moleſtia legere eas non poſſe. Quamobrem ſi meas deſideras, tuis me excita, & ſcribendi materiam ſuggere. Nihil mihi contingere poterit optatius. Etſi enim vix vllus labatur dies ſine ſuauiſſima tui memoria, vt literis eam refricare non ſit neceſſe, iucundiſſimum tamen erit, ſi interdum de te, tuaque valetudine ex te ipſo fiam certior. Nam quod ex alijs percontando accipio,

cipio, id non perinde gratum accidit, quam quod ex tuis literis percipio. Nos hic, gratia Deo, satis recte valemus. De valetudine tua vehementer solliciti sumus, quã dolemus eodem in statu permanere. Ego sane, vt quod sentio, multiq; alij mecum, liberè tibi dicam, puto Italicum aërem tibi non conuenire, nedum Venetum, mirorque quibus rationibus mouearis, vt illic tibi hærendum existimes. Si eo aëre & curatione potuisses tibi restitui, iamdudum aut plane confirmata valetudo esset, aut saltem spes affulgeret lætior. Sæpeque in mentem mihi venit, subuereri, ne medici, quibus affixus es, suam potius, quam tuam rem agant. Patrius aër te restituet, mi Myli, & cura diligens, quam adhibebunt illi qui te in oculis, atque pectore gerunt, quibusque es vita propria charior. Ex amicis multi me ad Psalmorum editionem tantum non compellunt: sed stat sententia, eos, aut omnino supprimere, præsertim hoc tam turbulento

bulento seculo, aut certè suppresso meo nomine emittere. Quia autem alibi quam hic rectius hoc fieri posse reor, atque te aliquando à me petiisse memini, vt isthuc opus excudendum transmitterem, teque curaturum, vt quam castigatissimè, nitidissimisque typis exiret, antequam hoc faciam, has ad te mittendas duxi, vt, an etiam in eadē adhuc perstes sententia, si tamen integrum id tibi hoc tempore futurum sit, ex te cognoscam. Quod vt primo quoque tempore facias, te vehementer rogo. De statu harum regionum, quia dubium mihi non est, quin ab alijs reddaris certior, nihil ego scribam. Post turbulentas hyemes amœniora tempora auide expectamus. Bene vale, amicissime Domine, & me tuum plane esse, tibi, vt facis, persuadeas. Vxor te mea salutat. His ferijs Pentecostes in Hollandiam excurram, atque in Haga comitis fratrem Commissarium van Loo, cum sorore tua inueniam: Is enim nunc

nunc Dordrechti est. Iterum vale, Negotia alio me distrahunt. Traiecti, pridie Calend. Iunij MDLXXI.

Tuus ex animo

G. RATALLER.

LXXXV.

Nobili ac præstantiß. viro Dn. Adriano vander Myle, Consiliario Regis, Hispaniarum. Venetias.

S.

VAnum quidem tuum illud fuit somnium, sed index tamen cum tuæ in Deum pietatis, tum in fratrem voluntatis & studij, quæ etsi mihi noua non acciderunt: magnam tamen voluptatem mihi adferunt, & vota & monita illa fraterna: quibus ni paruero, τότε μοι χαίνοι ἔρεια χθῶν. Quæ namque consuetudo & quidem perpetua Christiano sit, vel cum impia, vel cum contemptrice *Priuata. Publica.*

aut negligente? Quanquam vt horum sensus hominum, & vrbis statum perspexi, vix puto fore, vt cuiquam hic me astringam: malim in Saxonia, si Deus velit, multis de caussis, quas coram tibi melius esset exponere. Quare etsi hic de me nescio quæ interdum spargantur, vana tamē sunt omnia: præterquam quod hospes meus de quadam me semel interpellauit, ad quam fortasse animum poteram adiungere, si & hic consistere vellem, & res esset tam facilis, quam ille falso putat. Fortasse & de nostratibus dabit Deus. Verum vt rationes omnes breuiter tibi exponam, ita agendum mihi videtur: vt si D. Blotius noster inanis Vienna huc redierit, cui peræque ac mihi (quid enim fratri & quidem coniunctissimo longa consuetudine non debemus?) consultum esse cupio: demus operam, vt in Saxonia locum assequamur in quem ego immigrem; hic autem, quia magnopere cupit, consistat Blotius. De illo spes

spes est in Sturmio. Si vel ille non venerit, vel in Saxonia nihil obtineri poterit, hic cõsistere malim, quam ire in Galliam. Possem fortasse, quod nuper ad tescripsi, in Hessico Senatu locum assequi: sed & amicis & mihi melius facturus videor, si in Schola prius aliquandiu me exerceam, præsertim cum otium huius generis mihi valde sit opus ad ea, quæ satis multa in manibus iampridem habeo expolienda: quorum peruulgatio mihi adlatura sit nominis aliquid & commendationis in Germania. Habes consilij rationem mei, quod tibi maxime probatũ esse velim. De Schola nostra & Piscatore illo proxime. Profectus idem ille Tubingam, nihil æqui impetrauit. Nam Theologi, idem quod nostri responderunt, etsi Cancellarius Iacobus Andreas aberat, profectus aut certe profecturus breui Montpelgardum, Tigurum, & Hierapolin fortasse, eo consilio, vt omnes Ecclesias in concordiam adducat, pacificator scilicet egregius,

qui τῆ ἔριδος pomum illud Brentianum non desinat acerrime propugnare. Witebergæ editam Catechesin nouam, cum omnes hic grauiter ferunt, tum quidam in his vnus satis celebris Nicolaus Selneccerus. Editis libellis ex ea quædam reprehenderunt, vt quod in Actis cap. 3. ὃν δεῖ τὸν οὐρανὸν δέχεσθαι, adducunt ita versum, quem oportet cælo capi, quomodo & Theodorus reddidit, & ante eum multos annis Castel. id enim sapere aiunt Celtismum. Witebergenses cõtra edito libello & ratione ac auctoritate Nazianzeni ex orat. 2. de fil. Dei, vbi ille paullum detorquens, ὃν δεῖ (φησὶ) ὑπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι, suam conuersionem & sententiam tuentur. Hæc Vbiquitas parit mala & pestifera dissidia. De rebus nouis etsi ad Dn. Franciscum scribo: puto tamen non ingratam rem tibi me facere, si & ipse ad te scribam. Ex Gallia adfertur de matrimonijs quatuor. Nam de Andium Duce & regina Angliæ: de Alen-

conio

conio & filia reginæ Nauarræ: de principe Nauarræ & sorore regis Franc. & de Principe Condensi ac tertia (nam primam habet Gonzaga, alteram olim Porcianus, nunc Guisius) Niuernensi, quæ religionem constanter tenet secuta semper comes reginam Nauarræ, coniungendis agi. Elbertus certe noster 20. Iunij datis ex arce Gallonia litteris ex domo Foxij nostri scribit de Andium duce & cognata reginæ Angliæ: idque matrimonium à Foxio nostro pæne solo procurari: eaque re eum breui fortasse cum Montmorentio in Angliam esset legandum, quos quidem iam profectos, Lutetia, quo redijt rex, huc interea est perscriptum. De Saxonia & Brunsuiga scribunt certo, Holsatum Adolphum & Georgium van Holl, equites & pedites conscribere. Sed cuius imperio, stipendio, & quot conscribantur, variant: alij octo millia peditum & equitum, alij octo millia equitum,

& octo legiones, seu regimenta, vt hic vocamus, narrant: alij reginæ Angliæ, alij Albani, alij suo ipsum Holsatium iuniorem nomine ad obtinendum episcopatum Magdeburgensem conscribere eos aiunt. De profugis Belgis hisce diebus prœlio cum Hispanis in mari prope Embdam commisso, ab alijs hic sparsum, Belgas, ab alijs Hispanos esse victores. Lumæus conscriptis ad Confluentes trecentis aut 400. militibus à principe constitutus dicitur prefectus v nauium, quas Suecus Principi auxilio miserit. Velim perscribas, ecquid fœdus illud cum rege, & Papa Rom. istic & in alijs vrbibus Venetæ ditionis sit publicatum. Vale, atque adeo, mi frater, cura vt valeas: nos etsi Dei benignitate commode valemus, tamen magnis his caloribus in paruo Museio valde exercemur. Argentorato XXIII Iulij.

T. D. obseruatiss.

OB. GIPHANIVS.

LXXXVI.

LXXXVI.

Philippus Marnixius Bernardo Boetio salutem in Christo precatur.

EX quo à te discessi, vir humanis. nunquam desij tui tuorumque memoriam cum summa voluptate retinere. Fuit enim mihi non modò hospitij, sed etiam piæ ac doctæ tuæ consuetudinis necessitudo ita iucunda, vt nihil potuerit esse iucundius. Nec verò est necesse commemorare, quàm ego me tibi tuisque deinctum sentiam, qui me meamq; familiam difficillimo nostro tempore omni genere officij ac humanitatis tàm benignè exceperis. Nec etiam patitur necessitudinis Christianæ vinculum, in agenda gratiarum actione multorum verborum inane officium: Et dabitur fortasse aliquando tempus non agendæ tantum, sed referendæ etiam gratiæ: sed sunt ista in Domini manu posita. Illud verò non possum præterire, sæpenumero

Theologic. De veritate corporis Christi Domini nostri.

penumero me cum animo repetiſſe ea, quæ in familiaribus noſtris diſſertationibus ſolebas producere ad confirmandam Schwenckfeldij de humamana Chriſti natura (& meo quidem iudicio erroneam, & omnium certè Eccleſiarum, quæ quidem hodie vigent, calculis damnatam) opinionem. Sed quo ego, illa penitius introſpicio, eo mihi ſemper leuius momentum videntur obtinere, & ex vno eo fonte, omnia manare, quod alterutrius naturæ diſtinctam diſcriminatamque conſiderationem cum ipſa perſona ex duabus diuerſis naturis conſtante Schwenckfeldius perpetuo confundat. In quo errore verſatur totus ille libellus Langij, quem mihi, cum iſthic eſſem, oſtendebas. Ac proinde peto obnixiſſime, vt ſingula quæque argumenta accuratè obſerues. Senties profectò nihil me affirmare non veriſſimum. Omnia enim propemodum in eo verſantur, vt doceant, Chriſtum non

non esse creaturam. Atqui nemo vnquam, nisi Arianus ita fuit amens, vt simpliciter affirmaret Christum esse creaturam. Scimus enim diuinam eius naturam siue οὐσίαν increatam ipsam ab æterno ex patre genitam omnium rerum vna cum patre esse creatricem. Quare illa eius firmamenta: Qui est ab æterno, per quem omnia sunt condita, qui rerum omnium est principium, qui ad dexteram patris sedet, qui infinita gloria est præditus, qui est ipse fons vitæ, qui ab æterno cum patre operatur, ac si quæ sunt eiusmodi, is creatura dici non potest, Ergo Christus non est creatura, nullius penitus sunt momenti, cum ad rhombum prorsus nihil faciant: Etenim increata Christi æternitas minimè vocatur in dubium, sed humanam eius naturam dicimus non ab æterno fuisse cum patre, sed in tempore ex Adamo, eiusq; semine & carne prognatam, atque ex Dauidis factam semine,

ſemine, factam, ſiue creatam ex mu-
liere, atq; adeò creaturam eſſe pro-
fitemur: quod vt refelleret, ita erat
illi argumentandum. Quæcunque
natura ab æterno fuit, vel per quam-
cunque naturam mundus eſt condi-
tus, eadem creata dici non poteſt.
Atqui Chriſti humana natura ab æ-
terno fuit, &c. Vides hîc manife-
ſtam falſitatem, ita vt argumentũ ad
complexionem progredi nequeat,
quare non noſtram ſententiam, ſed
neſcio quam à ſe confictam vmbram
ſuis illis argumentis impugnat. Ve-
rum illo omiſſo, quæſo te, vir mihi
multis nominibus chariſſime, vt rem
ipſam nonnihil penitius introſpicia-
mus, eruamuſque tum ex ſcripturis,
tum ex optimis quibuſque patribus,
quorum authoritati multum dare te
animaduerti, certa teſtimonia, qui-
bus ipſam veritatem poſſimus & in-
uenire & inuentam confirmare. Et-
enim plane ſtatuo, tibi, dum per oti-
um licet, nihil eſſe iucundius, quàm
eiuſmodi modeſtas, & ad veritatis
indaga-

indagationem comparatas dissertationes. Quare non dubito meum tibi studium hac in re fore gratissimum. Primum itaque censeo omnem controuersiam duabus quæstionibus contineri, quarum prior est, An Christus secundum humanam suam naturam sit creatura? vel, An humana Christi natura sit creata factaque? Altera: An humanæ eius naturæ siue substantiæ origo sit ex carne, siue semine mulieris? seu, An Christus secundum humanam naturam, originem seu ortum duxerit ex semine siue substantia mulieris? Quod ad priorem attinet, modò constet inter nos, quid sit esse creatum siue creaturam, haud puto quicquam restabit controuersiæ. Nos sane creatum esse, nihil aliud appellamus, quàm factum esse, seu conditum aliquid quod ante non fuerit, seu, vt vulgò loquuntur, ex nihilo factum esse. Quæ dictio (EX NIHILO) non ita accipitur, quasi nulla eius omnino fuerit materia,

teria, vnde desumptum sit (alioqui enim nemo nostrum creatura iure dici possit, cum omnes ex semine orti simus) sed ita vt notemus, quod ante non subsisteret, id in tempore existendi initium accepisse: Ita sunt non modo angeli & homines creaturæ, sed quicquid est omnino in rerum natura, atque adeo quicquid non est creator ipse. Hinc est, quod veteres omnes, vt probarent Dei filium, τὸν λόγον, id est verbum, ac ipsum etiam Spiritum sanctum non esse creaturas, hoc vno argumento quod vellent effecerunt, quod nullum vnquam æuum fuerit, quo & verbum Dei & Spiritus S. non existeret. Est enim ipsa luce clarius, quicquid est, & creatum non est, idem esse Deum, denique ab æterno extitisse creatori ipsi ὁμοούσιον. Quod autem factum est, existendique habet exordium, id omne, qualecunque tandem est, cedit nomine creaturæ. Iam porrò humanam Christi naturam, vel Christum secundum humanam

naturam

naturam in tempore, atque adeò in temporis plenitudine factum esse, ita euidenter docet scriptura, vt nisi impiè ac peruicaciter negari non possit. Paulus ait secundum carnem factum esse ex Dauidis semine, vbi, si contra optimorum quorumque exemplarium, atque adeò totius antiquitatis fidem, legas esse genitum, nolo vehementer pugnare: sed nunquam eludi poterit, quod ait ad Galatas, factum fuisse ex muliere. At quando? an ab æterno? minimè vero, sed postquam aduênit temporis plenitudo, quod sanè nisi de humana natura non potest intelligi. Ea autem si est facta, & quidem in tempore, necesse est vt sit creatura. Deinde quod Filius hominis dicitur, & vero quod filius Adami, quid aliud notat, quam vt cæteri omnes homines; ita & Christum secundum carnem esse creaturam? Adam enim, quod hominem notat, nihil designat aliud, quàm eum qui ex terra sumptus sit. Terram enim Adamah,

id est, ruffam Hebræi nominant: si est itaque ex terra, vt cęteri homines desumptus Christus, non potest non esse creatura. Adde, quod non potest esse filius creaturæ, nisi qui ipse sit creatura, quanquam nõ filius tantum hominis & Adami, sed homo & Adamus ipse aperte nominatur. Præterea humanam eius naturam esse id omne, quod verbum Dei siue λόγος in incarnatione assumpsit nemo orthodoxus dubitat, authore Spiritu sancto, qui testatur verbum carnem factum esse. Atqui docet Apostolus, id quod assumpsit, non esse aliud quam Abrahami semen. Semen autem Abrahami creaturam esse, nemo nescit. Efficitur itaq; humanam eius naturã esse creaturam. Sed malo totam hanc controuersiam verbis Augustini quàm meis decidere. Is ita scribit in Enchiridio ad Laurentium cap. 38. *Quoniam Dominus noster Iesus Christus, in quantũ Deus est, omnia per ipsum facta sunt: In quantum autem homo est, & ipse factus est, sicut*

Apostolus

Apostolus dicit, factus est ex semine Dauid secundum carnem. Sed quum illam creaturam, quam virgo concepit & peperit, quamuis ad solam filij personam pertinentem, tota Trinitas fecerit, neq; enim separabilia sunt opera trinitatis, cur in ea facienda solus Spiritus S. nominatus est? &c. Idem in lib. de fide ca. 2. *In forma Dei cum Patre & Spiritu S. vnus est solus formator omnium Deus: secundum formam serui, solus ipse sua & Patris & Spiritus sancti operatione formatus: quia qua creator est commune habens naturaliter cum Patre & Spiritu sancto: qua autem creatus est formam serui, secundum quam creatus est, solus habens personaliter in seipso.* Item: *sic ille omnium spirituum, omniumq; corporum, id est, omnium naturarum creator, & dominus creauit virginem, creandus ex virgine.* Et mox: *sic eum verum hominem erede, vt eius carnem non cœlestis, non aëreæ, non alterius cuiusquam putes esse naturæ, sed eius cuius est omnium hominum caro, id est, quam ipse Deus homini primo de terra plasmauit, & cæteris hominibus plasmat,*

quos per propagationem ex hominibus creat, &c. Hæc ille, quibus profecto nihil clarius, nihil euidentius dici vel fingi poterat, ad totum hanc decidendam controuersiam. His astipulatur Ambrosius, libro de fide, 3. ca. 4. inquiens: *Vnde intelligimus, illud quod de incarnatione Domini scriptum est: Dominus creauit me principium viarum suarum in opera sua, id significare, quod ad redimenda opera patris Dominus Iesus ex virgine sit creatus.* Et paulo post: *Nam sicut in Esaia habes: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, ita hic quoque ante promisit creaturam carnis, & subtexuit assertionem diuinitatis, vt scires, non duos Christos, sed vnum esse, qui & ante secula generatus sit ex patre, & vltimis temporibus creatus ex virgine: hoc est, ego sum ille creatus ex homine, creatus ad causam, qui sum generatus ante secula.* Et mox: *Ante omnia ergo generatio, inter omnia, & per omnia creatura. Natus ex patre supra Legem, factus ex Maria sub lege.* Et capite quinto. *Postremo ipse Apostolus*

ad

ad Philippenſes ait, quod in ſimilitudinem hominis factus eſt, ſpecie inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem. Vide vbi factus ſit: in ſimilitudine, inquit, hominis, non in poteſtate Dei: & factus obediens vſque ad mortem, vt obedientia quidem hominis fuerit regnum dignitatis. Quantis igitur adhuc vtemur exemplis, ad incarnationem, vel ad aliquid referendum eſſe quod factum eſt? Quod autem & factum eſt, idem eſt & creatum. Dixit enim, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt. Dominus creauit me, ſecundum carnem dictum: creatum quoque ſupra oſtendimus libro primo, de Incarnatione dictum videri. Ipſe etiam Apoſtolus aſſerendo ſeruiendum non eſſe creaturæ, ſignificauit ex Deo filium non creatum eſſe, ſed genitum: tamen etiam alibi, vt manifeſtaret, quomodo in Salomone ſit lectum, Dominus creauit me, quid in Chriſto creatum eſſet, oſtendit. Propterquod fratres ſanctiſſimi vocationis cœleſtis participes, intuemini Apoſtolum, & principem ſacerdotum confeſſio-

nis nostrè Iesum fidelem esse creatori suæ, sicut & Moses in domo eius. Hæc nempe verba sunt Apostoli. Videtis in quo creatum dicat, in quo assumpsit, inquit, semen Abrahæ, corporalem vtiq; generationem asserit, &c. Hactenus ille, quæ sane ita sunt manifesta, vt nullis neq; Langij cauillis, neq; Schwenckfeldij eludi queãt effugijs. His tamen adiungam Vigilium, qui lib. contra Eutychen hanc quæstionem ita breuiter definit. *Vnus Dei filius idemq; factus hominis filius, habet initium ex natura carnis suæ, & non habet initium ex natura diuinitatis suæ: creatus est per naturam carnis suæ, & non est creatus per naturam diuinitatis suæ,* &c. Et deniq; Fulgentium, vt totius antiquitatis hac in re consensum intelligas. Is in libro contra Arrianorum obiectiones, hanc quæstionem fusius persequens, & quomodo Dominus noster Iesus Christus idẽ sit increatus, & à Patre ab æterno genitus secundũ diuinitatem, idemque creatus & in tempore ex virgine factus secundum humanitatem docens,

cens, ita tandem cõcludit. *Agnoscitur itaq; in Christo proprietas vtriusq; naturæ, vt sine errore possit intelligi, & creatus & fundatus, & genitus. Genitus quippe est, & fundatus secundũ quod de Domino inenarrabiliter natus est Dominus, creatus autem secũdum humanam generationem, qua de ancilla natus est*, &c. Sed quid opus est testimonijs? Vniuersa antiquitas in eo non consensit modo, sed quasi conspirauit, vt creaturam fateretur esse Christũ secundum humanitatẽ, increatum autem, & ab æterno extitisse secundum diuinitatem. Fuerunt, qui natum negarẽt, qui veritatem corporis adimerent, sed qui humana carne cõcessa creationis veritatem inficiaretur, inuẽtus est ante Schwencfeldium nemo. Nec enim vel imaginatione quicquam concipi potest non creatum nisi quod æternũ est, atq; adeo quod est ipse Deus. Hinc est, quod in Synodo Chalced. quando dicitur nobis esse ὁμοούσιος, id est, eiusdẽ nobiscum substãtię quoad humanitatẽ, quemadmodum Patri

est ὁμοούσιος, quoad diuinitatem, nihil profecto dicitur, quod quemadmodum ratione diuinitatis filius increatus est & immensus, non secus quam pater, ita humanitatis ratione creatura est, non secus quàm cæteri homines. Nam si illius ratione est eiusdem cum patre substantiæ, sane vel pater ipse creatus est, vel ne filius quidem creatura censeri potest. Huius autem ratione si non est ὁμοούσιος, vel nos certe creatura non sumus, vel ipse vere creatura dici credique debet. Atque hæc hactenus: Sequitur altera, in qua si voces ipsæ omni sublata ambiguitate recte intelligantur, vel ex prima Bibliorum pagina omnis controuersia facile decidetur. Mulieris enim semen serpentis caput contriturum promittitur. Seminis autem vocabulo originem naturæ notari, nemo est qui ambigat. Quare ex muliere duxerit ortum siue originem Christus necesse est. Sed amabo te, quid est nasci aliud, quàm originẽ ac naturam siue

nascendi

nascendi principium ex aliquo trahere? Aut quid aliud natiuitas quam ortus: & ortus quid est nisi causa ac principium oriendi, id est origo ipsa? Natum autem Christum ex virgine, nemo vnquam Christianus dubitauit. Quare cum rem ipsam ei tribuamus, quid est, cur vocabulum rem ipsam explanans reformidemus? Quid autem est maius, ex semine Dauidis factum esse, an ortum siue originem ac principium ex eodem accepisse? Videmus enim factum esse, nihil esse aliud, quam originem existendi aliunde accepisse. Quum igitur Paulus testetur, ex semine factum esse, quis dubitabit ex eodem semine, tanquam ex causa, vt vocant, materiali, originem atque existendi principium creante Spiritu sancto, seu, vt ait Augustinus, tota trinitate accepisse, præsertim quum ipsum seminis vocabulum etiam manifeste originem ortusque materiam denotet. Vniuersa deinde Scriptura clamat, in Abrahami se-

mine atque adeo in ipso Abrahamo residere gentium benedictionem. Cedo, quid est hoc semen, nisi Christus ipse ex Abrahamo oriundus? nisi volumus eiusmodi promissiones ad Mariam referendo, Paulum falsi arguere, qui dicat, semen hoc promissum esse Christum ipsum? Quis autem sanus dixerit, quempiam esse Abrahami semen, quem idem ex Abrahamo traxisse originem perneget? Sed non est oscitanter prætereundum, quod non tantum in Abrahami semine, sed in ipso Abrahamo consistere dicitur benedictio. Nec tamen Abrahamus perfectè sanctificare nos potest, nisi quoad in eius lumbis iure propagationis ipse sanctificationis fons inhæreat. Hinc est quod fructus lumborum Dauidis idem Christus appellatur, quapropter & in ipso Dauide, populo salus promittitur. Fructus autem lumborum esse quis potest alius, quam qui ex eius lumbis nascendi originem acceperit? Præ-

sertim

sertim cum apud Hebræos fructus nomen propagationis vim ac facultatem manifeste exprimat? Fructus enim illis dicitur à verbo Parah, quod est germinare siue propagare, ita vt veritas promissionis nequeat constare, nisi ex Dauidis lumbis propagatus credatur Christus. Iesaiæ verò vaticinium, quo pacto constabit, clamantis fore virgam ex trunco Isaï, & surculum de radicibus eius? Quo quid clarius dici queat, quid ad declarandam originis rationem aptius? An est vllus surculus ex radice ortus, qui originem ex radice non habeat? an virga potest, vel imaginando cogitari ex trunco proditus, in quem sui ortus initium minimè referat? Et ne tanquam alienum hoc repudies argumentum, audi Tertullianum ita ratiocinantem in libro de carne Christi. *Si Maria non filium, sed hospitem in vtero gestabat Iesum, quomodo dicit, Beatus fructus vteris tui? Quis hic fructus vteri, qui non*

ex

ex vtero germinauit, qui non in vtero radicem egit? Qui non eius est, cuius est vterus? Et quis vtique fructus vteri? Christus. An quia ipse est flos de virga proiecta ex radice Ieſſe; radix autem Ieſſe genus Dauid: virgo ex radice, Maria ex Dauid, flos ex virga, filius Mariæ, qui dicitur Ieſus Chriſtus ipſe erit & fructus. Flos enim fructus: quod per florem & ex flore omnis fructus eruditur in fructum. Quid ergo? negant (intelligit Marcionitas) *& fructui ſuum florem, & flori ſuam virgam, & virgæ ſuam radicem, quo minus ſuam radix ſibi vendicet per virgam proprietatem, eius quod ex virga eſt floris & fructus*, &c. Hæc ille: in quibus etſi virgam ad Mariam refert, contra manifeſtam Ieſaiæ ſententiam, noſtram tamen ratiocinationem multo manifeſtiſſimè confirmat. Et ipſum iam audiuimus Auguſtinum, aſſeuerantem, non aliam, neque alterius eſſe naturæ Chriſti carnem, quàm eam quam Deus ex Adamo plaſmauit, & cæteris hominibus per propagationem creatis ex

Adamo

Adamo plasmat: Quare non potest profectò propagationis verbum à Christo tolli. Alioqui enim quomodo ad nos nostramque naturam salus à Christo, quasi quodam vberrimo fonte dimanauit? sane non alio quàm carnis suę ex nostra carne propagatione. Sed fatetur, inquies, Schwencfeldius carnem illi ex carne nostra esse, atque os ex ossibus nostris: originis tantum nomen exhorrescit. Quo quid est absurdius? Anabaptistæ profecto grauiter errant; sed tamen in suo errore constant ipsi sibi. Aiunt originem vel è cœlo delatam, vel ex aëre, vel ex Spiritu sancto, vel denique ex Patris essentia extitisse, ac proinde negant nostram naturam nostramque carnem illum induisse. Sed hic cum quæ vera sunt, fateatur, mox quasi sui oblitus eadem euertit. Ait, naturam esse nostram, carnemque nostram, sed originem ex Spiritu sancto. Quod sane nihil est aliud, quam si dicam, naturam esse nostram, &

non

non esse nostram. Natura enim quid est, aut vnde dicta? An non est origo nascendi à verbo nascor desumpta? nasci autem quid est aliud quam oriri? Sed hæc ante vidimus, quare ad rem redeamus. Paulus ait, *Quemadmodum per vnum hominem permeauit peccatum, atque exinde mors omnes inuasit homines, ita per vnum gratia, & per vnum hominem resurrectio.* Iam tibi hic propone quempiam hominem, qui ex Adamo originem non hauserit, an putas eum fore morti obnoxium? Haud sane: Dimanauit enim in homines mors propagatione seminis morti obnoxij, ac nascēdi serie. Ea sublata mors locum habere uon potest. Quare & Christi gratiā & resurrectionis vim nos propterea attingere necesse est, quod Christus propagatione atque origine ex nostra natura sumpta sit factus noster. Sed, inquies, ea ratione & Christus fuerit peccato obnoxius. Fateor sane, nisi Spiritus S. vis & gratia interceſſisset, vt illum non à

morte,

morte, non à carnis infirmitatibus, multoq; minus à carnis origine, natura, seu nascendi propagatione, sed à solo peccato vindicaret. Alioqui nulla vel Christo nobiscū vel nobis cum Christo relinqueretur societas necessitudoque. Ita enim ratiocinatur Tertullianus. *Porro si non nostram carnem liberauit, nihil ad nos, quia carnea non est, non nostram liberauit. Sed nec liberanda erat, quæ non erat nostra,* &c. At fatemur, inquies, fuisse carneam. Audio, sed carnem ex Spiritus sancti essentia desumptam, & origine nihil minus quam nostram sibi proponit Schwenckfeldius, ita vt omnino nostra esse nequeat, sed potius Spiritus S. caro dicenda sit, quandoquidem iam non creditur Christo asseueranti, spiritum carnem & ossa non habere : & quicquid ex spiritu nascitur, id non esse carnem, sed merum spiritum. Quod si ita est, an putamus insanum fuisse Paulum, qui tantopere inculcat: Si Christus resurrexit, & nos resurgemus, sin autem

autem non resurgimus, ne Christus quidem resurrexit. Hic enim aliquis Schwencfeldiano imbutus dogmate continuo excipiet. Etiamsi Christi caro resurrexerit, quæ ex Spiritu sancto traxerat originem: ac materiam existendi aliunde certe hausit quam ex Adamo: non recte propterea concluditur, & nostram debere resurgere quæ ducit ab Adamo, atque adeo ex terra originem. Sed Paulus nihil tale moratur, quin potius appellat ipsum Christum Adamum, vt intelligamus, originis ipsius communem esse illi nobiscum rationem. Sed ait: Adamum quidem vocari à Paulo Christum, sed cœlestem Adamum. Fateor: sed cœlestem dici non ratione originis, (alioqui enim & nos ratione originis cœlestes futuri sumus,) sed ratione donorum spiritualium. Docuit id ipse Tertullianus, qui dicit: *Legimus plane, primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo, non tamen ad materiæ differentiam spectat, sed tantum terrenæ*

retrò

retrò substantiæ carnis primi hominis, id est, Adæ, cœlestem, id est, de spiritu substantiam opponit secundi hominis, id est, Christi, & adeò ad spiritum non ad carnem cœlestem hominem refert, vt quos sic comparat, constet in hac carne terrena cœlestes fieri, spiritu scilicet. Quod si secundum carnem quoque cœlestis Christus, non compararentur illi non secundum carnem cœlestes. Si ergo qui fiunt cœlestes, qualis est Christus, terrenam carnis substantiam gestant, hinc quoque confirmatur, ipsum etiam Christum in carne terrena fuisse cœlestem, sicut sunt qui ei adæquantur. Prætendimus adhuc nihil, quod ex alio acceptum sit, vt aliud sit, quàm id de quo sit acceptum: ita in totum aliud est, cui non suggerat vnde sit acceptum: omnis materia sine testimonio originis suæ non est, etsi demutetur in nouam proprietatem. Ipsum certe corpus hoc nostrum quod de limo figulatum est, etiam ad fabulas nationum veritas transmisit, vtrumq; originis elementum confitetur, carne terrenam, sanguine aquanam, &c. Hæc ille, quæ multo etiam latius

prosequitur, sed hæc satis sint, vt non modo locum illum Pauli à nobis stare ostendant, sed originem etiam Christi carnis esse ex nostra carne, atque adeo ex limo terraque constare palam faciant. Cui & Ambrosius in eum Pauli locum ita scribens assentitur. *Notandum est, quod cum duos Adam dicit, eiusdem naturæ vtrosq; demonstrat*, &c. Item: *Cœlestis dicitur, quod non humanæ fragilitatis ritu, sed diuinæ maiestatis nutu & conceptus est & enixus. Nam vsque adeo naturam nostri habuit, vt secundus Adam dicatur, & homo. Si ideo, vt hæretici volunt, nostri generis assumptus homo non fuit, quia cœlestis dicitur generatio, nec isti naturæ nostræ sunt, qui cœlestes appellantur. Si verò de his nemo dubitat, nec de illo est ambigendum*, &c. Vbi manifestè audis vtriusque Adami terrestrem esse carnis ac substantiæ siue materiæ originem. Quod si tibi à filij Dei maiestate videtur esse alienum, cogita cuiusmodi sit, quod de eo testatur Paulus, quum esset in forma Dei,

fuisse

fuisse exinanitum accepta serui forma. Cogita cuiusmodi sit, quod de eo prædixerat Isaias. Non forma ei neq; decor, videbamus eum, & non est in eo aspectus vt desideremus eum. Despectus & reiectus inter homines, vir dolorum, peritus infirmitatis, quasi abscondimus faciem, & nihili reputauimus eum. Ac illud denique, quod ipse de se per spiritum Dauidicum pronunciat. Et ego sum vermis, & non vir, opprobrium hominum, & contemptus populi. Hæc si tecum cogitaueris, haud profecto originis veritate sublata singularem eius erga nos amorem ac misericordiam imminuet: & sane nisi eius humiliatio exinanitioque tantopere à Paulo prædicata in eo consisteret, vt qui origine & natura ab æterno Deus esset, idem assumpta humana carne factus fuisset origine & natura verus homo, quomodo posset primitię sanctorum appellari? Scimus profectò fructuum cuiusque generis primitijs omnes eius-

LIII. 3.

XXI. 7.

dem generis fructus totamque massam fuisse sanctificatam, sed in fructuum quorumcunque diuersa origine vnius cuiuspiam sanctificationem transire ad alterum, ne fando quidem est vnquam auditum, & non modo à veritate scripturarum abhorret, sed etiam ab omni ratione. Quid verò quod frater noster Christus appellatur, an non abundè testatum facit ex vna eademq; Adami massa originem traxisse? Apostolus certe ad Hebræos tradit non erubuisse eum nos fratres compellare, quod nostræ carnis nostrique sanguinis esset similiter atque nos particeps. Si autem iam ex cœlo vel omnino ex Spiritus sancti æterna diuinaque essentia illius carnis hausit originem, quid habet obsecro nobiscum commune, quamobrem fratres nos debeat appellare? imò verò quo iure Maria virgo eius genetrix haberi possit, plane non video. Idipsum & Cyrillus ita testatur in epistola ad Ioannem Antiochenum. *Si de cœlo,*

de cœlo, & non ex ipsa, sanctum corpus omnium nostrum saluatoris Christi factum esse dicamus, quomodo iam intelligatur Dei genitrix esse? Quem enim omninò peperit, nisi est verum quod peperit secundum carnem Immanuel? &c. Si autem corpus eius factum est ex virgine, iam profecto virgo carni materiam præbuit, atque adeo originem ex sua substantia dedit. Quare originem eius carnis aliunde velle petere, est (mihi crede) non modo absurdum, sed etiam cum scripturis, cum ratione, cum pietate denique pugnans. Sed vrges, fuisse ex Spiritu sancto conceptum, sine semine virili. Fateor: verùm an propterea etiam Spiritus S. essentiam, ita in seminis locum vis successisse, vt carni concipiendæ quasi materia quæpiam originem præbuerit? Hoc sane & à scripturarum veritate, & à nostrę salutis dispensatione penitus abhorret. Eo enim pacto dicendus fuerit Christus Spiritus sancti filius. Eo pacto non fuerit corpus eius ve-

rum corpus, sed spirituale, sed diuinum corpus; imò vero Spiritus S. atque adeo Deus ipse: est enim Dei essentia ita simplex, vt quicquid ex ea constat, idem sit necessario Deus. Hinc efficietur diuinitas in tempore nata, & vero diuinitas carnea & caro spiritalis, (quando quicquid est ex Spiritu est spiritus,) necessariò erit filius ipse Spiritus sancti filius. Quę quàm sint absurda, facile vides. Sed quid est igitur quod & scriptura testatur, & omnes Patres clamant, ex Spiritu S. Christum fuisse conceptum? Huic quæstioni ipse respondeat Augustinus ita scribens.

In Enchiridio. ad Laurentium, ca. 37. *Nunquid tamen ideo dicturi sumus, Patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, vt Deus pater verbum genuerit: Spiritus sanctus hominem, ex qua vtrâq; substantia, Christus vnus esset & Dei Patris filius secundum verbum, & Spiritus sancti filius secundum hominem, quod quasi eum Spiritus sanctus, tanquam pater eius de matre virginis genuisset? Quis hoc dicere audebit? Nec opus est ostendere*

dere quanta alia sequantur absurda, cum hoc ipsum iam ita sit absurdum, vt nullæ fideles aures id valeant sustinere. Proinde sicut confitentur, Dominus noster Iesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu S. & Maria virgine, vtrag, substantia diuina scilicet atque humana, Filius est vnicus Dei patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus sanctus. Quomodo ergo dicimus Christum natum de Spiritu S. si non eum genuit Spiritus sanctus? An quod fecit eum? quoniam Dominus noster Iesus Christus, in quantum Deus est, omnia per ipsum facta sunt. In quantum autem homo est, & ipse factus est. &c. Et mox: *Illud enim mouet, quomodo dictum sit, natus de Spiritu S. cum filius nullo modo sit Spiritus sancti? Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium, aut eum natum de Deo, sed factum, vel creatum, vel conditum, vel institutum ab illo. Hunc ergo cum confiteamur natum de Spiritu sancto, & Maria virgine, quomodo non sit Filius Spiritus sancti, & sit filius virginis Mariæ, cum & de illo & de illa*

natus sit, explicare difficile est. Proculdubio quippe non sic de illo vt de Patre, sic autem de illa vt de matre natus est: & nonnullis interiectis. *Quum itaque de aliquo nascitur aliquid etiam non eo modo, vt sit filius, nec rursus omnis, qui dicitur filius de illo sit natus, cuius dicitur filius, profecto modus iste quo natus est Christus de Spiritu S. non sicut filius, de Maria virgine autem sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, verbo Dei copularetur, in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis qui filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione foret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum peccatum posset admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum S. fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, vt dicatur etiam Dei donũ,* &c. Hactenus Augustinus, ex cuius verbis liquet, hanc, de qua sermo nobis est, conceptionem ex Spiritu sancto, non id significare, quod hominis

conceptio

conceptio ex semine virili notare solet, sed primum quidem referri ad creationem extraordinariam humanę Christi naturæ, desumptę quidem tum origine tum natura ex virginis substantia, sed factæ extraordinaria vi sanctæ Trinitatis, quæ vis Spiritus sancti vocabulo notetur, propterea quod Spiritus sancti vocabulo soleant dona & gratiæ Dei explicari: deinde verò potissimum hac loquendi forma designari vim illam Spiritus sancti, quæ ab initio conceptionis ita mirabiliter operata sit, vt Dei filius, ac verbum inseparabile atque arctissima vnione humanā natura in vnam personam se coniunxerit, cuius vnionis gratia & persona meritò dicatur filius Dei, non tantum diuinæ, sed & humanæ naturæ ratione; ac denique significari vim illam spiritus sanctificantem, quæ in hac conceptione ita intercessit, vt non modo fuerit ab omni peccati labe immunis ea caro, sed etiam potuerit esse sancta pro omnium pec-

catis ac perfecta victima. Notanda est enim Gabrielis ad virginem oratio: is enim postquam dixit Spiritum sanctum superuenturum obumbraturumque virgini, haud sane infert, propterea quod ex illo spiritu nascetur, vocabitur sanctum, sed quod ex te nascetur, vt manifeste ostendat Spiritus S. obumbrationem gratiam quidem sanctificationis, & fœcunditatis in virgine vim operari, non tamen præbere materiæ originem, carnisq; substantiam. Cui sententiæ manifeste astipulatur Leo in epistola ad Flauianum, eum inquam, qui in Synodo Ephesina posteriori orthodoxam hanc de Christi ex virginis substantia ortu sententiam vsque ad mortem constanter tutatus est, in eamque porrò vniuersa Synodus Chalcedonensis vnanimi assensione concessit. Ita enim scribit: *An forte ideo putauit* (Eutychen intelligit) *Dominum Iesum Christum non nostræ esse naturæ, quia missus ad beatam Mariam Angelus ait: Spiritus sanctus superueniet in te,*

in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, vt quia conceptus virginis diuini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti? Sed non ita intelligenda est illa generatio, alias singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, vt per nouitatem creationis proprietas remota sit generis. Fœcunditatem enim virgini Spiritus sanctus dedit: veritas autem corporis sumpta de corpore est: & ædificante sibi sapientia domum verbum caro factum est, & habitauit in nobis, hoc est in ea carne quam sumpsit ex homine, & quam spiritu vitæ rationalis animauit, &c. Et paulo post: *Noua autem natiuitate generatus est, quia inuiolata virginitas, quæ concupiscentiam nesciuit, carnis materiam ministrauit. Adsumpta est igitur de matre Domini natura, non culpa: nec in Domino Iesu Christo, ex vtero virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideo matri est natura dissimilis, nostræ est naturæ dissimilis,* &c. Hæc ille: ex quibus intelligitur, carnis in Christo materiam siue originem non esse profecto ex substantia

Spiritus

Spiritus sancti, sed tantum per spiritus vim creatricem ex vtero ac substantia virginis erutam in humanam sobolem admirabiliter coaluisse. Atque in eo versatur omne discrimen carnis Christi à nostra carne, non quidem ortu neque natura, neque massæ origine, siue materia, nec denique substantia; sed modo concipiendi supernaturali differentis, in quo Spiritus sancti vis atq; vnctio fuit necessario, tum aliis multis de causis, tum vel maximè vt esset à primo conceptionis momento & Spiritus sancti perfecte particeps, & cum verbo æterno inseparabiliter ac perfecte in vnam personam copulata. Alioqui ne in cæteris quidem diuersus concipiendi modus materiæ originisque discrimen adfert: nam vt omittam quod in Sara extraordinaria aliqua Spiritus sancti atq; adeo totius Trinitatis vi ac supernaturali opus fuerit, quippe quæ sua natura esset iam plane sterilis, sane alio modo facti sunt Adam & Eua,

alio

alio cæteri homines. In illis enim extraordinaria, ac singularis totius Trinitatis creantis vis ac voluntas operata intelligitur, cum in his ordo naturalis vera Dei benedictione ordinariam vim ac perpetuam obtinens perspiciatur: & est tamen vna omnibus origo, vna materia, vna denique propagatio. Quare ne in Christo quidem extraordinaria Spiritus S. atque totius Trinitatis creantis, sanctificantis, & verbo inseperabiliter carnem vnientis vis in origine ac materia carnis vllum necessarium discrimen inuehere debet intelligi: vt est prudētissime ab Ambrosio obseruatum, qui ita scribit, in Epist. ad Rom. cap. 8. *Hæc est similitudo carnis, quia quanuis eadem caro sit quæ & nostra, non tamen ita facta in vtero est, sicut & caro nostra. Est enim sanctificata in vtero (vides hîc discrimen in sanctificandi & concipiendi modo non in materia, ac substantiæ origine collocari) & nata sine peccato, & neque ipse in illa peccauit. Ideo enim virginalis vterus*

electus

electus est ad pactum Domini, vt in sanctitate (hæc quæso aduerte diligēter) *differret caro Domini à carne nostra. In causa enim similis est, non in qualitate peccati substantiæ. Propterea ergo similem dixit, quia de eadem substantia carnis non eandem habuit natiuitatem, quia peccato subiectum non fuit corpus Domini. Expiata est enim à Spiritu S. caro Domini, vt in tali corpore nasceretur quale fuit Adæ ante peccatum*, &c. Ex his Ambrosij verbis vides manifestissimè, Spiritus sancti conceptionem nullum in origine carnis materiaq; substantiæ discrimen adferre. Eodemque sunt illa Tertulliani proculdubio referenda: is ait. *Noue nasci debebat, nouæ natiuitatis dedicator.* Paulo enim post hanc nouitatē ita explicat, inquiens: *Sed tota nouitas ista, sicut & in omnibus de veteri figurata est rationali per virginem dispositione, homine domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accipimus à Deo in animam viuam. Igitur si primus Adam*

ita

ita traditur, merito sequens vel nouissimus Adam, vt Apostolus dixit. proinde de terra, id est carne nondum generationi resignata in spiritum viuificantem à Deo est prolatus: & tamen ne mihi vacet incursus Adæ, vnde Christus Adam ab Apostolo dictus est, si terreni non fuit census homo eius? &c. Originis deinde carnem ita explicat. *Auulsisti inquit ex vtero. Quid auellitur nisi quod inhæret, quod infixum, innexum est ei à quo vt auferatur, auellitur? Si non adhæsit vtero, quomodo auulsus est? Si adhæsit qui auulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex vtero est, per illum neruum vmbilicarem quasi folliculi sui traducem adnexus origini vuluæ?* Et mox: *Cæterum quæ vbera matris suæ nominat? sine dubio quæ hausit. Respondeant obstetrices, medici & Physici de vberum natura, an aliter manare soleant, sine vuluæ genitali passione pendentibus exinde venis sentinam illam interni sanguinis in mammillam, & ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis latiorem? Inde adeo fit, vt vberum tempore menses sanguine vacent.*

Quod

Quod si verbum caro ex se factum est, non ex vulvæ communicatione, nihil operata vulva, nihil functa, nihil passa; quomodo fontem suum transfudit in ubera, quæ nisi habendo non mutat? habere autem sanguinem non potuit lacti subministrando, si non haberet causas sanguinis ipsius, annulsionem scilicet suæ carnis. Quid fuerit novitatis in Christo ex virgine nascendi, palam est, scilicet solummodo hoc quod ex virgine secundum rationem quam edidimus, &c. Ex his profecto facile potes cognoscere, quæ fuerit Tertulliani ac totius vetustatis sententia. Nam quod idem eodem pene loco scribit ex Dei semine, spiritu nimirum, ortum fuisse Christum, non potest aliter accipi, quàm quomodo est à nobis explicatum, alioqui non modo ipse sibi contradicet, sed, vt ante ostendimus, faciet Christum Spiritus sancti filium, facietq;, quod est absurdissimum, Spiritum S. Dei semen, & quidem tale, ex quo carnalis generatio fuerit constituta. Quare quoties eiusmodi duriores

phrases

phraſes in patribus occurrunt, debemus profecto illas non ex vnius verbuli proprietate, ſed ex totius orationis ſerie æſtimare, ita enim ipſa luce clarius fiet, omnes vno ore Chriſti carnis originem in Abrahami ac Dauidis ſemen atque in materiam humanæ carnis ac ſubſtantiæ retuliſſe. Sed reſtat vnus præterea ſcrupulus, quod eorum pleriſque in origine carnis Chriſti, Mariæ ſemen nuncupare religio videtur fuiſſe. Ita fere in locum ſeminis carnem ſubſtituerunt, adeo vt nonnunquam eis exciderit, omnino ſine vllo ſemine, ex ſola virginis carne fuiſſe Chriſtum generatum: Verum ego profecto & hac in re, & in cæteris porro omnibus longe facio pluris vniuſ ſcripturæ ſimplicem ac minime fucatam veritatem, quàm omnium patrum anxiam ac ſcrupuloſam religionem. Quis enim dubitet Deo præeunte teſtari, ipſiſſimum mulieris eſſe ſemen eum qui contriuerit ſerpentis caput, & cum ipſo Paulo

atque adeo cum tota Scriptura profiteri, Christum non esse modo factum ex semine Dauidis, sed ipsissimum esse semen Abrahæ, excitatum ex lumbis Dauidis, atque adeo esse fructum eius renum, eiusq; ventris? Quod quidem non Mariæ ratione, sed ipsius Christi ex Mariæ semine per vim Spiritus S. creantem sanctificantemque orti, proculdubio dictum est. Nam cum dicitur assumpsisse semen Abrahæ, non potest intelligi assumpsisse Mariam, esset enim hoc absurdissimum, sed ipsius Mariæ, seu, vt loquitur promissio, mulieris semen, quo nomine dicitur ex muliere factus esse, & simul Abrahæ semen esse nuncupatur, cum alioqui ne Abrahæ quidem semen, sed tantummodo natus ex ea quæ esset Abrahæ semen, dici reuera posset. Et nequeo equidem intelligere qui scrupulus eorum animos mouisse potuerit, cur minus auderent profiteri ex semine ortum Mariæ, nisi quod videntur eam disputationem

tationem refugisse, vtrum haberent mulieres semen, nec ne? In qua re metuebant se ab hæreticis esse vellicãdos, si cum scriptura fuissent aperte sententiam elocuti: Verum enimuero, ipse mihi persuadeo, nemini vnquam sano fuisse dubium, quin haberent semen mulieres, cum & natura, & corporis constitutio, & ipsa rerum experientia, & totius denique vetustatis testimonium manifeste clamet ita se remhabere. Quod est quidem vsque adeo verum, vt ex ipsius muliebris seminis vna cum sanguinis in vterum affluxu copioso, soleat interdum carnis moles generari, accedente nimirum calore vehementiori, quæ mola à medicis appellata, vterum ingenti tumore attollit, atq; imprægnationis signa refert, vt vel octimestris aliquãdo partus subesse existimetur. Fateor equidẽ non esse seorsim ad generationem aptum ipsum mulieris semen, sicut ne viri quidem semen per se aptum ad generationem dici potest. Sed

quid tum postea? Estne vero mulieris caro per se ad generationē apta? multo profecto minus. Est enim à naturę ordine longe alienius, ex mulieris carne sola, quàm ex solo semine fœtum concipi: & tamen accedente Spiritus sancti vi creatrice carnem creationi effectam idoneam non dubitant vno ore patres affirmare. Quid est igitur causæ, quominus eadem Dei vis creatrix possit & ipsum mulieris semen per se alioqui infœcundum, fœcundum reddere? quod profecto coniunctum virili semini, natum est aptum generationi, quum semen mulieris Christum nominet scriptura, & ex semine factum identidem inculcet, ex carne autem factum vel auulsum fuisse, sit scrupulosorum hominum timidum commentum: Tum etiam manifeste testantur diuina oracula, nulla alia in re à nostra natiuitate Christi natiuitatē discrepare, quàm quod semen viri, cuius vi naturali muliebre fœcundum esse solet, desidera-

sideratum in virgine fuerit, eiusque defectum suppleuerit Spiritus sancti vis extraordinaria, non quidem ex se, suaue substantia vllam materiam affundēdo, sed virginis utero (quemadmodum Leonem testantem audiuimus) fœcunditatem præstando. Quæ interea virgo, vt idem testatur, carnis materiam (quod nihil est aliud quam promissum illud mulieris semen) ministrauit. In cæteris omnibus fuit per omnia similis fratribus, excepta, non origine, sed culpa, quæ ex viri coniunctione concupiscentiaque solet in fœtum propagari: Nam alioqui quid opus erat totos nouem menses cęterorum fœtuum more vtero gestari, si non ex semine conceptus factusque, sed à carne auulsus? vel vnde manabat virgini lac, quo natus infans educaretur? Scio equidem omnia Deum posse: sed in fœtus gestatione, inq; lactis generatione nihil nouum nihilque inusitatum prodit scriptura: quicquid est noui, id omne in con-

ceptionis modo extraordinario ac miraculoso versatur. Quare non est nostrum miraculis addendo miracula, noua dogmata ex nostro cerebro comminisci. Atque hæc non eo dico, quod vel Tertullianum, vel veterũ quempiam velim insectari, sed scripturarum simplicitati volo nos insistere, ab eoq; nullius hominis ac ne angelorum quidem authoritate, vel latum vnguem dimoueri. Videat ipse Tertullianus, quomodo constent ea, quæ de vteri sanguine lactisque generatione tam copiose disputat, si non est ex semine mulieris factus Christus. Et ne semper hominum authoritati insistamus, quomodo constabit, quod Mariæ filius nuncupatur Christus? Sane qui non ex semine alterius propagatur, sed creatur ex carne, vel ex qualibet alia substantia, is eius filius dici nullo iure potest, nisi forte volumus Adami filium fuisse Euam, propterea quod ex carne & ossibus Adami fuerit procreata, quod

non

non modo est absurdum, sed omnem humanæ generationis rationem penitus euertit: quæ profecto nisi in seminis propagatione omnino ne intelligi quidem potest: ita vt à Græcis, vt pleraque alia, ita & seminis vocabulum propriissime efferatur voce γονὴ, quod dicitur, genitura, eo quod in semine omnis gignendi vis ac ratio consistat: quòd autem aliunde quam ex semine oritur, id neque genitum, neque filius filiave dici potest: nisi volumus, quicquid ex hominis carne generatur, id continuo dici hominis filium, quod non modò ratione & experientia confutatur, sed authoritate etiam Augustini exploditur, is enim ita scribit: *Non igitur concedendum est, quicquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdem rei filium nuncupandum: vt enim omittam alia, aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum, vel lumbricum, quorum nihil est filius*, &c. Quare prudenter ab eo statuitur discrimen, quod aliud nascatur tanquam ex patre

matreve, aliud non tanquam ex patre matreve: Illo modo docet Christum natum de virgine, hoc posteriori eundem de Spiritu S. natum asseuerat. Nasci autem tanquam à patre vel à matre nihil profecto est aliud, quàm ex propagatione seminis nasci, atque inde filij nomen patrisque seu genitoris & geniti mutua relatio indubie proficiscitur. Quod si seminis propagationisque considerationem tollis (ago tantum de rebus creatis, non de ipso creatore, in quo eiusmodi carnalem generationem intelligi nefas est) iam nulla patris, nulla matris, nulla filij denominatio potest amplius relinqui: Sublata enim genitura, ne genitoris quidem nomen residuum esse potest. Quare si non est ex semine matris natus Christus, ne filius quidem matris dici poterit. Quod autem nonnulli hoc refugiunt, quasi filio Dei contumelioſum, non est (mihi crede) religio, sed vera pietate vacans superstitio. In hoc enim immensa

Dei

Dei erga nos benignitas ac misericordia affluenter se exeruit, quod qui erat in forma Dei, exinanitus est, accepta serui forma, & infra angelos se demisit assumpto Abrahami semine, & humanam naturam assumens vno peccato dempto, nihil præterea humani à se alienum putauit. Et sane qui mortem, peccati stipendium, nostri causa non horruit, qui vermis, & opprobrium populi esse non erubuit, qui denique execratio maledictioq; atque adeo peccatum ipsum fieri non reformidauit, eundem & mulieris semen fuisse, & ex hominum semine factum esse, vt humanum genus ad imaginem Dei conditum atq; à morte vindicatum instauraret, haud est negandũ ijs qui se Christianos profitentur, vnumq; Deum ac patrem cum Christo primogenito suo fratre capite ac principe habere gloriantur. Quare, obsecro te, vir mihi ac frater in Christo chariſſime, & obtestor per viscera illius immensæ Dei misericordiæ, qua

nos in Christo filio suo, fratreque nostro amplexus est, noli te hac tanta tamque singulari consolatione, quæ me profecto in rebus afflictissimis vel sola potest erigere, animumque admirabili lætitia & gaudio Spiritus S. perfundere, ipse nescio quo hominum præiudicio spoliare. Scio, magnum hominem fuisse Schwencfeldium, sed tamen hominem fuisse ipse fateberis. Quare omissis semel hominibus, verbi Dei simplicem veritatẽ amplectere, ac in ea Christum Iesum verum Deum Deiq; filium & generatione & æterna origine, verumq; hominem Mariæ filium origine, natura, generationeq;, ac semen mulieris semenq; Abrahæ factum ex Dauidis semine, & factum deniq; ex muliere, toto animo nobiscum exosculare: vt quemadmodum ipse nostram assumpsit humanam naturam, ita & nos aliquãdo posthac eius diuinæ naturæ possimus fieri participes.

Hæc sunt quę volui tecum ad hanc materiam libere & Christiano more commu-

communicare: quæ tu non modo vt Christianum decet, in optimam partem interpretabere, sed meum etiam studium boni consules, & rem ipsam propius intuebere, ac vt spero nobiscum in Christo senties. Vale.

T. D. addictiss.

PH. MARNIXIVS.

LXXXVII.

Clariss. doctissimoque viro, Aggæo Albadæ, amico suo.

Theologic. De veritate corporis Christi.

LEgit mihi tuas literas Gasparus Verheyden, verbi Dei hoc loco minister, quibus, quia me oblique videris notare, hospitij violati, quod ego certe atrocissimum crimen iudico, non putaui omnino me posse vti silentio, tametsi profecto statueram, quemadmodum cupere te satis animaduertebam, ne verbum quidem vnum per literas commutare. Sed quando iam plane literas hasce

extorsit

extorsit mea innocentia, quæ certe purgationem aliquam suo jure flagitat, non inique feres me aliter agere quam vel te cupere mihi persuasi, vel ipse agere iamdudum apud me constitui. Primum itaque, vir clarissime, hoc tu apud te statue, tantum abesse, vt ego te apud alios quasi male de religione sentientem detulerim, vt etiam nonnullorum suspicionem ea de re imminuerim, nonnullorum etiam certam sententiam prope labefactarim. Affirmaui enim apud omnes qui quidem hac de re mecum egerunt, ita sentire me, magis in verbis quam in re ipsa nostram versari dissensionem. Itaque non esse te reijciendum in eorum numerum qui ab orthodoxa fide resilierint. Imo vero ego te semper plurimi feci, & id ipsum non obscure præ me tuli. Quod vero existimas neminem tuam sententiam ad amussim potuisse obseruare præter Petr. Antonium, & me, longe profecto falleris. Ego enim ab alijs innumeris te eiusmodi

opiniones

opiniones retinere iampridem audiui. Illud tamen minime dissimulabo, nunquam existimauisse me, tam tenaciter tibi eas esse infixas, ac vbi nuper coram tecum egi. Præsertim cum viderem, (ignosce quæso si libere apud te quod sentio eloquar) omnia tua firmamenta in aucupio quodam verborum ac λογομαχίᾳ potius quam in rerum ponderibus versari. Quod vt intelligas, patere quæso, vt breuiter & amice exponam, in quo putem à te hac parte peccatum fuisse. Primum quidem quod ad dissensionem de Christi persona attinet: video te semper, nescio quid, aucupari in hac locutione, TOTVS & INTEGER CHRISTVS, quam ego puto in nostra disputatione esse prorsus otiosam, atque extra oleas, vt aiunt, penitus vagari. Nemo enim est nostrū ita vel imperitus, vel male sentiens, qui non fateatur totum Christum ex Maria natum esse. totum Christum de cœlo descendisse, totum Christum esse ab æterno

no Dei Patris filium, totum denique in summam atque ineffabilem gloriam assumptum esse, neque hoc vnquam venit in controuersiam, in quo tamen totus Langij libellus versatur. Aliud enim est totum aliquem aliquid facere, aut esse, aut pati, aliud ratione totius id facere, &c. Sane totus homo est mortalis, at non ratione totius, sed tantum ratione corporis. Anima enim morti non est obnoxia: totus homo intelligit, at non profecto intelligit ratione ventris aut pedum, sed mentis atq; animi ratione. Ita totus homo esurit, at non esurit totum id, quod est in homine, vel potius homo non esurit ratione totius, quod in eo est: nec enim vnquam concedam aures vel oculos esurire, vt nihil dicam de anima. Et vt congrediamur propius; totus Christus est creator ab æterno, neque tamen propterea efficitur ratione humanitatis esse creatorem ab æterno: totus Christus est pro nobis mortuus, nec tu tamen propterea credo

credo dabis, eum ratione diuinitatis esse mortuum, vel diuinitatem in eo esse mortuam. Hic si ego deinde inferam, diuidi à te Christum, & duos constitui Christos, alterum qui sit mortuus, alterum qui mori non potuerit, an tu non respondebis iniuriam tibi fieri, & me aucupia verborum nectere, qui nolim claram & perspicuam distinctionem recipere? Et tamen vos hic semper impingitis. Quoties enim dicimus, Christum ratione diuinitatis esse naturalem, essentialem, id est, genitum ex essentia Patris filium, ratione autem humanitatis non esse naturaliter ab essentia Patris genitum, sed gratia & vnione naturarum, quæ Spiritu S. intercedente facta est indissolubilis, adoptatum, continuò clamatis, nos duos facere filios, & Christum à nobis discerpi. Item, si dicimus, eundem Christum ratione quidem diuinitatis esse Patri naturaliter coæqualem, coæternum, gloria ac maiestate prorsus parem, ratione autem

tem humanitatis non item, sed tantum hactenus quoad per gratiam illa humana natura in diuinæ naturæ societatem seu potius vnionem copulationemque suscepta est: iterum accusatis, quasi Christum discerpamus, & duos constituamus filios, alterum naturalem, alterum adoptiuum, alterum Patri, & gloria, & maiestate æqualem, alterum inferiorem. Et vestrum illud, totus Christus est Dei filius, totus Christus est in gloria Patris, vsque ad nauseam inculcantes, nostras rationes scripturis fundatas reijcitis, & vestras opiniones in verborum aucupio positas mordicus retinetis. Vide quæso libros Swencfeldij, perlege libellum Langij, obserua denique quicquid vnquam in hanc sententiam ab vllo mortalium scriptum est, & si opinionis præiudicatæ velum deposueris, planissime videbis ita se rem habere. Quod tu itaque scribis, me non potuisse solidis rationibus tuam opinionem conuellere, nihil miror

ita

ita tibi videri, cum eo præiudicio tenereris, & quoties ego te vrgerem, tu semper ad illam formulam TOTVS CHRISTVS EST DEI FILIVS, &c. tanquam ad sacram anchoram te conuerteres. Quod vero aliquoties addidisti (quod etiam non raro addit Swencfeldius) etiam secundum vtramque naturam esse Dei filium, te plane non potest expedire, & nos enim libenter damus secundum vtramque naturam esse Dei filium. Sed hic est duplex paralogismus, quo soletis tanquam offusa arena nobis oculos opplere. Primum enim si intelligatis secundum vtramque naturam esse Dei filium; idem valere ac vtraque natura coniuncta, & in vnam hypostasin vnita eum esse Dei filium, nemo est nostrum, qui id vobis non dabit, sed apertus est paralogismus. Quum enim dicimus, secundum vtramque naturam, intelligimus ratione aut respectu vtriusq; naturæ ab alterutra cogitatione distinctæ, & per se consideratæ, vt ni-

mirum quemadmodum diuina natura per se considerata est genita à Patre, ita etiam humana natura per se considerata, quæ corpore & anima continetur sit à Patris substantia genita, quod certe ab omni & veritate & pietate abhorret: ita enim esset corpus Christi ex diuina Patris substantia genitum, quod est profecto falsissimum: est enim genitum ex Mariæ substantia, non ex substãtia Patris, quæ quum sit Deus, non potest ex se gignere, nisi id ipsum quod est Deus, quũ sit æterna, non potest gignere ex se, nisi quod est æternum, quũ denique sit spiritualis, non potest nisi spirituale quicquam ex sese gignere. Corpus autem Christi vel Deum esse, vel ab æterno genitum, vel spirituale, seu spiritum, ne vos quidem, nisi plane fallor, vnquam concedetis, nisi vultis omnem Euangelicorum oraculorum veritatem rescindere. Alter paralogismus est in verbo filij: Quum enim dicimus Christum secũdum vtramque

que naturam esse Dei Patris filium, recte quidem dicimus, non tamen proprie, neque distincte Euangelicam veritatem explicamus: verbum enim filij Dei alia ratione accipitur, quum de diuina natura loquimur, alia quum de humana. Illic enim filium esse idem significat, atque ex Dei Patris essentia genitum, ortum, ac natum esse: hic vero non aliud significat quam per gratiam, ac ratione coniunctionis virtute Spiritus sancti factæ glutinatæque adoptatum assumptumque esse in filium, ac proinde à veteribus ratione diuinitatis dictus est ἀμήτωρ, ratione vero humanitatis ἀπάτωρ. Quare recte quidem ac perspicuè dicitur totum Christum esse Dei filium: at vero totum Christum secundum vtramque naturam Dei esse filium, recte quidem fortasse, at non certe perspicue dicitur. Quum enim notamus vtramque naturam, iam aperte nascendi diuersam rationem declaramus. Naturam enim à nascendo di-

ctam omnes sciunt. Quum itaque in Christo duæ sint naturæ, eæque inter se diuersæ, necesse est profecto etiam duas nascendi rationes in eo considerari. Has si fateris esse diuersas, vti profecto sunt, iam non potes eas vna loquendi forma, aut vna filij dictione (quæ profecto nihil nisi γένναν, aut, si ita licet dicere, nascituram aut genituram significat) inuoluere. Si habet Christus naturam humanitatis, sane natus est homo, natus est vt homo, natus est ex homine, ac proinde est filius hominis. Si habet autem idem Christus naturam diuinam seu diuinitatis, est profecto idem ille Christus, natus Deus, natus vt Deus, & natus seu genitus ex Deo, atque ex Dei substantia, ac proinde Dei filius. Quod vt intelligas rectius, conuerte paulisper oculos in alteram nimirum humanam naturam. Sane non negabis, nisi Euangelium velis abnegare, totum Christum esse filium hominis, atque hinc est, quod orthodoxè veteres

synodi

synodi sanxerunt Mariam ex oraculis scripturarum recte atque orthodoxè dici θεοτόκον, & Dei matrem, quod nimirum pepererit vnum illum Christum, qui esset verus Deus. Et tamen, si quis hinc ratiocinetur, Christum secundum vtramque naturam esse hominis filium, an non hîc vos reclamabitis? Egō sane arbitror, & quidem optimo iure. Scio quidem aliam paulo esse rationem in hac loquendi forma, atque in illa superiori: non enim quemadmodum Christus à Deo Patre secundum humanam naturam in filium adoptatus est, ita etiam secundum diuinam naturam à matre virgine in filium adoptatus fuit. Nihilominus tamen in eo perpulchre consentiunt, quod quemadmodum natura diuina, ex diuina essentia ab æterno nata est, ita natura humana ex humana essentia in tempore nata esse creditur, atque orthodoxè dicitur, & quemadmodum ratione vnionis harum naturarum idem ille, qui ex humana

credo dabis, eum ratione diuinitatis esse mortuum, vel diuinitatem in eo esse mortuam. Hic si ego deinde inferam, diuidi à te Christum, & duos constitui Christos, alterum qui sit mortuus, alterum qui mori non potuerit, an tu non respondebis iniuriam tibi fieri, & me aucupia verborum nectere, qui nolim claram & perspicuam distinctionem recipere? Et tamen vos hic semper impingitis. Quoties enim dicimus, Christum ratione diuinitatis esse naturalem, essentialem, id est, genitum ex essentia Patris filium, ratione autem humanitatis non esse naturaliter ab essentia Patris genitum, sed gratia & vnione naturarum, quæ Spiritu S. intercedente facta est indissolubilis, adoptatum, continuò clamatis, nos duos facere filios, & Christum à nobis discerpi. Item, si dicimus, eundem Christum ratione quidem diuinitatis esse Patri naturaliter coæqualem, coæternum, gloria ac maiestate prorsus parem, ratione autem

tem humanitatis non item, sed tantum hactenus quoad per gratiam illa humana natura in diuinæ naturæ societatem seu potius vnionem copulationemque suscepta est: iterum accusatis, quasi Christum discerpamus, & duos constituamus filios, alterum naturalem, alterum adoptiuum, alterum Patri, & gloria, & maiestate æqualem, alterum inferiorem. Et vestrum illud, totus Christus est Dei filius, totus Christus est in gloria Patris, vsque ad nauseam inculcantes, nostras rationes scripturis fundatas reijcitis, & vestras opiniones in verborum aucupio positas mordicus retinetis. Vide quæso libros Swencfeldij, perlege libellum Langij, obserua denique quicquid vnquam in hanc sententiam ab vllo mortalium scriptum est, & si opinionis præiudicatæ velum deposueris, planissime videbis ita se rem habere. Quod tu itaque scribis, me non potuisse solidis rationibus tuam opinionem conuellere, nihil miror

ita tibi videri, cum eo præiudicio tenereris, & quoties ego te vrgerem, tu semper ad illam formulam TOTVS CHRISTVS EST DEI FILIVS, &c. tanquam ad sacram anchoram te conuerteres. Quod vero aliquoties addidisti (quod etiam non raro addit Swencfeldius) etiam secundum vtramque naturam esse Dei filium, te plane non potest expedire, & nos enim libenter damus secundum vtramque naturam esse Dei filium. Sed hic est duplex paralogismus, quo soletis tanquam offusa arena nobis oculos opplere. Primum enim si intelligatis secundum vtramque naturam esse Dei filium; idem valere ac vtraque natura coniuncta, & in vnam hypostasin vnita eum esse Dei filium, nemo est nostrum, qui id vobis non dabit, sed apertus est paralogismus. Quum enim dicimus, secundum vtramque naturam, intelligimus ratione aut respectu vtriusq; naturæ ab alterutra cogitatione distinctæ, & per se consideratæ, vt ni-

mirum quemadmodum diuina natura per se considerata est genita à Patre, ita etiam humana natura per se considerata, quæ corpore & anima continetur sit à Patris substantia genita, quod certe ab omni & veritate & pietate abhorret: ita enim esset corpus Christi ex diuina Patris substantia genitum, quod est profecto falsissimum: est enim genitum ex Mariæ substantia, non ex substãtia Patris, quæ quum sit Deus, non potest ex se gignere, nisi id ipsum quod est Deus, quũ sit æterna, non potest gignere ex se, nisi quod est æternum, quũ denique sit spiritualis, non potest nisi spirituale quicquam ex sese gignere. Corpus autem Christi vel Deum esse, vel ab æterno genitum, vel spirituale, seu spiritum, ne vos quidem, nisi plane fallor, vnquam concedetis, nisi vultis omnem Euangelicorum oraculorum veritatem rescindere. Alter paralogismus est in verbo filij: Quum enim dicimus Christum secũdum vtramque

que naturam esse Dei Patris filium, recte quidem dicimus, non tamen proprie, neque distincte Euangelicam veritatem explicamus: verbum enim filij Dei alia ratione accipitur, quum de diuina natura loquimur, alia quum de humana. Illic enim filium esse idem significat, atque ex Dei Patris essentia genitum, ortum, ac natum esse: hic vero non aliud significat quam per gratiam, ac ratione coniunctionis virtute Spiritus sancti factæ glutinatæque adoptatum assumptumque esse in filium, ac proinde à veteribus ratione diuinitatis dictus est ἀμήτωρ, ratione vero humanitatis ἀπάτωρ. Quare recte quidem ac perspicuè dicitur totum Christum esse Dei filium: at vero totum Christum secundum vtramque naturam Dei esse filium, recte quidem fortasse, at non certe perspicue dicitur. Quum enim notamus vtramque naturam, iam aperte nascendi diuersam rationem declaramus. Naturam enim à nascendo dictam

ctam omnes sciunt. Quum itaque in Christo duæ sint naturæ, eæque inter se diuersæ, necesse est profecto etiam duas nascendi rationes in eo considerari. Has si fateris esse diuersas, vti profecto sunt, iam non potes eas vna loquendi forma, aut vna filij dictione (quæ profecto nihil nisi γέννησιν, aut, si ita licet dicere, nascituram aut genituram significat) inuoluere. Si habet Christus naturam humanitatis, sane natus est homo, natus est vt homo, natus est ex homine, ac proinde est filius hominis. Si habet autem idem Christus naturam diuinam seu diuinitatis, est profecto idem ille Christus, natus Deus, natus vt Deus, & natus seu genitus ex Deo, atque ex Dei substantia, ac proinde Dei filius. Quod vt intelligas rectius, conuerte paulisper oculos in alteram nimirum humanam naturam. Sane non negabis, nisi Euangelium velis abnegare, totum Christum esse filium hominis, atque hinc est, quod orthodoxè veteres

synodi

synodi sanxerunt Mariam ex oraculis scripturarum recte atque orthodoxè dici θεοτόκον, & Dei matrem, quod nimirum pepererit vnum illum Christum, qui esset verus Deus. Et tamen, si quis hinc ratiocinetur, Christum secundum vtramque naturam esse hominis filium, an non hîc vos reclamabitis? Egō sane arbitror, & quidem optimo iure. Scio quidem aliam paulo esse rationem in hac loquendi forma, atque in illa superiori: non enim quemadmodum Christus à Deo Patre secundum humanam naturam in filium adoptatus est, ita etiam secundum diuinam naturam à matre virgine in filium adoptatus fuit. Nihilominus tamen in eo perpulchre consentiunt, quod quemadmodum natura diuina, ex diuina essentia ab æterno nata est, ita natura humana ex humana essentia in tempore nata esse creditur, atque orthodoxè dicitur, & quemadmodum ratione vnionis harum naturarum idem ille, qui ex humana

natura ortus est, etiam est Deus ortus ex natura diuina, ac propterea totus Christus & Deus & homo dicitur Dei filius, ita profecto ratione eiusdem vnionis, qui ex Deo æternum ortum accepit, idem etiam in tempore ex homine natus est, ac proinde vnus & idem totus & integer Christus & Deus & homo dicitur hominis filius. Nec tamen propterea vna ac simplici ratione potest dici secundum vtramque naturam Dei filius, omnino quemadmodum vna ac simplici ratione seu consideratione non potest dici hominis filius, secundum vtramque naturam. Vides, vir clarissime, quomodo hæc à nobis perspicue distinguantur, quę si vos malletis placide intelligere, quam verborum tendiculis irretita exagitare, haud profecto vel tantillum à nobis dissentiretis, neque plane existimaretis, nos, vel Christum discerpere, vel duos Christos duosque Dei filios constituere. Quod ad cætera attinet, quæ tu in tua Epistola

la commemoras, nonnulla sunt de quibus mecum contulisti, quæ & ipsa ego certe in verborum contentione versari potius, quam in rerum dissensione existimo; nonnulla, quæ ex te audire ne memini quidem. Nam quod ad Ecclesiam nostram attinet, non puto nos multa verba feciſſe, cum satis constaret non posse te nostram Ecclesiam habere pro cœtu eo extra quem non sit salus, cum fœdissimos nostræ Ecclesiæ in salutis doctrina errores identidem impingeres. Itaque primum in doctrina consensus esse debebat antequam tu eam posses pro tali cœtu agnoscere. De Iustificatione scio nos multa verba commutasse. Sed non in eam sententiam meo certe iudicio, quam tu tuis literis exprimis. Ita enim proponis. An non cum imputatiua simul requiratur inhærens iustitia? Quod nemo certe est nostrum qui nõ dabit, modo vt recte intelligatur. Sed quid est? Hic iterum video in verbis ac voculis necti

tendiculas. Traducitis nos, quasi inhærentem iustitiam negemus esse necessariam. Hæc qui audiunt, neque verum à falso possunt discernere, existimant bona opera ac vitam inculpatam pro nihilo à nobis haberi. In quo certe atrocem nobis iniuriam faciunt. Quin vos igitur perspicue atq; vti se habet omnem rem proponitis? nec enim inter nos controuertitur, an inhærens iustitia yna cum imputatiua simul requiratur? sed primum quidem, an vlla sit iustitia imputatiua? id vos enim non raro inficiamini. Ita autem intelligo. An omninò τῷ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, ἡ πίστις λογίζηται εἰς δικαιοσύνην? quemadmodum loquitur per organum suum Paulum Spiritus S. Deinde, an hæc iustitia sit integra, nec ne? id est, an eius virtute & τῇ πίστει δικαιωθέντες εἰρήνην ἔχωμεν πρὸς τὸν θεὸν, & an vera atque integra fœlicitas καὶ μακαρισμὸς ἢ ἀνθρώπου in eo consistat, ὅτι λογίζεται θεὸς δικαιοσύνην ἄνευ ἔργων? an vero aliud

quippiam in nobis requiratur antequam simus beati, & cum Deo pacem habeamus? Id vocetur quo voles nomine, siue insita, siue inhærens siue essentialis iustitia, siue regeneratio seu sanctificatio. Sane si necessario requiritur in nobis antequam possimus habere pacem cum Deo, & omnino efficit vt pacem habeamus, ac beati iusti, filiique Dei simus, iam non poterit plane consistere illud Pauli ac Dauidis μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἁμαρτίαι, μακάριος ἀνὴρ ᾧ οὐ λογίζεται κύριος ἁμαρτίαν, neq; omnino cõsistet nostra salus ac beatitudo in sola remissione peccatorum, neq; erimus plane δικαιωθέντες δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Nec deniq; erit Christus vere ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, sed potius partim quidem ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, partim vero διὰ τῆς δικαιοσύνης τῆς ἐν ἡμῖν: partim δικαιωθέντες δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, partim autẽ δικαιωθέντες ἐκ τῶν ἔργων τῆς ἡμῶν

δικαιοσύνη διὰ τὸ παλιγγενέσεως τὸ ἐν ἡμῖν. Illud præterea controuertitur, an hæc sanctificatio, regeneratio seu inhærens iustitia, sit causa efficiens, an potius effectum nostræ salutis ac iustificationis? propter Spiritum S. qui datus est nobis, neque aliter in nobis, quam pro sua natura potest operari. Item, An perpetuo verum sit illud Pauli etiam in ijs, qui regenerationis spiritum acceperunt, τῷ μὲν πνεύματι δουλεύω τῷ νόμῳ θεοῦ, τῇ δὲ σαρκὶ τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας. Postremò, An nostra vel carnis vel animæ essentia per regenerationem pereat, & in eius locum succedat essentia vel carnis vel animæ Christi, quæ præmium æternæ vitę accipiat, An vero Dominus in sua cuique carne retribuet, prout quisque vel bene vel male egit, & an vnio illa quam cum carne Christi habemus potius fiat virtute Spiritus sancti, qui vel longissimo interuallo quæque dissita potest indiuiduo nexu copulare, ac proinde Christum efficit nostrum caput,

& nos

& nos eius membra: ita vt caput sui spiritus vi sese in illa infundat, eaque pro suo arbitrio regat ac moderetur, suæque gloriæ ac beatitatis participia faciat, potius quam vt capitis essentia transeat in essentiam cæterorum membrorum, vt plærique vestrum contrà omnem & rationis, & scripturarum fidem. imaginantur. De exaltatione Christi iam ante satis dictum. Eadem enim est vtriusque naturæ consideratio in exaltatione, quæ est in generatione. De bellis Religionis causa suscipiendis puto nunquam nos verbum commutasse, saltem in postrema nostra dissertatione. Et sane mihi videtur esse inutilis quæstio. Potius enim quæri debebat, an legitimus magistratus, qui à Deo gladium acceperit, possit suos ciues ac subditos vi atque armis tueri ab iniusta vi cuiuscunque rei nomine illa inferatur. Scio nos multa de magistratus officio disputasse, & an Christiano liceret esse magistratui inquisiuisse: sed

quia

quia videbam non constanter à te illa propugnari, & re ipsa ac dignitate quam sustines etiam refelli, existimabam disputationis potius gratia, quam quod ita sentires esse proposita: quam meam opinionem confirmauit hæc tua Epistola, qua nullam huius capitis mentionem facis. De persecutione, si tu vocas persecutionem, quoties ijs qui nomen Domini atroci blasphemia proscindunt, qui populum à Dei cultu ac timore abducunt, qui falsis doctrinis docent adulterari, latrocinari, seditionibus respub. concutere, nomen Christi horribiliter blasphemare, sæpius commonefacti, ac vero etiam conuicti à magistratu ex præscripto verbi diuini, vel capite, vel alia multa puniuntur, fateor sane me probauisse persecutiones, sed si recte memini, tu ipse fassus es, esse aliquas hæreses ac blasphemias, quas non minus putes à magistratu puniendas quam vel adulteria vel latrocinia, nisi quod multa perplexe contexuisti

texuisti de discrimine hominis interioris & exterioris, quæ meo certe iudicio, neque scripturæ veritati, neque sibi ipsa consonabant: itaque non fuit nobis magna hac in parte dissensio, & vero etiam si fuisset, ego tamen existimo, si semel posito præiudicio velles rem ipsam recte ac serio expendere, & non hærere in vocularum nonnullarum inutili ac fastidiosa inculcatione, posse amice ac pie componi. Hæc sane mea est de nostra dissensione sententia. Quam ego ita semper præ me tuli, vt nunquam aliter apud quenquam locutus fuerim, & vero Dominum etiam sæpius ex animo rogarim, vt vellet te in veram animi ac sententiæ vnionem & veritatis cognitionem nobiscum reducere. Quod certe etiam hoc tempore ex animo opto, & tibi sane quam optime cupio, teque ex animo complector ac plurimi facio, meque tibi plurimum debere, tum tuæ erga me beneuolentiæ nomine, tum hospitij necessitudine confi-

teor.

teor. Tu tamen propterea non est quod ægre feras, si quoties audio vel tui, vel tuæ sententiæ mentionem fieri, me à te in multis dissentire aperte præ me fero, id enim Christianæ fidei candor omnino poscere mihi videtur. Non desinam tamen propterea tui memoriam summa beneuolentia quoad viuam complecti. Vale.

LXXXVIII.

Nobili & clarissimo viro Dn. Philippo Marnixio à S. Aldegonda amico suo honorando. Heydelbergæ.

S.

Theologic. Adsertio sententiæ Svvenckfeldij: corpus Christi esse cœleste.

ORnatissime Domine. Habeo tibi gratias, quod me meliora docere conaris, quam sint illa quæ articuli mei continent, quos tum non in eum finem scripseram, vt de ijs aut tecum, aut cum quoquã contenderem, sed vt palam facerem, me non esse tam deploratum, quin à modestis

modestis & pijs viris ferri & amari possem. Sed vt ingenue fatear, nondum hæc animo meo satisfacere possunt. Memor es quæstionis meæ de quo statu enuntiet: Hic tu mihi, quem Pater filium suum naturalem nominat: Filius meus es tu, ego hodie genui te, quem Paulus primogenitum ex mortuis, Thomas Dominum & Deum suum, Iohannes verum Deum & vitam æternam, Petrus Dominum & Christum factum esse ait: eum, inquam, persuadere mihi vis esse ex gratia adoptatum filium, per gratiam in filium assumptum. Qui glorificatus est gloria Patris & verbi, qui nomen accepit supra omne nomen, qui splendor gloriæ & character substantiæ Patris factus est, qui omnia sustinet verbo potentiæ suæ, qui sedet in dextera Maiestatis in excelsis, quem adorant omnes Angeli Dei, quem vnxit Deus oleo exultationis vltra consortes suos, qui gloria & honore coronatus est, qui sanctificat, qui

Act. 13. *Hebr.* 1.

qui Pontifex factus est, secundum quod ei Pater dixerat, filius meus es tu, &c. Sanctorum minister, & veri tabernaculi quod fixit Dominus, & non homo; quæ omnia, & infinita alia veteres ad exaltationem humanæ naturæ in Christo referunt, denique qui ex spiritu vivificante factus est, qui Dominus gloriæ est, cuius corpus & sanguis, non tantum corpus & sanguis Dei appellantur, sed reuera etiam sua natura viuifica sunt, caro mea verè est cibus, &c. per quam libertatem accepimus sacrarium ingrediendi: hunc, mi Marnixi, persuadere mihi vis, esse adhuc creaturalis accidentariæ conditionis, gratiæ non distributorem, sed tantum participem, Deo inæqualem & inferiorem. Protuli tibi præsenti vnum locum Epiphanij qui sufficere potest multorum nomine, ad cognoscendum, quæ tum Ecclesiæ de glorificato Christo sententia fuerit, & hortatus sum te, vt legeres libellum, quem ante omnes scripsit Reuchli-

nus nostro tempore de verbo Dei mirifico, tum illa quæ Picus Philosophus in Heptaplo de fœlicitate annotat in Procœmio lib. VII. Et modo abstinere nõ possum, quin tibi verba Amelij Platonici recitem, vt videre possis, longe melius illos mysteria, & virtutes fidei intellexisse, quam nos miseri hodie intelligimus: verba eius hæc sunt, in quibus per Barbarum D. Iohannem intelligit: Καὶ οὗτος ἄρ' ἦν ὁ λόγος, καθ' ὃν ἀεὶ ὄντα, τὰ γινόμενα ἐγίνετο, ὡς ἂν καὶ ἡράκλειτος ἀξιώσειε, καὶ νὴ Διά, ὃν ὁ βάρβαρος ἀξιοῖ, ἐν τῇ ἀρχῆς τάξειτε καὶ ἀταξίᾳ καθεστηκότα, πρὸς θεὸν εἶναι, καὶ θεὸν εἶναι δι' οὗ πάντα ἁπλῶς γεγενῆσθαι, ἐν ᾧ γενόμενον ζῶν, καὶ ζωὴν, καὶ ὃν πεφυκέναι, καὶ εἰς τὰ σώματα πίπτειν, καὶ σάρκα ἐνδυσάμενον φαντάζεσθαι ἄνθρωπον. μετὰ οὗ καὶ τηνικαῦτα δεικνῦναι τῆς φύσεως μεγαλεῖον, ἀμέλει καὶ ἐναλυθέντα πάλιν ἀποθεοῦσθαι, καὶ θεὸν εἶναι, οἷος ἦν πρὸ οὗ, εἰς τὸ σῶμα καὶ τὴν σάρκα καὶ τὸν ἄνθρωπον καταχθῆναι. Hæc ille: ex quibus apparet, quæ tum Christianorum de Domino suo fides fuerit. Hinc quæso, cognosce

non verborum aucupia esse, de quibus agimus, sed pondera rerum. Quærimus enim, quis & quid sit Christus, non communicatione tantum, sed in se & sua natura: Qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Nemo potest dicere Iesum Dominum nisi in Spiritu sancto. Nemo nouit nomen eius nisi qui illud accipit. Si Christum secundum carnem cognouimus, nunc tamen non amplius nouimus. Sed & in statu carnis suæ, in quo argumēta tua potissimum versantur, eum qui ex Spiritu sancto conceptus est, qui ex sancta virgine natus est, qui Immanuel, qui toties filius Patris indistinctè dicitur, qui natura sua sanctus est, plenus gratiæ & veritatis, qui vt filius hominis in cœlo est, adoratur, iudex omnium constitutus est, &c. non libet omnia commemorate, quæ tu melius quam ego nosti; hunc ego pro adoptiuo, & pro eo qui ex gratia assumptus est, nullo modo habere possum, sed in

Ioh.9.6.
Matth.16.
Marc.15.
Ioh.1.11.
20.
1.Ioh.5.

carne

carne eius non modo cum illis quos tu nominas, quos quidem æstimo & iudico secundum illa dona quæ à Deo acceperunt, sed etiam cum Domino Musculo Matth. 17. & plæriſq; veteribus, aliquid diuinitatis & gratiæ naturaliter in luce & fide Christi comprehendo, cuius respectu Iesum ego credo filium Dei in eadem carne esse naturalem, quod facile intelliges, si Adæ virtutes etiam ante lapsum cum Christi virtutibus, cui vt homini ipsa sanctimonia, iustitia, gratia, & veritas Dei insunt naturaliter, conferas, qui filius Dei est, idem mihi filius hominis est, & qui filius hominis est, idem mihi filius Dei est. Plura cuperem in hanc rem ad te scribere, & argumenta tua exactius examinare, sed otium mihi modo non est: Faciunt nobis alij negotium, qui non calamo & atramento, sed gladio & sanguine disputant. Quare ardentius nos mutuo amare debemus, qui eidem cruci ob eundem Dominum obnoxij sumus, et-

iamsi non paris intelligētię & gratiæ participes facti sumus. Deus meum animum nouit, & quid quæram: idem de te sentio: quare quod tu pro me facis in precibus tuis, idem ego pro omnibus vobis. Hæc obiter indicare tibi volui, ad præsentiam & aduentum eius viri cum quo tuto literas meas mittere potui. Bene vale honorande Domine. Vxor mea quam officiosissime te resalutat, XXVI Augusti. MDLXX.

Tuus ex animo

AGGÆVS ALBADA.

LXXXIX.

Amplissimo viro D. Aggæo Albadæ Iurisconsulto & adsessori in camera Imperiali, Spiræ Nemetum.

Theologic. De veritate corporis Christi.

REddita est mihi hodie tua epistola, vir clarissime, quæ me certe hoc nomine mirificè oblectauit, quod

quod viderem meam παῤῥησίαν tibi non ingratam fuisse. Videas enim hodie plerosque, qui omnino nolunt sibi contradici, maluntque alieno præjudicio errare, quam ipsam rerum veritatem inuestigando discere. Itaque paucis respondebo ad tuam epistolam, confisus eadem animi æquitate hæc te interpretaturum qua es interpretatus superiora. Equidem vel ego admirabiliter hallucinor, vel tu semper in eodem luto hæres. Dicis tu quidem, esse rerum pondera, non verborum aucupia quæ per epistolam apud me deponis. Sed observa quæso tumet ipse. Nec enim te ipsum, si paullulum esses iam imbibitæ opinionis præjudicio leuatus, nostræ controuersiæ iudicem facere dubitarem: tantum ego tuæ, tum pietati, tum doctrinæ atque acumini ingenij tribuo. Sed tamen vide an non iterum ad eundem offenderis lapidem, Quæstus sum tecum in mea priori epistola, vos quoties de naturarum

distinctione agitur, toties ad personæ descriptionem atque ἰδιώματα recurrere. ac propterea semper inculcare, TOTVS CHRISTVS EST DEI FILIVS. Item, TOTVS CHRISTVS EST PATRI ÆQVALIS, &c. diserteque asserui à nemine nostrum id negari, tantum distingui vtrius naturæ ratione ac respectu tota persona id habeat. Tu tamen hîc iterum inculcas, eum quem pater filium suum nominat, quẽ Paulus primogenitum ex mortuis dicit, Thomas dominum & Deum suum confitetur, Petrus Dominum & Christum factum ait, eum tibi non posse persuaderi, per gratiam in filium assumptum esse. Eadem deinde multis verbis amplificas, quæ tamen omnia eodem referuntur. Hîc tu quæso, per ipsum Iesum Christum de quo nobis est dissertatio, paulisper te collige. Et cedo mihi locum ex scriptura aliquem, in quo secundum naturam humanam dicatur, Christus esse naturaliter Dei filius

lius, in quo natura humana distinctè considerata, vel Deus, vel ex Deo genita, vel splendor gloriæ & character substantiæ patris esse perhibeatur, vel denique sui ratione, ac respectu omnia verbo potentiæ sustinere. Scio equidem à multis proprietatibus quas Christo tribuis, humanam naturam excludi nequaquam posse. Sed primum quidem id pace dicam tua, multa hîc à te esse, neque satis sincerè, neque satis distinctè coacervata. Nam, quid dicis splendorem gloriæ & characterem substantię patris Christum factum esse, quis tibi Orthodoxus dabit? Apostolus inquit, ὁ ὢν ἀπαύγασμα τ δόξης καὶ χαρακτὴρ τ ὑποστάσεως αὐτ, &c. non autem ὁ γενόμενος ἀπαύγασμα, quemadmodum Paulus eum γενόμενον ἐκ γυναικὸς & γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κ σάρκα. Nec enim tibi potest esse ignotũ discrimen inter εἶναι & γενέσθ, quippe qui minime ignoras, quantopere contra Arianos desudarint Patres, vt discrimen illud distinctè

enuclearent. Deinde, quod ad naturalem generationem refers, Ego hodie genui te, nescio quam distinctè facias. Scio quidem Patrum plerosque hoc ad æternam generationem retulisse, quod etiam si factum esset optime, nihil te tamen iuuaret, qui in carnis ac naturæ humanæ non æterna sed in tempore facta creatione nobiscum dissentias. Sed sanè haud conuenit illi cum Apostolis, qui potius ad declarationem seu manifestationem, qua in resurrectione ipse se filium esse Dei, ab æterno genitum manifestauit. Possem alia nonnulla producta à te testimonia eodem modo examinare, sed malo ad rem ipsam venire, teque rogare quam possum obnixissimè, vt semel in vniuersum memineris, minime nos inficiari, Christum esse Dei filium naturalissimum, essentia, maiestate, æternitate Patri penitus æqualem, ac vero etiam totum Christum constantem ex vtraq; natura, & humana & diuina. Itaque non

est

est necesse vt producas eiusmodi testimonia, quibus id euincas, quod nos tibi damus quàm libentissime. Fatemur enim Christum vtraque natura constantem naturaliter à Patre genitum ab æterno, splendoremque esse gloriæ, & characterem substantiæ paternę, omnia verbo potentiæ suæ sustinere, &c. Sed si queritur, an secundum humanam naturam omnia per eum condita sint, omnino asseueramus, humanam naturam in tempore factam, creatam, & per gratiam in vnionem diuinæ naturæ, communionemque vnius personæ assumtam fuisse. Esse enim humanam Christi naturam vere humanam, non diuinam, quo ad essentiam attinet, genitam ex humana virginis, non ex diuina Patris substantia, creatam ex nihilo, seu potius ex carne, quæ ex nihilo atque ex terra semel ex nihilo creata sumta erat. Hoc si tu potes falsum esse scriptura teste conuincere, ego libenter tibi cedam, & verò etiam magnas

agam gratias. Sed si tu quum de altera natura disputatur, non desinis congerere testimonia, quæ vel de altera quæ non vertitur in controuersiam, vel certe de vtraque simul differunt, profecto nihil nisi actum agis, neq; ad rem venis, sed penitus quod aiunt vagaris extra oleas. Et vide quæso quorsum hæc spectent.

Tu si inculces.	Arianus aliquis contra inculcabit.
1 Pater vocat Christum filium suum naturalem, & inquit, filius meus es tu, ego hodie genui te.	1 *Spiritus S. vocat Christum filium hominis, hominem naturalem, Adamum, Adami filium: Dauidis filium, stirpem Isai, fructum lumborum, excitatum ex lumbis Dauidis, factum ex muliere, factum ex semine.*
2 Paulus vocat eum primogenitum ex mortuis.	2 *Matth. vocat eum primogenitū filium Mariæ.*
3 Thomas compellat eum Deum ac Dominum suum.	3 *Ipse se compellat, hominem, & filium hominis. Imo vero vermem*

mem & non hominem.

4 Ioannes verũ Deum & vitam æternam.

4 *Tota Scriptura clamat esse hominem, & vero etiam hominem morti atque omnibus humanis calamitatibus obnoxium.*

5 Petrus Dominum & Christum factũ esse ait.

5 *Iesaias seruum Domini esse ait, & ipse se Patre esse minorem confitetur.*

Hæc vos si ad rauim vsque contendatis, sane vtrique verum pronuntiabitis, vtriq; nihil nisi verbum Dei proferetis. Et omnes profecto orthodoxi in vestram vtrorumque sententiam pedibus libenter ibunt. Sed si Arianus inde concludat, Christum secundum vtramque naturam esse creaturam, ac hominis filium, non autem Dei filium ab æterno secundum naturam diuinam, neque Deo ac Domino æqualem, sed minorem esse nobis velit persuadere, nemo profecto nostrum est, qui non ei reclamet, & à veritatis orbita eum

quàm

quàm longissime aberrare asseueret. Ita si vos ex illis vestris axiomatibus, quæ quidem de Christi persona verissime dicuntur, velitis conficere, etiam humanam naturam Christi, vel Christum secundum humanam naturam esse ab æterno Deum, Dei filium, ex Dei essentia natum, Deo Patri æqualem, sane non modo nos, sed ipsum Spiritum S. in Scriptura sacra habebitis reclamantem. Nam quod ad gloriam attinet, ac maiestatis splendorem, facile nos quidem concedimus eius esse participem naturam humanam, sed non ex naturæ humanæ proprietate, sed ex gratiæ ac muneris liberalitate id ei euenire testatur Paulus, qui dicit ei datum esse nomen supra omne nomen, & id quidem à Patre. Nec vero etiam simpliciter inquit ἐδωκεν αὐτῷ ὄνομα, sed ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα, quod quale sit, tu, qui in Scriptura es exercitatissimus non potes ignorare. Est igitur χάρις τοῦ non φύσεως, quod in eam maiestatis

tis dignitatem secundum humanam naturam sublatus est Christus. Alibi inquit Angelus, καὶ δώσει αὐτῷ κύριος ὁ θεὸς τὸν θρόνον Δαυὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Ipse Dominus, quum in medio proponit seruum suum, Dauid ei sobolem pollicetur, ferè gratiæ suæ atque electionis mentionem facit: vt sciamus, quod Dauidis semen, seu Mariæ proles filius Dei fuit, id nõ ex naturæ proprietate, propterea quod semen illud Deus esset, vel ex Dei essentia factum: sed propterea quod spiritus sancti vi & gratia, Deique æterna electione semen illud cum ipso Deo in vnam personam verè, personaliter, atque indiuiduè coniunctum esset: Atque hinc est, quod Ecclesiæ lumen illud Augustinus, quem hac parte secutus est Bernardus ait; Electionis fontem ac speculum lucidissimum, in Christi humana natura refulgere. Potuit enim Deus aliud semen eligere, si ita ab æterno ei placuisset: sed quia ab æterno decreuerat, filium suum efficere

ficere eum qui ex lumbis Dauidis erat excitandus, ideo hic vnus ab eo electus fuit, atque huic vni ac soli ius illud ac dignitatem concessit. Nec tamen hoc ita velim à te accipi, quasi nos non aliam gratiam aut dignitatem in Christo imaginemur, quod ad humanam eius naturam attinet, atque in alio quouis homine, vel etiam in Adamo ante lapsum, nec enim hominum vllus vnquam fuit, eritve cum Dei filio atque τῷ λόγῳ in vnam hypostasin indiuiduo nexu copulatus, nemoque vel est, vel fuit, vel vnquam erit, præter vnum Christum in quo ϑεότης πᾶν τὸ πλήρωμα σωματικῶς ἄν κατοικήσῃ. Itaque si quis eum velit etiam secundum humanam naturam appellare naturalem filium Dei, respectu nostri, qui tantum sumus adoptiui, & longe certe alia ratione, omnino non repugnabimus, modò id fiat ratione vnionis hypostaticæ naturæ humanæ cum diuina, & non ratione proprietatis humanæ naturæ, aut gene-

generationis per ſeſe, abſitque omnis imaginatio æternæ, diuinæque, atque eſſentialis ex Dei eſſentia generationis carnis Chriſti. Caro enim Chriſti ex Maria eſt, ex Adamo eſt, ac denique ex terra eſt. Quod ſi mihi non credis, crede Athanaſio, ita apud Epiphanium contra τοῦς διμοιρίτας diſſerenti, ὥρα γὰρ εἰπεῖν ὑμᾶς φανερῶς ἐκ γῆς αὐτὸν γεγένησθαι ἐκ γῆς γὰρ ἡ τῶν ὀστέων καὶ ὅλου τοῦ σώματος φύσις. Et paulò poſt: ἀνθρώπινον ἄρα φύσει τὸ ἐκ Μαρίας κατὰ τᾶς θείας γραφὰς καὶ ἀληθινὸν σῶμα τοῦ σωτῆρος· ἀληθινὸν δὲ ἦν ἐπειδὴ ταύτον ἦν ἐν τῷ ἡμετέρῳ. ἀδελφὴ γὰρ ἡμῶν ἡ Μαρία ἐπεὶ καὶ πάντες ἐκ τοῦ Ἀδὰμ ἐσμὲν. Et mox: ἀπὸ θνήτου γέγονεν ἀθάνατον, καὶ ψυχικὸν γέγονε πνευματικόν καὶ ἐκ γῆς γενόμενον τὰς οὐρανίους διέβη πύλας, &c. Crede Tertulliano qui libro De carne Chriſti aperte oſtendit, multiſque argumentis confirmat, carnis Chriſti ſubſtantiæ originem fuiſſe terrenam, & mox in hanc vocem prorumpit.

Adeo

Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis, tacentibus apud vos quoque prophetis, de ignobili affectu eius ipsæ passiones ipsæque contumeliæ loquuntur. Et mox: *Quid dicis cœlestem carnem quam vnde cœlestem intelligas, non habes? Quid terrenam negas, quam vnde terrenam agnoscas, habes?* &c. Et postea, *Igitur si primus Adam terra traditur, merito sequens vel nouissimus Adam, vt Apostolus dixit, proinde de terra, id est, carne non generationi resignata in spiritum viuificantem à Deo est prolatus*, &c. Crede denique vniuersæ antiquitati quæ apertè clamat, Christum secundum humanam naturam ex virgine, ex Adamo, ex terra, ac denique ex nihilo creatum esse, ortumq; suum, ac natiuitatem accepisse. *Nam*, quemadmodũ ait Fulgentius, *genitus est, & fundatus secundum quod de Domino inenarrabiliter natus est Dominus, creatus autem secundum humanam generationem, qua de ancilla natus est seruus: vt quem ante omnia sæcula pater genuit ex natura, pro*

nostra

nostra salute generaret ex gratia, sic quemadmodum præclare scriptum est ab Augustino, ille omnium spirituum ac corporum, id est, omnium naturarum creator, & Dominus creauit virginem, creandus ex virgine, & cuius ipse factor est, matrem sibi fecit, quando de eius carne concipiendus atque pariendus, veram materiam carnis Deus immensus ac sempiternus accepit: Vt & secundum veritatem formæ seruilis, Deus homo misericorditer fieret, & secundum formam Dei, naturali veritate, idem Deus homo permanens, non careret. Sic igitur Christum Dei filium, id est, vnam ex trinitate personam, Deum verum crede, vt diuinitatem eius de natura Patris esse natam non dubites: Et sic eum verum hominem crede, vt eius carnem non cœlestis, non aëreæ, non alterius cuiusquam putes esse naturæ, sed eius cuius est omnium hominum caro, id est, quam Deus homini primo de terra plasmauit, & cæteris hominibus plasmat, quos per propagationem ex hominibus creat. Hactenus Augustinus; cui ad amussim assentitur Concilium Laodi-

cense, omnesque qui in eo fuerunt patres, quemadmodum integris voluminibus à Leone Episcopo, à Flauiano, à Theodoreto, aliisque infinitis probatū est. Quid, quod ipsum Athanasij symbolum disertis verbis hoc vtriusque originis discrimen profitetur? inquiens, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος θεὸς ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς πρὸ αἰώνων γεννηθεὶς, καὶ ἄνθρωπος ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς ἐν τῷ αἰῶνι τεχθείς, τέλειος θεὸς, καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑφιστάμενος, ἴσος τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττων τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, &c. Possem eiusmodi infinita ex Patribus congerere, sed nihil est necesse, quando vel ex sola scriptura satis constat, diuersam esse originem humanitatis Christi atque diuinitatis: illam esse ex Adamo, ex terra, atque ex nihilo creatam, hanc esse ex ipsa infinita æterna atque immensa Dei essentia, ab æterno ante omnia secula genitam. Sed hîc tu fortasse dices de glorificata iam carne non de nata primum te agere.

Videris

Videris enim, quantum ego certe ex tua epistola possum conijcere, hæc inter se aliquando confundere, dum ais, *glorificatum esse gloria patris & verbi, dum primogenitum ex mortuis nominas, dum sedere ad dextram Patris profers, dum gloria & honore coronatũ asseueras*: aliaq; eiusmodi quæ ad nostræ controuersiæ statum nihil plane faciũt multa producis. Debebas enim, pace tua dixerim, meminisse, quod ego te iam etiam velim habere præ oculis, disputare nos de origine, seu ortu ac natiuitate vtriusq; naturę: filium enim esse naturalẽ seu naturaliter, nihil est aliud, quam naturã seu nascicurã, si ita loqui licet, ac originẽ ab aliquo essentialiter accipere. Quare si filius est Christus naturaliter Dei patris, secundum humanam naturam, necesse est fatearis humanam naturam genitam, ortam, natam ex æterna, infinita, immensa & creatrice essentia Dei patris, ac proinde esse æternã, infinitam, & creatricem. Itaque virginis partum in

phantasma nobis conuertas necessum est, vel ipsam rerum veritatem euertas. Tota scriptura, & omnes patres perpetuò vrgent, secundum divinam naturam natũ esse ex Deo, vel natum esse Dei, seu filium esse Dei γέννημα καὶ υἱὸν τοῦ θεοῦ, ac proinde πλέον θεὸν. Secundum humanam autem naturam, esse ex Maria, ac esse γέννημα καὶ υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ac proinde πλέον ἄνθρωπον. Tu, si asseueras secundum vtramque naturam esse Dei naturalem filium, id est, ex Dei essentia natum, oportet etiam addas secundum vtramque naturam esse πλέον θεὸν, ac proinde, secundum neutram naturam erit πλεῖον ἄνθρωπος, nisi forte tu naturalis filij nobis aliam definitionem trades quam ipsa natura, ratio, scriptura, ac rerum veritas manifeste proponit. Hîc si tu te iterum ad gloriam ac maiestatem acceptam conuertis, nihil agimus: Quærimus enim de origine, natiuitate, natura, filiatione, vt liceat ita loqui. Quare hoc necessario

sario efficimus, Christum vel secundum vtramque naturam Dei esse filium, vel secundum alteram esse filium Dei, alteram autem filium hominis, vel denique secundum neutram esse filium Dei. Hoc postremum ab vtrisque nostrum explodituer: vide igitur an velis tueri Christum secundum vtramque naturam esse naturalem filium Dei. Quod si pergas asseuerare, aut tu nos doce filium esse naturaliter, aliud significare, quam ex alicuius essentia natum ortumque esse, aut nos ex tuo sermone conficiemus, te humanam naturam, humanam γένεσιν, ortum, ac filiationem pernegare. Ego enim, ita sum ingenio simplici, vt aliud intelligere non valeam. Nec enim video tertium aliquid. Nisi fortasse voles dicere, humanam naturam partim quidem esse natam ex Dei essentia, partim ex hominis, atque ita in Apolinaris laqueos te irretire, quos ita manifeste dissoluit, ille, quem tu laudas Epiphanius, vt ego

cum vnum noſtræ controuerſiæ iudicem eſſe facile patiar. Dicigitur, ſi partim eſt humana natura ex Dei, partim ex hominis eſſentia nata, quæ pars erit Dei, quæ hominis? An fortaſſe, anima erit ex Deo nata, corpus autem ex homine? Credo, non dices: ſaltem, ſi quicquam credis Epiphanio, alioqui enim neceſſe eſt, dicas animam Chriſti nullis doloribus, nullis anxietatibus fuiſſe obnoxiam, atque ita rurſus Marcionis phantaſma nobis introduces. An fortaſſe tum anima, tum corpus, partim ex Deo, partim ex homine nata ſunt? vt ſcilicet fuerit Dei ſubſtantia loco Patris, hominis autem ſubſtantiæ matris vicem ſubiecit? Hæc ego ſane non poſſum mihi perſuadere te dicturum, cum ego ad tantæ impietatis atque abſurditatis cogitationem exhorream. Ita enim fiet Chriſtus neque πλήρης θεὸς, neque πλήρης ἄνθρωπος. Ita quod ex Dei ſubſtantia, natum ortumque erit, id non erit immenſum, non erit ſempiternum,

piternum, non erit spiritus, non erit denique creator. Sane quicquid generat, id sibi simile generat, & quicquid generatur, id substantia simile est ei, cui generatur. Hoc enim est non modo naturæ inuictum axioma, sed etiam Catholicæ fidei, quam contra Arianos Patres orthodoxi tutati sunt firmissimum propugnaculum. Itaque, si humana Christi natura, vel tantula sui parte ex Deo, Deique essentia est generata, erit profecto Dei essentiæ, sua essentia similis, si nō per omnia, at certe hactenus, quoad ex patris essentia genita est. Itaque, non erit Christus integre ac πλεώς passus, non erit integre mortuus, ac proinde, non erit integre seruator, non erit θνητὸς τῇ σαρκὶ quemadmodum Petrus docet, sed tantum τὸ σαρκὸς τίνι μέρει, nisi forte diuinitatem, seu divinam essentiam statuis & passam, & mortuam, quod non modo est absurdum, sed penitus impium. Præclare enim Epiphanius eo ipso loco ad quem

tu ſoles prouocare, παθητὸς, inquit, ἡμῖν κηρύττεται χριστὸς, καὶ πιστεύεται οὐ καθ' ἑαυτὸν παθὼν, οὐδ' ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ πεπονθὼς, καὶ ἄλλος ὁ κύριος, οὐδὲ ὅτι ἡ πέπονθεν: ἀλλὰ πέπονθε μὲν ὁ κύριος Ἰεσοῦς Χριστὸς, τῆς θεότητος ἀπέθανε μενούσης. εἰ γὰρ ἀπέθανε Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ὄντως ἀπέθανεν, οὐκ ἡ θεότης ἀπέθανεν, ἀλλὰ ἀπέθανεν ἐν σαρκὶ, κατὰ τὸ εἰρημένον, θανατωθεὶς σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι, καὶ πάλιν Χριστοῦ παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν σαρκὶ, θαυμαστῶς ἡμῖν ὁμολόγηται πεπονθὼς ἐν ἀληθείᾳ τῆς θεότητος μὴ παθούσης διὰ τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀπαθὲς καὶ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ. παθούσης δὲ τῆς σαρκὸς καὶ οὐ μεριστείσης θεότητος ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας καὶ τῷ πάθει, &c. Viden' igitur quicquid in Chriſto paſſum eſt quicquid mortuum eſt, non conſtare natura ἀτρέπτῳ, ἀπαθεῖ, καὶ τῷ πατρὶ ὁμοουσίῳ? Atqui carnem vninerſam, integram, omnibuſq; ſuis partibus conſtantem paſſam eſſe, inter omnes Chriſtianos eſt indubitatum. Quare non poteſt eius caro vlla ſui parte eſſe ἀπαθὴς, ἄτρεπτος, καὶ πατρὶ ὁμοούσιος. Non eſt igitur vlla ſui parte ex patris

tris Dei essentia nata. Quod igitur quidã ex iis, qui se Swencfeldianos profitentur, existimant, Patris Dei essentiam id contulisse ad humanæ naturæ propagationem in Christo, quod solet conferre terreni Patris semen, ita est absurdum atque impium (da quæso veniam, pro rei dignitate loquenti quod sentio) vt non egeat refutatione. Eo enim dogmate omne salutis nostræ fundamentum penitus euertitur, quum à Christi corpore atque anima ipsa humanitas tollitur, & in eius locum diuinum semen, seu diuina essentia substituitur. Omitto, quod hac ratione ipsa diuinitatis maiestas penitus conuellitur: ita enim statuetur Deus aliquis in tempore creatus, factusue, qui ab æterno Deus non fuerit; sed in vtero Mariæ esse cœperit. Quibus quid potest cogitari magis vel impium vel absurdum? & tamen necesse est, huc prolabatur quisquis cum vniuersa scriptura ac primitiua Ecclesia vnicum illum τὸν

λόγον, ab æterno à Patre genitum in vtero virginis, ex ipsa virginis substantia, & carne penitus humana, ac nihil habens ex sese aut in sese essentiæ diuinæ, corpus sibi humanum tota essentię origine assumpsisse non confitetur. Sed quemadmodum apud Epiphanium loquitur Athanasius, βουλόμενος σοφιστικῶς τῷ Χριστῷ χαρίσαι, imaginatur τὸν λόγον ab æterno genitum vnitum esse homini, seu humanæ naturæ, quæ sit ipsa ex Dei essentia genita, atque ita vel duos sibi ex Dei essentia genitos fingit, vel certe τὸν λόγον εἰς σάρκα τραπέντα: ac proinde τὸν λόγον καὶ θνητὸν καὶ παθητὸν καὶ τρεπτὸν sibi somniat. Quæ sanè à pietate Christiana penitus abhorrēt: quemadmodum præter vniuersam Scripturam etiam omnis antiquitas, & maxime quem tu laudas Epiphanius abunde docet. Quod itaque tu illum à te facere existimas, pace tua dixerim, longe falleris: quod vt intelligas perlege quæso diligenter totum illud caput quo διμοιρίτας confutat.

futat. Comperies profecto eum nobiscum ad amussim consentire in distinctione naturarum Christi. Nam quod ad corporis eius trāsformationem attinet, quam tu ex eo videris velle stabilire, dabitur fortasse alias agendi locus. Primum velim in generatione seu filiatione carnis Christi nos consentire. Quod tu me hortaris ad legendum librum Reuchlini de verbo Dei mirifico, ego certè tibi verum fatebor, semper mihi vehementer displicuisse inanem illam & ventosam in characteribus ac syllabis literulisque aucupandis philosophiam, in qua versatur totus Reuchlini liber. Video enim eiusmodi speculationes ad ostentationem potius quàm ad ædificationem compositas multos bonos viros ab Euangelij simplicitate & Apostolica fidei veritate abduxisse, effecisseque vt dum suo sensu abundantes vana mysteria consectantur, & vt inquit Paulus, ἃ μὴ ἑώρακαν ἐμβατεύοντας, εἰκῇ φυσιούμενοι, ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτῶν,

τῶν, à capite Christo excidant, & ex vno errore in alium prolabantur. Quid enim sunt aliud Iudaica & Platonica mysteria, quam inania magorum deliramenta, ab euangelij veritate ac simplicitate quam alieniſſima? Admiratur ipse sese in eo libro Reuchlinus, admiraturque suum Sidonium & Baruchiam, homines admirabilis acuminis qui ex philosophia Platonica atque Ægyptiaca, & simul ex characterum ac syllabarum notulis mirifica aucupantur mysteria. At ego profecto hæc omnia nihili faciens σὺν ἐκεῖνα εἰδέναι τι εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον, & ipse te etiam, vir clariſſime, quantum possum ex animo hortor pro nostra amicitia, vt eiusmodi στοιχεῖα τοῦ κόσμου καὶ παραδόσεις τῶν ἀνθρώπων καὶ κενὴν ἀπάτην τῆς φιλοσοφίας deserens, Christum Iesum Dominum non ex Platone aut Platonicis sectatoribus, non ex Iudaicis aut Thalmudicis mysterijs, neque ex prophanis Philosophis, sed ex ipsis ac solis

Aposto-

Apostolorum ac Prophetarum fontibus, omnino qualis nobis proponitur discas agnoscere. Metuo enim, vt verum fatear, ne te hoc philosophiæ Platonicæ studium quo animaduerti te delectari ab Euangelij simplicitate ac vera naturarũ Christi cognitione abduxerit. Quamquam interea ingenue fateor, me nihil posse videre in Reuchlino, quod contra nos faciat. Et vero etiam plane statuere, illum hac in parte nobiscum perpulcre consentire: licet enim pauciſſima reperiã de Christi incarnatione, hoc certe aperte tradit, quod sexus fœmineus absque concubitu; *sine viri complexibus, sed Deo solo non faciente modo, sed etiam creante virum perfectum in vtero gessit*, &c. Ex quo euincitur, eum agnoscere Christum secundum humanam naturam non esse ex Dei essentia genitum: ac proinde Dei naturalem filium, sed factum creatumq;, præsertim cum capite superiori docuisset, *Patrem nihil esse aliud, quam*

eum

eum qui essendi secundum similem sibi-ipsi naturam initium præbuit: filium autem qui natiuè ab altero essendi originem sumsit: & paullo post tradidisset, gigni, *hoc esse scilicet, ex substantia generantis produci genitum secundum naturam simile*; Ex quo sane perspicue efficitur, vel Christi humanam naturam nõ esse à Patre Deo genitam, neque Patrem esse Chtisti Patrem naturalem quoad humanæ naturæ generationem attinet, vel certe, humanam Christi naturam non esse humanam naturam, sed diuinam, nisi forte Deum Patrem humana natura atq; essentia constare velimus confiteri. De Amelio cum eius opera neque habeam neque legerim, nihil possum dicere: nisi quod facile res ipsa, ac iustum Dei iudicium in Porphyrio & Origene cõprobarit, quam periculosa sit eorum temeritas, qui simpliciſſimam Christi sapientiam, Platonicæ philosophiæ decretis non verentur permiscere. Itaque iterum te, etsi me longe prudentiorem,

tiorem, tamen pro mea in te beneuolentia rogatum summo studio velim, vt ab eiusmodi philosophorum speculationibus ad Euangelicam simplicitatem potius totum te conferas, ne fortasse idem tibi quod eorum plærisque vsueniat. Etenim nimis multa intelligendo, tandem nihil intelligunt, & dum omnia sui ingenij acumine perscrutari volunt, à Christo ipso, vnica Dei sapientia, excidunt. Quanquam si quicquam intelligo, hæc ipsa, quæ à te ex Amelio laudantur, mihi certe videntur plena esse prophanæ ac gentilis impietatis: vt enim omittam, quod νὴ διὰ iurat, quod Ioannem Apostolum τὸν βάρβαρον nominat: non video profecto quomodo id cum Christiana pietate consonet, quod ait τὸν λόγον εἰς τὰ σώματα πίπτειν, καὶ σάρκα ἐνδυσάμενον φαντάζεσθαι ἄνθρωπον, καὶ ἐναλυθέντα πάλιν ἀποθεοῦσθαι, καὶ θεὸν εἶναι οὕτω καὶ εἰς τὸ σῶμα καὶ τὴν σάρκα καὶ τὸν ἄνθρωπον καταχθῆναι. Hæc enim mihi non de Christi Iesu incarnatione videntur, &c. sed

de

de nescio qua imaginaria ἔ λόγε εἰς τὰ ζώματα τ ἀνθρώπων infusione, ex qua prophanæ illæ hominum fanaticorum ἀποθεώσεις emanarunt. Tametsi profecto nolo quicquam hac in re statuere, cum eius libros nunquam legerim. At certe tamen, non possum diffiteri, eiusmodi Philosophiam mihi vehementer esse suspectam, & à simplicissima Euangelij veritate procul videri aberrare. Itaque sunt profectò alia argumentorum pondera proferenda, si me in tuam sententiam vis ire. Quod autem subnectis. *Quærimus enim quis, & quid sit Christus, non communicatione tantum, sed in se, & sui natura:* Sphingis mihi videtur esse αἴνιγμα. Quid enim id sibi velit, esse aliquid Christum communicatione, plane non possum intelligere: Neminem etiam scio, qui ita locutus hactenus fuerit. Nec enim quisquam nostrum vnquam dixit, Christum esse communicatione Deum, aut Dei filium; sed ipsa rei veritate, verum esse Deum,

Deum, ac æternũ Dei filium omnes profitemur. Communicationis autem vocabulum ad proprietatum naturalium descriptionem explicationemq; referimus. Quoties enim quod vni soli naturæ proprium est, id vel alteri naturæ, vel certæ personæ ex vtraque natura constanti attribuitur, toties id dicimus fieri per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, vt quum dicitur Deus sanguine suo ecclesiam liberasse, & Dominus gloriæ esse crucifixus: quis enim nescit, neque Dei naturam habere sanguinem, neque essentiam illam æternam Domini gloriæ cruci affigi posse? Christum autem ipsum esse vel Deum, vel Dei filium, vel æternum creatorem communicatione tantum, non sui natura nemo vnquam nostrum somniauit. Quanquam quid est quæso, quod ais in se, & sui natura? Sane necesse est, vt in Christo vel duas esse naturas nobiscum fatearis, vel cum Nestorio aut Eutyche alteram naturam tollas. Hic ego velim te libere

tuam mentem eloqui. Agnoscas ne in Christo, duas naturas, nec ne? Si agnoscis, vtrum eas τελείας, atque integras, & originis natiuitate, & essentiæ natura confitearis? Ego enim non possum intelligere, quorsum illa tua testimonia spectare possint. *Qui credit Iesum esse Christum, eum esse natum ex Deo: Neminem posse dicere Iesum Dominum, nisi in spiritu sancto: neminem nosse nomen eius, nisi qui illud acceperit*, aliaque eiusmodi quæ tu hîc congeris. Quin tu potius ad rem venis & categorice respondes, an duas in Christo diuersas, & origine, & essentia naturas agnoscas? an eum fatearis γενόμενον quidem ἐκ σπέρματος Δαβίδ κατὰ σάρκα, ἄνθρωπον καὶ υἱὸν ἀνθρώπου; καὶ υἱὸν Μαρίας, καὶ ἐκ κάρπου τῆς ὀσφύος τοῦ Δαβίδ τὸ κατὰ σάρκα, ἀναστάντα ἐκ ἀπὸ σπέρματος αὐτοῦ κατ' ἐπαγγελίαν ἐγερθέντα, καὶ παραπλησίως τῆς σαρκὸς ἐκ τοῦ αἵματος τῶν παιδίων μετασχόντα, καὶ σαρκὶ μὲν θανατωθέντα, τῷ δὲ πνεύματι ζωοποιηθέντα, καὶ κατὰ πνεῦμα ἁγιοσύνης ὁρισθέντα υἱὸν θεοῦ, καὶ λόγον ὃς ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεὸν, δι' ὃν πάντα ἐγένετο

Rom. 1. vers. 3. Act. 2. vers. 30. Act. 13. vers. 13. Hebr. 2. vers. 14. 1. Pet. 3. vers. 10. Rom. 1. vers. 4. Iohan. 1. vers. 3.

τα ἐγένετο καὶ χωρὶς οὗ ἐγένετο οὐδὲν ὃ γέγονεν. An verò existimes, καὶ σαρκὶ καὶ πνεύματι ἐναρχῇ γεγονέναι, καὶ σαρκὶ καὶ πνεύματι πάντα ποιῆσαι, καὶ σαρκὶ καὶ πνεύματι σπέρμα Δαβὶδ εἶναι, καὶ σαρκὶ καὶ πνεύματι, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς εἶναι. In hac enim quæstione, versatur omnis cardo nostræ disputationis. Quòd verò ne hoc κρινόμενον videaris prorsus dissimulare, in tua epistola adijcis, *sed & in statu carnis suæ, in quo argumẽta tua potissimum versantur, eum, qui ex spiritu S. conceptus qui ex virgine natus est, qui Immanuel, qui toties filius patris indistinctè dicitur, qui natura sua sanctus est, plenus gratiæ & veritatis, qui, vt filius hominis in cœlo est, adoratur, Iudex omnium constitutus est,* non video quomodo te absoluat, quin potius mihi videris magis ac magis te inuoluere. Quorsum enim gratia? quorsum veritas? quorsum sanctitas? vbi de origine, non de dotibus ac sanctificatione naturæ humanæ disputatur? quorsum etiam attinet qaæ ad personam integram spectant, & ad officium me-

diatoris quod ex duabus naturis indiuidue coniunctis constat, vbi de altera tantum natura, non de persona est quæstio, quem ais indistincte dici filium patris, cur non attendis, eundem indistincte dici filium hominis, ac filium Mariæ? An tu propterea conficies, τὸν λόγον naturam atque essentiam, ex naturæ essentia desumptam esse? Vides quam absurdæ sint eiusmodi ratiocinationes. Exposui enim in superiori mea epistola, indistincte quidem multa tribui toti personæ, quę tamen alteri naturæ indistincte non possunt conuenire, quod si non vis fateri, responde quæso categoricè, atque vno verbo vel aias, vel neges, vtrum Christus indistincte non possit dici ab æterno à patre genitus, & rerum omnium cum patre creator? & si fateberis, vti sat scio, responde, vtrum propterea, humana Christi natura, ab æterno à patre fuerit genita, rerumque omnium cum patre creatrix rectè censeatur? Sed vrges tamen in

ſtatu carnis, id eſt, quantum ego poſſum intelligere, reſpectu ac ratione carnis eſſe conceptum ex ſpiritu S. Fateor. An vero, propterea erit filius ſpiritus ſancti? credo non dices. Non eſt igitur ex ſubſtantia ſpiritus ſancti genitus, ac proinde conceptio ex ſpiritu ſancto nihil facit ad naturalem (vt ita dicam) ex patre filiationem. Sed malo Auguſtini verbis iſthæc quam meis explicari. Is in Enchiridio ad Laurentium capite 38. quærit, An quia Chriſtus ex ſpiritu ſancto conceptus eſt, ideo ſpiritus ſancti filius queat nuncupari, quaſi cum ſpiritus S. tanquam pater eius de matre virgine gemiſſet? *Quis hoc*, inquit, *dicere audebit? nec opus eſt oſtendere diſputando quanta alia ſequantur abſurda, cum hoc ipſum iam ita ſit abſurdum, vt nullæ fideles aures id valeãt ſuſtinere.* Paulo poſt iterum ſubijcit: *Hunc ergo fateamur natum de ſpiritu S. & Maria virgine. Quomodo autem non ſit filius ſpiritus S. & ſit filius virginis Mariæ, cũ & de illo, & de illa natus ſit, explicare*

difficile est: proculdubio quippe non sic de illo, vt de patre, sic autem de illa vt de matre natus est. Et tandem ita concludit: *Profectò modus iste, quo natus est Christus de spiritu S. non sicut filius, de Mariæ virgine sicut Filius, insinuat nobis gratiã Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei, ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere. Quæ gratia propterea per spiritum S. fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, vt dicatur etiam Dei Domino*, &c. Quibus Augustini verbis, omnis nostra controuersia facile componetur, si te tanto viro docilem præbere non dedigneris. Docet enim hîc primum quidem conceptionem ex spiritu S. non innuere generationem essentialem seu naturalem, alioqui necesse fuerit non corpus, sed spiritum, non

non creaturam, sed creatricem, non in tempore natam, sed ab æterno genitam fuisse humanam Christi naturam: sed indicare vim illam ac gratiam supercœlestem Spiritus sancti, qua ὁ λόγος cum hmana natura indiuiduo nexu ab ipso conceptionis momento fuerit copulatus, qua per spiritum S. ab omni peccato immunis facta fuerit caro, cui se ὁ λόγος iunxit, qua deniq; illa ipsa caro sine viri semine ex mulieris carne, sanguine, semine, ac substantia, contra cõmunem naturæ rationem, ortum atque essentiæ originem acceperit. Quod si itaque quæris, an Christum fateamur etiam secundum humanam naturam esse Dei filium naturalem, respondemus, respectu quidem doni Spiritus sancti, quo à primo momento conceptionis fuerit in vnam personam copulata ea humana essentia cum Dei filio; rectè dici naturalem Dei filium, præsertim autem, si ea natura cum cæterorum hominum, & vero etiam cum integri

Adami natura conferatur. Sed si ad originem essentialem respicimus, omnino pernegamus Christi humanam naturam, vel ex Patris vel ex spiritus essentia suam essentiam desumpsisse: ac proinde ea ratione, Dei neque Patris, neque Spiritus sancti filium naturalem, quoad humanæ naturæ originem attinet, dici nequaquam posse. Deinde vides hic aperte Augustinum, id omne quod vi Spiritus sancti accepit humana natura, tribuere gratiæ ac dono gratuito. Quare, si iterum quæris, an agnoscamus Christum secundum humanam naturam naturaliter esse Dei filium, respondebimus: si intelligas naturaliter, ex vi originis, ac natiuitate suæ essentiæ, omnino id constare non posse: sin autem refers dictionem naturaliter, ad gratiam & dona Spiritus sancti, quæ iccirco humanæ naturæ naturaliter competunt, quod & à primo conceptionis momento, Deus eam illi gratuito concesserit; & simul ipsa in

vnam

vnam personam cum natura τοῦ λόγου fuerit coniuncta, recte posse dici naturaliter esse Dei Patris filium etiam quoad humanam naturam, sed id fit non sui ipsius ratione, sed per gratiam, ac donum Spiritus sancti, ratione coniunctionis copulationisq;, qua natura humana cum Dei filio inseparabiliter est copulata: quod cum minimè habeat cum vllo sanctorum, qui vmquam vel fuerunt vel futuri sunt commune, non est cur metuas ne Christum in cæterorum hominum ordinem redigamus. Est enim Christus verus atque vnicus Dei filius, eritque in æternum, etiamsi caro eius hoc beneficij, non ex sui ortus natura, sed ex copulatione σὺν τῷ λόγῳ per gratiam consecuta fuerit. Quod sane nemini vnquam mortalium à Deo tributum fuit. Cæteri enim homines sunt quidem Dei participes, vi atque ἐνεργείᾳ, at certe ὑποστάσει nequaquam: quemadmodum pulcerrime est ab Epiphanio definitum, dum ita scri-

Pag. 434. in princ.

bit: ὅταν ᾖ εἴπῃ ὁ ἀπόστολος, ἡμεῖς ᾖ νῦν Χριστὸν ἔχομεν. ἄρχεται λογισόμεθα: εἶχε τὸ ἴδιον ἀνθρώπινον, ἢ τὸ Χριστὸν ἐμφερόμενον νοῦν; τὸ μὲν ἴδιον ἀπεβάλετο, νῦν ᾖ Χριστὸν εἶχεν ἀντὶ τοῦ ἰδίου; ἁπάντως. ὁμολογήσατε γὰρ ἅπαντες τὸ ἀκούσαντες, ὅτι τὸν μὲν ἴδιον εἶχε, τὸν Χριστὸν ἐνεφορεῖτο, καὶ χρησμῴζατο αὐτὸν κατὰ τὸν θεοσέβειαν, καὶ γνῶσιν, καὶ θεοῦ πολιτείαν ἐπιφερόμενον. εἰ τοίνυν τὸν ἴδιον ἔχων νοῦν Χριστοῦ ἐνεφορεῖ νοῦν, ἄρχεται καὶ Χριστὸς αὐτὸς ὁ λόγος νοῦς λοιπὸν, εἶτε ἵνα τις ἐπιδὴ πρὸ τοῦτο ἔδειξε νοῦν καλεῖν θεὸν. ἐγὼ δὲ τὸ νοῦν τὸ ἡμέτερον οὐκ ἀποφαίνομαι, οὐδέ τις τῶν ἡμῶν τῆς ἐκκλησίας, ἀλλ' ἐνέργειαν τινὰ ἐκ θεοῦ ἐν ἡμῖν δεδομένην καὶ οὖσαν, τὸν δὲ Χριστὸν ὑποστάσιν λέγω, ὡς καὶ πάντες πιστοὶ ὁμολογοῦσι, καὶ θεὸν ὁμολογῶ, ἐξ ὄντα κύριον ἐκ πατρὸς γεγεννημένον, φῶς ἐκ φωτὸς, καὶ θεὸν ἐκ θεοῦ, &c.

Attende quæso hæc.

Ex quibus verbis facile potes intelligere, quis fuerit in his nostris controuersiis vetustioris Ecclesiæ sensus. Et quantopere omnes pij abhorruerint ab ea sententia quam vestrum plerique ex Thauleri, Theologiæ Germanicæ, atque aliorum monacho-

monachorum lacunis hauſtam iterum in lucem reuocatis; dum ſtatuitis pios in Chriſti mentem atque eſſentiam transformari, ac proinde (vti ſolent veſtri loqui) deificari. Qui veſter error hunc de Chriſti naturarum confuſione errorem vobis peperit. Dum enim inter ὑπόστασιν & ἐνέργειαν atque χάρισμα diſcrimen non videtis, vultis nouo conficto diſcrimine naturalitatis, filij Dei carnem atque humanam naturam à noſtra diſiungere. Et ita ex Scylla vos in Charybdim, quod aiunt, conijcitis. Quod ſi poſſetis euitare, haud eſſet neceſſe eiuſmodi argumenta ex Adæ comparatione cum Chriſto colligere. Quod itaque vrges viuificationem, iuſtitiam, veritatem, gratiam in Chriſti carne eſſe naturaliter, nos quidem libenter damus, ſed tamen eius virtutis originem ad Dei gratiam, ad copulationem σὺν τῷ λόγῳ perſonalem indubitanter referimus, ὁ γὰρ φιλὸς ἡμῖν ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς, vt Epiphanij verbis vtar, ἀλλὰ λόγος. Pag. 433.

λὰ λόγῳ ἐνυπόστατος, ἔνσαρκος, καὶ θεὸς ἄνθρωπος γεγονὼς ἐν ἀληθείᾳ, ἡμῶν μὴ ἐχόντων τὴν ἐλπίδα ἐπ' ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐν τῇ θεότητι, &c. quod enim caro Christi vitam & salutem nobis tribuit, id habet quidem naturaliter, id est, vt primum nata conceptaque fuit, sed non habet naturaliter, id est, ex sua virtute naturali, sed ex gratia ac dono spiritus sancti, cuius virtute facta est caro & λόγῳ ἐνωθῆναι ἡ ζωὴ ἀπ' ἀρχῆς λεγομένη: Nec tamē propterea cunctamur Christi carnem adorare, Christumque hominem, seu Christum secundum humanam naturam nostrum seruatorem confiteri, cum idem ille Christus, qui est homo, sit etiam Deus, & ea ipsa caro sit Dei veri ac viuentis caro, in qua salus nostra perfecte absoluta fuit. Hæc est mea vir clarissime sententia, in qua explicanda longior multo fui quam proposueram: tu tamen pro tua æquitate, ac animi facilitate mihi ignosces, & animi mei erga te propensioni ac beneuolentiæ, si quid peccatum

catum est tribues : cupio enim ex animo, te nobis in Christo coniungi, atque in vnam fidem, vnamque ecclesiam copulari, vt omni errore sublato, Christum Iesum verum Deum verumque hominem communi consensione adoremus: Vale, tuamque coniugem lectissimam matronam quæso ex me saluta.

D. T. amicus perpetuus

PH. MARNIXIVS.

XC.

Nobili viro D. Adriano Mylio, amico obseruando.

NVdius tertius cum paullò tardius domum redijssem, & tabulas Geographicas ad te statim mittere statuissem, inueni famulum meum peius etiam, quam relinqueram, affectum; vt alterum nullo modo ab eo dimittere sim ausus. Venit eadem hora medicus, qui parum nobis de vita spei faciebat: tamen medica- *Priuata.*

medicamenta quædam adhibebat, herbasque quasdam quæri iubebat; quæ omnia per famulum alterum erant agenda, nec in ædibus erat quisquam alius cui potuissem committere. Quamobrem à te maiorem in modum peto, ne aliam ob causam, librum à me non missum existimes. Cur enim tibi eum non commodem, cum hisce diebus non vtar, quo si plurimum sane indigerem, tibi tamen concederem libentissime. Mitto igitur nunc, vt in ista solitudine tua & loco exiguo, quicquid est in orbe terrarum celebre conspicias tamen. Vale dilectissime Myli, meque mutuo dilige. Datæ XVI Maij, An. MDLXXII.

Cum hæc scripsissem, venit ad ædes nostras plebeius quidam, nuncians Papam creatum esse, Cardinalem Buon Compagno. Hoc verum sit nec ne, ex Zindelini nostri literis spero cognoscere. Iterum vale.

T. GEOR. LVDOVICVS
ab Hutten.

XCI.

XCI.

Nobiliſſimo & ornatiſſimo Viro,
D. GEORGIO LVDOVICO
HVTTENO, *Equiti*
Franco.

Agenti Venetijs.

S. P.

SPerans tabellarium, non tam cito diſceſſurum, humaniſſime Huttene, non potui committere, quin vel tribus verbis tibi ſignificarem, & quod literæ tuæ mihi redditæ eſſent, & quod mihi ita fuerunt gratæ, quam quæ ſolent eſſe gratiſſima. Status Reip. non melior eſt, quam tunc cum proxime tibi ſcriberem. Indies triſtia nunciantur, vt ex Zindelino intelliges. Sed Deus aliquando ſuos reſpiciet, & eccleſiam ab oppreſſonibus liberabit. Si non propter nos, certe propter ſanctum nomen ſuum, ne à gentibus illi exprobetur, eiuſq; nomen profanetur. *Priuata.*

Interea

Interea noſtrum eſt, vt ipſum oremus, atque ita nos geramus, vt vlterius ipſum ad iram non excitemus, nam certe omnes has plagas ob noſtra delicta, & Dei verbum contemptum euenire, ego certiſſime exiſtimo, & legendis tuis literis non ſine magna animi voluptate, atq; etiam dolore intellexi. Quare te rogo, vt in poſterum nos ſuauiſſimis tuis literis recreare velis, atque efficere, vt illæ ex parte locum impleant tuæ præſentiæ, qua nos toties multas ob cauſas languentes refeciſti. Bene vale. Raptim, (vt D. Zindelinus dicere ſolet.) Spira 11 Decembr. An. MDLXXII.

Totus ex animo tuus

ADRIANVS vander MYLE.

XCII.

XCII.

Clarissimo ac nobili viro, D. Adriano vander Mylen, Hispaniarum Regis consiliario, D. & amico suo honorando. Venetiis apud Gulielmum Santfort.

S.

CLarissime & ornatissime Domine, vt certius tibi quid de rebus meis significarem (multum enim & diu cogitaui apud Angelum magni consilij Dei, quid incipere, quove migrare deberem) à scribendo tanto interuallo abstinui. Resolutus tandem celare te non possum, me postpositis omnibus muneribus ad otium & priuatam vitam rationes meas contulisse, vt quod reliquum est huius miseriæ, cultui & seruitio Christi & piorum dedicem. Coloniam recta abeo, sed nondum scio an ibi manere velim: fieri potest vt Clivis domicilium eligam. Res meæ non magnæ, sed homini frugali & *Priuata.*

temperanti ad viuendum semper satis est. Delatio quæ contra me facta est, à Iesuitis ortum habuit. Alij enim vtriusque partis admodum bene mecum contenti fuerunt. Sed hi etiam ad regem de me scripserunt, deinde apud legatum Regis Com. de Monte acuto clanculum me accusarunt, quæ res porro ad me relata est per D. de Chantaney qui præfectus patriæ vestræ factus antequam eo perueniret è viuis sublatus est. Nihil adferre potuerunt, quam quod vlli alij Eccl. me coniunxissem, sed omissa quædam præter morem Catholicorũ per articulos deduxerunt: quibus libenter respondissem, si autoritas & iura Cameræ pertulissent: sed nec collegium hoc ferre voluit, nec propter motus mihi tutum fuit illius auxilio vti. Habui non meum tantum firmum præsidium, sed ab omnibus statibus: verum metui proscriptionem, & ne amici mei, quos nosti, male propter me audirent. Deinde habita & cognita

Dei

Dei voluntate, sponte renunciaui. Cuius rei me nondum pœnitet, quinimo gaudeo, & Deo sæpe gratias ago, quod me ex colluuie illa impiorum & iudiciorum peccatis illiberauerit. Prout quæstus erit, sic faciam sumptus, & corpori meo adhuc bene erit. Multi hîc nobiles sunt, & præfecti militum. Quidam aiunt, expectare ipsos solutionem ex Gallia: alii de novo conscribi exercitum. Nihil habeo certi, sed hoc scio, magnas calamitates toti mundo adhuc imminere. Conseruet nos seruator ille noster, qui est rex & Dominus omnium. Successit in locum meum D. Ioan. Roorda, qui, qualis sit, nosti, & tamen conterraneus meus est, & homo non prorsus malus. Allaboraui vt sui voti compos fieret, nunquã alioquin admissus fuisset. Quod aliud scribam non occurrit. Optaui aliquoties tibi mittere libellum aliquem, in quo fidem meam cognoscere posses, & an mutuus inter nos esset con-

sensus, sed hactenus nulla oportunitas mittendi data fuit, nunc hoc viro oblato eandem mitto tibi. Tu cum precibus ad Dominum sæpius eum legas, & spero cõtenta eius approbabis. Iuuenis ille cui XVI coron. mutuo dedisti, pro quo tibi magnas gratias habeo, pecuniam suam accepit. Bene vale vir optime & fidelissime. Francof. VI. Apr. An. MDLXXI.

Tuus

AG. ALBADA.

XCIII.

Præstantissimo viro, Dn. Bon. Vulcanio Brugensi, Domino & amico suo plurimum obseruando.

S.

Ecclesiast. Politica.

REdditæ sunt mihi literæ tuæ vir doctissime, & mihi plurimum obseruande, quas XIV Iulij dedisti. Meum verò de Thalmudi Iudaici editione iudicium tibi probari gaudeo,

deo, & miror quenquam esse, qui aliter sentiat, inter eos quos Christi gloria serio tangit. Sed sunt illic nonnulli, quorum stomachus omnia potest concoquere, nisi si quid Capernaiticæ ipsorũ de orali corporis Christi manducatione aduersatur. Hoc solum ipsis δύσφημον & intolerabile videtur. Ita vero se prodat oportet spiritus iste, qui hactenus sub simulatæ pietatis velo delitescens, multos fefellit. Interea feramus patienter ea, quibus fidem nostram Dominus exercet & probat. De rebus Gallicis iam diu nihil audiuimus, & postremis literis D. Beza scribebat, itinera obsideri, vt rarissimi illinc ad ipsos venire possint. Fama tamen est, quam Lugduno primum prodiisse aiunt, regis copias ad Nemausum aliquam cladem accepisse, & ex illis D. fuisse desideratos. Condæum quoque ex Anglia reuersum esse dicunt, sed quid illic fecerit aut impetrarit, nescimus. De Belgica pace idem plane tecum sen-

tio. Nec enim putant se teneri regis vllis pactis, iis autem quam minime, quibus fidem suam subditis obstrinxerunt. Et si sapit Aurangius, nunquam credet Hispanicis promissis, sed suarum rerum sataget. Transierunt hisce diebus apud nos quidam ex familia Magni Magistri Ordinis Ioannitarum in Germania, qui Romam ad Pontificem pro confirmatione ab Imperatore nouo missus fuit. Narrant illi, Papam primo quod petebatur negauisse, nisi Imperator promitteret, se Lutheranã hæresim, siue euangelij doctrinam, ex terris suis summo conatu extirpare velle. Obstupuit ad hanc vocem legatus, & quia quod responderet non habebat in mandatis, se ad Imperatorem de hac re per celeres nuntios scripturum dixit. Imperator autem re cum Saxone & Brandeburgico communicata, iussit vt denuo apud Papam pro confirmatione instet, & si hæc negetur, domum redeat. Quo audito Papa confirmationem promisit,

misit, & ille proximè ad Imperatorem contendit. Fuerunt cum eius domesticis, qui hæc retulerunt, quidam Melitenses equites, qui Sophi Persam de recipienda religione Christiana & fœdere cum Imperatore faciendo cogitare dixerunt. Sed hoc totum mihi fabulosum videtur. Tu, si quid habes scitu dignum, ne nos cæles. Dominus Lauaterus te plurimun saluere iubet. Salutabis quæso ex me amicum veterem Thomam Platterum meum, cum filio, & Domino Zwingero. Pro συναγραφία Domini Grynæi gratias ago, quæ mihi plurimum probatur. Vale, Tiguri, Kalend. Augusti, Anno M D LXXVII.

Tui studiosiss.

RODOLPH. GVALTERVS

XCIV.

Nobili ac clarissimo viro Dn. Adriano vander Myle, Regis Hispaniarum consiliario, Domino & amico suo honorando,

Venetijs, in ædibus Domini N. Santfort.

S. D.

Pia Historica.

CLarissime ac amantiss. Domine. Maximam voluptatem literæ tuæ mihi attulerunt, quod & vbi esses, & quid valeres, significarent: nam à sesquianno fere cum ex nundinis Francofurtensibus ad te paruum libellum cum literis meis miserim, nullum abs te verbum habui. Ego interea variis molestiis agitatus tandem domicilium in hoc loco constitui: sub qua conditione, scripsi tibi olim: sed postquam huc adueni, dicere tibi non possum, quantas molestias & conuitia à Principe meo tulerim, quod à cœtu suo ego & mei abstineant. Viuo hîc magis solitarie quam vllus heremita, contentus meo honorario, quod ad frugaliter

galiter viuendum mihi satis est, nullis negotijs, nisi Principis mei me implico, ita vt satis temporis habeam ad pietatis studia exercenda. Do operam, vt me & meos magis diuitijs Christi, quam hujus mundi locupletem: tantundem de te spero, quod nullius rei adeo quam salutis tuæ curam agas, &, si externus tuus homo corrumpitur, quod internus crescit ad Dei communionem. Quę in inferiori Germania patria nostra iterum cœpta sunt, credo te non ignorare. Det Dominus fœlicem euentum. Vtrinque magnæ vires colliguntur, sed Geusij quia præuenerunt, adhuc sunt superiores. Tota Hollandia exceptis Amsterodamo & Rotterodamo se in fidem eorum tradiderunt. Mons Hannoniæ à Comite Ludouico detinetur. Zelandia iam pridem eorum fuit. Habet Auraicus equitatum selelectissimum. Euentus forte idem erit, qui Carolo in Germania. Tempus conuenit à deuictis Germanis ad

eorundem libetationem. Eadem familia etiam se permiscere huic bello tacite creditur, vel forte extorquetur rranſactio qualem Gallus inijt. Vtcunq; sit, in ea spe sum, post finitos hos motus propius nos coniunctos iri, patriamque vnà reuisuros. Non omnes viuos inueniemus, sed qui signo Thau notati sunt: quos gladius non absumet, pestis & fames extingent, quæ sine dubio sequuturæ sunt. Plura quæ scribam non occurrunt, sed te gratiæ Dei commẽdo, ac vtinam sanus aliquando ad tuos redire possis. Hoc dabit Dominus Iesus, cuius amore multa aduersa libenter toleras. Literas tuas, si ad D. Roordam miseris, facile ad me peruenire poterunt. Bene vale, optime & dilectissime frater, in eo qui nos coniunxit Christo Domino & Deo nostro. Herbip. XXIV Iulij. Anno M D LXXII.

Tuus ex animo

AGGÆVS ALBADA.

XCV.

XCV.

Nobili viro D. Adriano Mylio, amico obseruando, Venetijs.

S. P.

TE valetudine meliore esse, sum- *Historica.*
me gaudeo. Ego ea sum, qua contentus esse possim. Neque enim firmissimam corporis constitutionem desidero: sat est, si non pessime corporis muneribus fungi possum. Tu tamen sapienter mones, qualiscunque sit valetudinis ratio, eam moderate ferendam esse, quippe cum nihil hominibus accidat contra Dei voluntatem atq; sententiam. De rebus Belgicis omnia ad me liquidissime scripsisti. Postea nos accepimus Montem Hannoniæ ab Hispanis obsideri, die Iulij 11 obsessos ex vrbe excurrisse, commissum esse prope iustum prælium, in quo legatus Ludouici Nassouij cum multis Gallis desideratus sit. Ex Hispanis grauiter vulneratum Rodericum quendam castrorum præfectum. Chiappinum

Vitel-

Vitellium Sclopetto in tibia esse ictum: Walones multos insignes homines cecidisse: In Geldria esse Principem Arausionis, eumq; Zutphen, Venloam, Buram, suis præsidijs tenere. Geldriam & Hollandiã pene omnem à Geusijs esse occupatam. Classe eorum omnes aditus, omnia fluminum ostia teneri, vt neque importari, neque exportari quicquam possit. Albanum magnum equitatum è Germania expectare, ducibus Brunsuicio, Holsato, & Pomerano. Hæc quo euasura sint, nescio. Ego me in literas abdo: reliqua Deo permitto: etsi non possum, quamuis literis deditus, patriæ calamitatibus non commoueri: at cuius patriæ? eius nimirum qua nulla est terrarum ora, vel oppidorum frequentia, vel vbertate omnium rerum, vel humanitate omnique ciuili cultu præstantior. Vale mi Domine, & Zindelino Huttenoque nostro salutem. Posonij VIII Aug. MDLXXII.

T. NICAS. ELLOBODIVS.

XCVI.

XCVI.

Nobili viro D. Adriano Mylio, amico obseruando, Venetiis.

ETsi nihil admodum habeo, tamen istuc non possum, quin ad te scribam. Cæsar rursum dicitur discessurus ad nonas Decembris, iamque domesticos eius aliquot discessisse. Arausinus & reliqui Nassouij etsi in comitiis diligenter in suis rebus laborarunt, vix tamen fuerunt auditi: dicitur tamen hoc Electori Augusto petenti annuisse, vt vxori Arausini alimenta petat ab rege Philippo sponsa. Medina cæli iam in Angliam peruenit, vbi etiam-num sæuit pestilentia, vt & in Allobrogibus, & Norimbergæ, & in Austria. In Gallia apud Pictones collegerat se manus quædam equitum & peditum, qui se vocitarunt *les bendes des mal contentz*, quos Amiralius misso ad regem an eius iussu hæ copiæ cogerentur, cum accepisset pacis turba- *Historica.*

turbatores esse iniussu regis coactos; omnes fugit & fugauit. Spargunt tamen in prouincia, nescio quę loca nouis præsidiis occupari, etiam regis iussu : & montem Albanum prope à Tolosa tentatum esse à Pontificiis. Verum illa legatio, de qua proxime, valde confirmatura partes existimatur, nam quod postea accepi, etiam minis additis acturi dicuntur. Ad nuptias regis, quas celebrandas aiunt in arce Conestablij Chantillij, conuenient principes Nauarrus & Condensis. Lotharingus Card. non item, qui domum venire dicitur, etsi alij eum Remis hærere iam aiunt, ut præsit coronandæ reginæ. De Blotio miror, neque te, neque D. Zindelinum quicquam scribere, cuius literas, quibus tuam singularem in se humanitatem prædicat, modo accepi, datas 1x Nouemb. Huic salutem dices. Accepi & tuas octo abhinc diebus, postridie quam ad te scripseram, quibus de Berrio scribis. Ad illum literas iam exara-

uc ram,

ueram, & me cum superioribus meis ad te literis eas missurum putaram: verum nescio, vbi sepositas reperire non potui: neque nunc mitto, quod expectem alteras, ad quas eum es hortatus. Et si ad illud munus non est animus, in iure tamen poterit fortasse aliquid impetrare. Scripsi iam D. Francisco, quo gaudeo te vti hærede optimi Stopij nostri. Efficias vt ad me interdum mittat noua, quod ipsum & ego nunc illi præsto, & semper facturum recipio: puto enim fidelem, prudentem, & nostrorum esse amantem, quod tamen ex te diligentius cognoscere velim. Vale. Argentorato, XXVII. Nouemb. Anno MDLXX.

T. Ex. dd.

Ob. GIPHANIVS.

XCVII.

XCVII.

Nobiliſſimo & ornatiſſimo viro, Dn. Adriano vander Myle, amico ſuo, Venetijs.

S. P.

Priuata. Litteraria.

TEipſum potius expectabam, mi Myli, quam literas tuas. Cupiebam enim, & quidem ſumme cupiebam, prius amplecti te, quam ad Iazygas Metanaſtas proficiſcerer. Nunc eius rei facultas erepta mihi videtur, quoniam & tu iſtic hæres diutius quam velim, & Epiſcopus meus vrget quotidianis literis vt veniam, nec iſtuc poſſum excurrere, quoniam pecunia quam expectabam allata non eſt. Quocirca cogor per literas eo officio defungi apud te, quod coram ſane libentiùs vſurpaſſem. Etſi autem meum ſtudium minimè ignotum tibi eſſe ſcio: ſæpeq; ſum teſtatus, & quanti te faciam ob elegantiam doctrinæ, morumque probitatem, & quantum te amare

amare debeam ob perpetuam tuam, & singularem in me voluntatem: tamen etiam his literis meum in te animum & officium consignare volui. Quod, vt agam breui, eiusmodi est: me æterna memoria prosecuturum esse tuum amorem erga me, & exculturum quocunque officij genere potero. A te hoc vnum peto, quod scio te sponte tua facturum esse, vt me absentem ames, & in tuorum numero hærere patiaris. Cogito quatriduo, aut summum intra dies quinq; discedere. Simulatque peruenero quo volo, non committam, vt ignores, quis vitæ meæ status sit. De rebus nouis, mira & varia ad me scripsisti. Ego quod tibi reponam, nihil sane habeo. Nihil enim hodie est allatum. Nunc audi, quod summis abs te precibus obtestor. Duditius ab hinc aliquot menses me rogarat, vt curarem sibi describenda Diophanti ἀριθμητικά. Sumpsi à Pinello Diophantum & Duditio exscribendum curaui, si-

mulans tamen mihi describi, quoniam Duditij nomen, vt scis, odiosum est: duxit enim vxorem cum esset Episcopus. Nunc Pinellus hunc librum me iamdudum popoſcit: velle enim se cuidam amico commodare: nam certis de causis suum nolle cuiquam ostendere. Ego qui librum misissem ad Duditium, hærere, nec scire quid responderem. Dixi tamen me librum tibi commodato dedisse, quippe Mathematicæ studioso. Quieuit. Nunc quia discessurum videt, vrget iterum de libro. Respondi, me ad te daturum literas, & rogaturum, vt simulatque Patauium veneris, librum eum, sibi tradas: Vides mi Myli, quam in difficili causa versor. Dices. Quid est igitur, quod me facere velis? scilicet hoc vnum, vt si Pinellus te rogarit de Diophanto, dicas te accepisse quidem à me hunc librum, sed credidisse tibi à me esse donatum, & ideo cum cæteris rebus tuis in Belgium esse missum. Ita mihi meus

honos

honos apud Pinellum ſtabit, & tu ob leuiſſimum mendaciolum nulla te peccati religione obſtrinxeris. Quin, ſi occurrat tibi in via, vltro expoſtula mecum, & accuſa quod eum librum abs te repetam, quem donatum tibi eſſe credas: nihil potes hoc mihi facere gratius. Expecto abs te quamprimum literas, quas velim Gulielmo Verdunio inſcribas, qui habitat *al ſanto in caſa di Madonna Catarina murara*, is tibi ſalutem dicit. Vexatur à tertiana. Vale & me ama. Patauij XX. Aprilis, Anno MDLXXI.

Tui ſtudioſiſſ.

NICASIVS ELLEBODIVS.

XCVIII.

Clariſſimo ac Nobili viro, Dn. Adriano vander Myle, Regio conſiliario in Hollandia D. & amico ſuo honorando.

S.

Religioſa. CLariſſime D. Non ſcio me præter binas abs te accepiſſe literas. In prioribus mones me, vt ex Babylone fugiam: id feci iam ex Dei gratia, & reuelatione per annos XXII non tam corporis, quam animi diſceſſione: vtinam contra tibi perſuadere poſſim, vt & tu à filia eius fugias, quæ matrem breui tempore ſuperabit: vtramque ſua pœna manet. Spero autem matris interitum præceſſurum. Ego nunc Vlmam propero ad quoſdam pios amicos meos vt nos gladio ſpiritus ad mutuum profectum nonnihil acuamus & roboremus, & aduerſus inſtantes calamitates à Domino auxilium & conſilium quæramus. Optarem te mihi ſo-

cium

cium itineris esse, videres & cognoscerés alios viros quàm quos..... ..... Schola producit. Si me amas, tantum quæso abs te impetrem vt libros C. S. diligentius legas, vel omissis omnibus scriptoribus te vni Christo in disciplina tradas. Res meæ in mediocri & tranquillo statu sunt. Noua apud vos certiora sunt. Pro salute quam ab Hoppero mihi adscripsisti, habeo tibi gratias: ad scribendum illi hoc tempore otium non habeo. Si rescripseris ei, quæso quam ornatiss. eum meis verbis resalutato, & scribe ei, me rogare vt in officio suo à Deo prudentiã petat & gratiam, nam omnino necesse hoc ei erit. Quid hac admonitione velim, scribam tibi aliàs. Saluta quæso fratrem tuum cum vxore, Bene vale amantiss. Dn. in eo, qui nos dilexit Christo Domino & Deo nostro. Raptim Francof. IX Apr. Anno MDLXXIV.

T. D. Ad. AGGÆVS ALBADA.

XCIX.

Spectabili viro, D. Magistro Laurentio du Bliou Graphiario.

Intercessoria.

SPectabilis Domine Graphiarie, amice perdilecte. Meministis credo quanta instantia vos rogauerim, vt Dominum de Nassaw velletis inducere ad compatiendum Magistro Florentio Oem, vt possent reuocari literæ quibus ei mandatum est, vt infra XXIV horarum spatium à Dordraco discederet, & non appropinquaret intra distantiam XX leucarum, eo nec vocato nec audito super iis quorum occasione mandatum tam exorbitans factum fuerat. Promisit mihi tunc vestra Dominatio, se daturum omnem operam, vt Dominus de Nassaw pietate flexus in eandem veniret sententiam, & bonus Magister Florentius reponi posset aduersus præceptum tam durum. Scioque quod propter absentiam Domini de Nassaw nondum potuistis conficere negotium: nunc vero

vero postquam rediit, concedite oro & efficite quam breuissime fieri potest, vt faciat literas illas reuocari: quod facile fiet, si vnum verbum electo Imperatori nostro scripserit in hominis commendationem, præsertim quia quandoque grata & vtilia seruitia fecit. Estque de doctioribus & subtilioribus totius patriæ Hollandiæ, & seipse offert stare iuri, & respondere ad omnia quæ illi obijci possent; &, si meruit, iuxta delicti qualitatem puniri. Precor, agite hac in re syncerè non ~~carnaliter~~ *curiale*. Ego in quibus potero V. D. vicissim libenter & ex corde inseruiam. Valete feliciter, & me Dominæ vxori vestræ ac filio Magistro Gaspari, filiæque suæ contorali ex animo commendate. Barchinonæ, XI Augusti, An. MDXIX.

Vester amicus.

A. CARDIN. Dertusensis.

C.

Spectabili ac præclarissimo viro, Magistro Florentio Oem de VVijngaerden, vtriusque iuris Doctori consultiss. amico tanquam fratri.

Intercessoria.

SPectabilis Domine Doctor, amice charissime. Scribo impræsentiarum Domino de Nassau, rogans vt vestri misertus velit apud sacram Maiestatem Cæsaream efficere, vt illæ exorbitantes literæ contra omnem ordinem iuris & iustitię contra vos emissæ reuocentur, quibus vobis iniunctum fuit exilium. Et quoniam multi opinantur, consilio & instigatione Domini Graphiarij eas literas fuisse impetratas, scribo ei, vt quemadmodum mihi dum hic erat, pollicitus fuit, velit inducere dictum Dominum de Nassau ad impetrandam reuocationem: Quod ei ob id facillimum erit, quia ipsius Domini de Nassau consilio vel adhorta-

hortatione Rex illas ferтur dedisse. Ego hic omnia tentaui, & laborem perdidi. Non video remedium nisi ex illa parte, saltem quamdiu in Hispaniis erimus. Mitto vobis ipsarum literarum copias, vt ad eundem intendens, possitis medio Domini de Yselstein apud eundem Dominum de Nassau laborare: Oraui Dominum Decanum Mechlinienſem, vt per ſecurum miniſtrum mittat ad Dominum de Naſſau, & Dominum Graphiarium prædictas literas meas, vt celari non poſſit quin ad manus eorum peruenerint. Det Deus, vt id operentur, ad quod ſunt ordinatæ. Ego amotionem exilij veſtri & omnem proſperitatem veſtram non minus quam voſmetipſi deſidero. Neque quicquam eſt tam laborioſum, quod non ego promptiſſimo animo veſtri cauſſa facerem, ſicuti vos ſatis confidere & perſuaſum habere credo. Commendate me vxori & amicis, ac valete fœlix & incolumis.

Barchinonæ, XII. Augusti, Anno MDXIX.

Vester amicus, vti frater,

A. CARDIN. Dertusensis.

Si in hoc exilio desunt vobis pecuniæ, vtimini meis. Ego mandaui Decano Mechlinienſi, & mea vobis communicet.

CENT. II.

CENTVRIA II.

EPISTOLARVM SELECTIORVM,

Superiore sæculo ab Illustribus & Claris viris scriptarum, vel à Belgis, vel ad Belgas.

I.

Nobilissimo & præstantissimo viro D. Zindelino, Venetias.

ACCIPE de quibus superiore septimana me scripturum promiseram. Decima septima Febr. Heidelbergam veni. Postridie ad colloquium Principis sum admissus. Dixi, me ex Italia discedentem litteras à te ad suam Celsit. habuisse, quas summopere cupijssem ei tradere, sed valetudine impeditum *Historica.*

Spiræ

Spiræ hactenus subſtitiſſe: litteras miſiſſe per D. Roewenium: ex quo quum intellexiſſem illas Suæ C. redditas, atque ipſum de me inquiſiuiſſe, atque etiam quum iſtuc veniſſem colloqui cupere, non me voluiſſe, nec debuiſſe omittere, quin ſtatim, cum aliquo modo per valetudinem liceret, eò excurrerem, & Suæ C. honorandi cauſſa me ſiſterem. Reſpondit ille, me illi rem perquam gratam feciſſe, de valetudine mea ſe intellexiſſe, illam nunquam quaſi mihi ſatis firmam eſſe: hoc ſe plurimùm dolere, hoc tempore præſertim, quo in Belgio bonorum virorum opera quam maxime deſideratur. Adfuiſſe illi Ioan. Naſſauienſem: ex eo ſe intellexiſſe, Auriacum omninò quaſi deſtitutum eſſe fidis viris atque bonis conſiliarijs, *Daß er gantz bloß ſey vom guten vnd frommen Rhaat.* Reſpondi rem ipſam hoc ſatis demonſtrare. Atque de Belgicis rebus multa loquutus, dicebam, neque illud ſane cõſilio factum fuiſſe, quod hoſte

tam

tam propinquo, Pontificij qui non minus quam Euangelici contra Albanum, atque ipsius tyrannidem erant animati, conquerendi causſam prębuissent, ablatis ijs in quibusdam vrbibus templis, quæ ex pactis conuentis illis relicta erant. Non obscurè eos iam conqueri, si fides rebus adhuc dubijs frangitur, facile se suspicari posse, quid confecto negotio ijs sit exspectandum. Adijciebam, ea re tantam animorum mutationem factam fuisse, vt primi quique, qui anteà communibus viribus, atque consilijs contra Albanum rem strenuè gerebant, nunc in patria & extra eam solliciti suspensiq; de euentu hæreant. Hic ille, Rem præclaram esse, solum verbum Dei in vrbe aliqua prædicari, solumque verum cultum exerceri. Respondi, præclarissimum id esse; sed hoc efficere Principis esse, qui in ditione sua imperaret, vel eius qui arcu atq; gladio suo prouinciam subegisset: aliud esse, vbi fœdere inito diuersæ religionis

gionis homines cõuenirent, vt communem hostem atq; tyrannum oppugnent, & suæ quisque religioni cauet. Ad hæc ille. *Ia jhr sagt vvar: Ich bin ein armer Churfürst, könte ich aber mit Landt vnd Leut vberein kommen, vnd composition machen, so vvolte ichs vvarlich halten.* Venimus ad alia. Dixi, eam etiam esse insolentiam & rapacitatem militarem, vt populus conqueratur, & non dubitet Albani crudelitatem in comparationem adferre. Fuisse Delfis præfectum monasterio S. Agathę quem Patrem vocant, virum quidem religione Pontificium, sed non omnino malum, ingenio certe eleganti, & eruditione non mediocri, apud quem Princeps Auriacus semper sit solitus diuerti, & reliqui Proceres Belgij atque regij omnes consiliarij. Hunc quum iam Princeps Auriacus redijsset, atq; apud ipsum diuertisset, cum alijs sacrificulis voluisse discedere, sed iussu atque mandato Principis substitisse, accepta securitate quam

Cornelius Musius, cuius Elogium vide in Historia Meterani, lib. v. & apud Miraeum.

saluum

saluum conductum vocant. Dein quum se Hagam contulisset, atque Princeps qui id resciuerat in mensa de ea re conquestus esset, offert se Lumæus, dicens, si Principi placeret se ipsum insecuturum atque retracturum. Annuit illi Princeps, proficiscitur Hagam, reperit hominem, quumque ex mandato Principis Delfos reducere deberet, Leidam eum deuexit, atque eodem die laqueo ei vitam ademit. Hic ille quærebat, num intellexissem, quæ in monasterio atque ciuitate inuenta fuissent? Respondi, Non. Ostendit ergo mihi exiguum plumbum, cui lilium erat insculptum. Huiusmodi inquit ad multa centena ibi sunt reperta, quæ tesseræ fuissent, prodita ciuitate, de ijs, qui illas haberent non trucidandis. Respondi, si tale quid ab eo perpetratum sit, iusto eum supplicio adfectum fuisse: sed tempore tam periculoso faciundum hoc fuisse ordine, habita forma iudicij, atque data illi facultate sui defen-

defendendi. Hoc enim pacto populum non solùm exasperatum futurum fuisse, sed probe etiam ea diligentia atque solertia contentum: inauditum verò aliquem necari, semper ægerrime ferre solere populos: præsertim illum populum, cui hactenus libertas, atque æquale ius cum ipso rege fuisset. Idque factum eo indignius ferre populum, quod etiam præter Principis sententiam factum id esse sciat. Conqueruntur vulgò, rem indignam esse, si Princeps à priuatorum atque ministrorum suorum iniurijs eos tutos seruare non possit. Respondit, vera esse quæ dicebam, sed Lumæum iam insolentiæ suæ pœnas dare, arcto scilicet carcere detentum; non quidem ob illud facinus solùm, sed præcipuè ob peculatum, cuius ipsum Ordines Hollandiæ insimularent. Legatum eius iam præpositio traditum esse: putare se, de illo iam supplicium sumptum esse. Vera etiam esse quæ dicebam de militum insolentia atq;

rapaci-

rapacitate, quorum opera Princeps vteretur. Se ideo etiam egisse cum Ioan. Nassouio, vt curaret fratrem suum Henricum eo mittendum: remque non minus ad ipsos quam ad ipsum Auriacum pertinere. Fratribus suis eum fidere posse. Si Deus Lud. Nassouio valetudinem firmam largiretur, omnia hæc mala caueri posse. Subijciebam, maximi certe momenti fore, si talis adesset Principi, cui rerum summam posset committere, nunc enim cum summa iactura nos vidisse, quam non sit tutum cuiuis integras Prouincias credere. Testari hoc Frisiam tam turpiter desertam: addebat ille, atque etiam Gelriam. Et quia de Præfectis mentio erat, subijciebam ego de auxiliis, ecquid sperari posset. Hic quædam præteribo, ne si forte incidant in ablatoris alicuius manus, imprudentia mea Reipublicæ noceam. Dicebat inter alia, se ex vxore intelligere, eum esse Hollandiæ situm, vt hostium insultibus facile pa-

tere non possit. Respondi, verum id esse: ac natura sua regionem illam egregie munitam esse: sed eam esse Hispani potentiam, eas artes, vt, si humano iudicio loqui velimus, nihil sit inuium, quo tandem si non ferro, argento saltem atque auro penetrare possit, si illi obuiam non eatur. Putabat Aglam, Danum, maritimas denique ciuitates Auraico non defuturas. Venimus deinde ad Gallicas res. Exaggerabam lanienam, hostium sæuitiam & perfidiam: addebam rem ad ipsos Germanos Principes pertinere. Subijciebat ille, verum id esse, atque latius digressus in Germanorum atque sociorum negligentiam, ingratitudinem erga Deum, atque ipsius verbi contemptum, dicebat, se non dubitare, quin Deus aliquando grauiter eos esset puniturus. Interea de Gallicis rebus bene sperandum esse: satis Gallum habiturum hoc anno quod agat. Anglam Rupellensibus non defuturam. Hæc fere sunt præcipua collo-

quij

quij capita. Quum de Gallica cæde sermo esset, dicebam ego inter alia, me, quum in Italia essem, atque primum audissem Admiralium in regis aulam venisse, aliquando amicis meis piis viris qui illic erant dixisse, me non fore quietum, donec intelligerem Admiralium domum suam rediisse. Subijciebat ille, Ex iis etiam Zindelinus fuit, nam illo vtebaris admodum familiariter: Respondi, verum esse, atque de dotibus eius quædam locutus, dicebam, eam esse ipsius pietatem, fidem, atque eruditionem, vt in ea solitudine solus mihi fere solator fuerit. Ad hæc ille. *Fürvvar mein sohn hat ein schöne institution von jhm behalten, dann er ist sein* præceptor *gevvesen: dermassen, daß er jhm* in epistolis scribendis *lustig imitirt, vvie dann* Zindelinus *einen herlichen* stylum *führt.* Ad hæc ego, non in scribendo solum, sed etiam in dicendo ea est eloquentia, vt paucos inuenerim qui cum ipso conferri possint, qui præferri possit, neminem.

Accedit ipsi ad eloquentiam plurimarum rerum notitia, historiarum, & postremo iuris scientia. *Vber das, so hab ich viel gelehrte männer gekant, aber keiner vvie der* Vindelinus, *dann er befleissiget sich seine gelertheit allein zugebrauchen, den kirchen vnd Reipubliken, vvie auch seinen freunden, zu gute.* Ad hæc ille, *Ia vvann er nun hieher komt, so vvil ich jhn zum Rhaat setzen.* Deinde cum emphasi quadam gestiens adiungebat, *Dann er vvird mir für einen klugen Rhaat volstrecken.* Quærebat postea de valetudine mea, quibus remediis vterer, quædam etiam remedia communicabat. Interea ego quærebam occasionem vt de lapidaria nostra arte aliquid ei dicerem, sed nullam occasionem nanciscì poteram, & ex abrupto de ea re loqui in primo colloquio non audebam, ne forte ipsius humanitate abuti viderer. Ita tandem ego illi valedixi, me illi commendans atq; ipsius Cel. omnia fœlicia precatus. Agebat ille gratias

quod

quod conueniſſem, & dicebat, *daß er ein genedig gefallen gehabt hatte an der conferentie.* Atque ita fuit diſceſſum. Habes breui totius fere colloquij præcipuos ſermones, quos quaſi verbotenus ſcribere tibi volui, quod ſciam tibi non minus eſſe cordi quam mihi. Vellem te illic eſſe, & ſi mihi credis, prima occaſione te illuc recipies. Video enim quantum ibi Reip. prodeſſe poſſis, ſcio qualem operam iſtic præſtes, & quam deberet eſſe vtilis: ſed facile animaduerto, res proximas non ita gubernari, vt tam longinquis vſui eſſe poſſint. Si hic ſis, facile efficies vt res propinquæ ita tractentur, vt longinquæ etiam vſui eſſe poſſint. Qua ſis apud Principem gratia facile animaduerti, non ſolum ex iis verbis quæ ſupra recenſui, (ex quibus vides, te ad paragraphos, vt dicere ſolemus, able legatum non iri) ſed ex tota Principis oratione, atque etiam vultu. Accedit illud, quod plurimi facio, quod ad ſolas meas literas me hominem

illi omnino ignotum ad tam priuatum colloquium admiserit. Nam intelligo raro admodum in cubiculum illud aliquem admitti, ita præsertim, semotis omnibus. Alias literas nullas reddidi, ne quum causa illa, quam nosti, cessaret, ambitione duci videremur. Statueram autem sine literis conuenire ..... atque tuis verbis salutare: sed ea erat vis ventorum & aëris intemperies toto eo tempore quo illic fui, vt hospitium egredi non liberet, præsertim quod summo capitis dolore atque catarrho, quod malum austeritas aëris mihi creauit, grauissime laborarem. Quum Francofurtum proficiscar, Deo volente Heidelbergam sum transiturus. Hoc si fit, accedam illos, & tuis verbis salutabo. Sed de his hactenus. Hodie ex Assessore quodam intellexi, Syndicum Argentoratensem scribere, Comitem Ludouicum de Nassau ibi esse, atque se semel cum ipso pransum esse. Hoc quam bene conue-

niat

niat cum Electoris verbis, qui de inualetudine loquebatur, non video: nisi forte Assessor ille in persona erret, & Iohannem Nassouium putet, quem princeps dicebat sibi adfuisse. Treuirensibus cum Episcopo recruduit contentio. Omnes..... vrbe excesserunt. Die Dominica proxima Wormatię non tres vt scripseram, sed quinque circuli conuenerunt, videlicet, Rhenanus, Sueuicus, Franconicus, Westphalicus, atque etiam Bauaricus. Agunt Bauari, quo minus ille circulus conueniat. Causam conueniendi nuper scripsi, vt scilicet de causa Comitum de Hanaw agant, quem Lotharingus superioribus mensibus comitatu Vitzonzi exuit. Albanum equitarū conscribere aiunt. Colonienſis Rifferscheyt quatuor equitum millia illi adducturus dicitur. De rebus Harlemēsibus superiori septimana scripsi. Interim nihil noui accidit. Bene vale. D. Hutteno, Rosino, Blotio, meis verbis vt salutem dicere velis,

summopere te rogo. Spiræ XXV. Febr. Anno MDLXXIII.

Tuus ex animo

ADRIANVS MYLIVS.

II.

Dn. Thomæ Tilio, fratri ac symmistæ obseruando. Heydelbergæ.

Historica.

GRatulor tibi, mi Thoma, fortem hunc animum, & tam sanctum consilium, cui etiam futurum spero, vt Dominus benedicat: sed adiecta crucis, vt tu nosti, conditione. Accipies vna cum istis, vel certe paulo post istas, libellum epistolarum mearum, te potissimum hortatore editum, vt te omnino necesse sit eius rei culpam sustinere, si quid hic à me peccatum fuisse deprehendatur. Habeo & alias magni momenti non paucas, quæ fortassis adijcientur, si non inutiles

tiles Ecclesiis istas fuisse cognouero, quod vnum scis à me spectari. De rebus nostris: Omnes, Dei beneficio, valemus, & consueta pace adhuc fruimur. Iam interpretor in schola Ceremonialem legem in capita digestam. Pro concione fere absolui Epistolã ad Hebræos, cui admisceo Ieremiæ lamentationes, argumentum temporibus istis miserrimis valde accommodatum. Precare pro me miserrimo peccatore Dominum, vt onus istud, quod ipse mihi imposuit fortiter ad extremum sustinere possim. Cæterum mitto iam istuc Danielem alumnum meum, vt hæc cœli mutatio, & scholæ vestræ inspectio ipsum natura tardum excitent. Promisit mihi D. Dathenus noster, facturum se, vt Illustriss. Principis benignitate ad aliquod tempus alatur, quod futurum spero. Nam alioqui & inops est ipse, quem gratis alui ab infantia, nec eæ sunt meæ facultates, vt istos sumptus possim facere. Ipsum autem commen-

do tibi etiam atque etiam, rogoque, vt quoties in vrbem veneris, inquirere in ipsum non graueris. De rebus Gallicis. Incerta, ambigua, pugnantia de pace quotidie audimus. Nostrorum adhuc fuit animus fortissimus, quos tamen valde metuo ne rursum pacis species fallat, & magis ac magis gẽtis nostræ ingenia prodat, leuitatem videlicet & simplicitatem, sic enim εὐφημίας ἕνεκα malo quam stoliditatem vocare. Hostes solus Deus mirabiliter afflixit, nec dum sane iudicij diuini finis apparet. De Hollandia nuntiantur quoque repugnantia, nihil tamen satis læti præsagire nunc quidem animus potest. Sed age: quid iis metuendum est, quibus ipsa mors aditum ad vitam aperit? Collegæ nostri, itemque D. Rosetus & D. Bernardus, omnes denique amici te plurimum salutant. Ego vero & vxor mea totam tecum familiam nominatim. De viridi zinzibere condito quod ad nos misisti gratias agimus.

Domi-

Dominus vos custodiat ab omni malo. In literis, quas ad D. Zulegerum & Dathenum dedi, minimè prætermisi testimonium, de quo ad me scripsisti. Bene vale, mi frater. Genevæ, XXV Augusti, MDLXXIII.

Tuus

BEZA.

III.

Illustrissimo Principi & Domino, Domino Gulielmo à Nassau Principi Auriaco, &c. Domino colendissimo.

S. P.

ILlustrissime Princeps & Domine, *Politica.* Domine mihi summo studio colendissime,

Officia ac studia addictissima Illustrissimę Celsitudini Vestræ commendo, à Deo opt. max. fœlix quodque

que incrementum, ac ſumam exoptans Illuſtriſſimæ Celſitud. veſtræ beatitudinem.

Ea eſt geſtorum Illuſtriſs. Celſitudinis Veſtræ gloria in pia pro religione proque patriæ ſuæ libertate cauſſa, ea virtutis, prudentiæ, iuſtitiæ, ſummæque benignitatis laus, vt quum Occidentis & Germaniæ Prouinciæ iis perſonent, ad nos quoque, huic frigidiori Septentrionali cœlo ſubditos earum clangor peruenerit, quem quidem præconio ſuo auxit ſummopere inſignis atque ſumma experientia vir Dom. Philippus Marnixius, Illuſtr. Celſit. Veſtræ Conſiliarius, (qui nos hic nomine Illuſtriſs. Electoris Palatini Rheni inuiſit, ac plane lumen actionibus noſtris perneceſſarium intulit) tantis certè laudibus, & ipſa demonſtratione eorum quæ Deus per hoc inſtrumentum, nempe Illuſtr. Celſit. Veſtram mirabilia pro gloria nominis ſui efficere eſt dignatus, vt nos qui religionis puritatem profitemur,

mur, neceſſariò & abſentem Illuſtr. Celſ. V. facietenus ignotam adeò adamemus, & ſuſpiciamus, vt abſenti etiam omnia officiorum genera, ſtudiaq; noſtra ſedulo cõteſtari nos quaq; occaſione poſſe gaudeamus. Quare ego quidem Dominum Marnixium abſque litteris ad Illuſtriſs. Celſit. veſtram dimittere nolui, ab illo ſponſione accepta, eum me coram Illuſtr. Celſ. Veſtra impenſius commendaturum; quam etiam atq; etiam rogatum velim, vt me meoſq;, ac omnes hic Religionis ſtudioſos gratia ſua complectatur, ac ſi qua vnquam poſſim gratum Illuſtr. Celſit. Veſtræ præſtare, mandet, quiduis pro poſſe intrepide facturo. Cæterum ſtatum harum regionum, tum etiam quæ vna contulimus, Illuſtr. Celſitud. Veſtra ex præfato Domino Marnixio fuſius cognoſcet. Quare ne ſim ſcribendo tantis rebus Principi occupato moleſtus, me iterum iterumq; gratiæ & beniuolentiæ Illuſtriſs. Celſit. V. commendo.

Datum

Datum Cracouiæ, XXV Martij, Anno MDLXXV.

Illustriss. Celsit. Vestræ
addictiss. & ad seruitia
paratus

PETRVS à SBOROFF,
Palatinus ac Capitaneus generalis Cracouiensis. prop. man.

IV.

Nobilissimo viro, prudentia, doctrina, præstanti Domino Philippo Marnixio, Illustriss. Auraniæ Principis Consiliario, amico charissimo & obseruando.

Politica. EXcellens Domine, amice honorande: post diligentem officiorum commendationem. Permolestum sane est, nil nos post tuum hinc discessum plane à vobis literarum accepisse: vnde in multis minus expedita

pedita sunt consilia nostra. Cæterum, quæ apud nos acta sunt ad XII. Maij, ex exemplo literarum quas ad Ill. Electorem dedimus intelligetis: Nil enim dubitamus, illum vobiscum communicaturum. Periucundum, imo perneceſſarium eſſet, nos de rebus Gallicis & Flandricis penitus quamprimum certiores fieri: quare vt eorum accuratius perſcribatis rationes, rogamus. Iudicium vero & de noſtris perquirimus. Nil dubito Ex. T. apud illuſtr. Aurangiæ Principem officiũ amici in me commendando præſtitiſſe. Quod ipſum, meque vt cœpiſti charum tibi habere non ceſſabis: quem fœliter ac beatum viuere & valere optamus. Datum Cracouiæ XIX. Iulij, Anno MDLXXV.

Excellentiæ tuæ bonus frater

PETRVS à SBOROW
Palatinus, & Capitaneus
Generalis Cracouienſis
manu prop.

V.

V.

Fido Christi seruo, Dn. Thomæ à Tyl, fratri ac symmystæ obseruando, Heydelbergæ.

Priuata. MI frater: gratulor tibi hunc animum, & hanc à Domino vocationem. Nos pergimus stadium nostrum decurrere. Quod me excitas, vt alias epistolas pergam edere, vix mihi suaderes, si nosses quomodo sint illæ, quas edidimus à nonnullis exceptæ. Itaque etsi in cuiusquam gratiam nunquam, vt spero, discedam à veritate: neque vel tantillum à meo cursu deflectam, tamen diuersum mihi consilium, ad tempus saltem, sequẽdum arbitror. Bene est, quòd Dominus tandem apud tuos manum suam potenter exeruit, quod beneficium vtinam sit firmum ac diuturnum. In Gallia quoque nostra adhuc omnia locis omnibus optimè cesserunt: vt nihil nobis æquè nunc metuendum videatur

deatur atque hoc vnum, ne rebus secundis iram Dei rursum in nos prouocemus. Maximus est nouus iste motus, quem vtinam maxima tranquillitas consequatur. Nostri omnes tui memoriam seruant, & tibi salutem dicunt. Dauidem meum non est cur tibi commendem. Tantùm rogo, vt quum in vrbem veneris, cessantem & natura sua tardiorem expergefacias. Bene vale, mi chariss. frater, vnà cum vxore & Theodorulo nostro, tota deniq; familia. Idem vobis vxor quoque mea precatur, Dn. Iesus vos seruet. Geneuæ, XV Martij, MDLXXIV.

Tuus BEZA.

VI.

Clariss. viro D. Hadriano Mylio, Regio Senatori apud Hollandos.

QVod rarius ad te scribo, ornatiss. Myli, id puto te in eam quam debes, partem accipere: ni- *Politica.*

mirum non obliuione tui, amicitiæque noſtræ arctiſſimæ id accidere, ſed quia, aut nihil habeo, quod ſcire te tua referat, aut ſi quid ſit, id eius generis non ſit, quod literis rectè committi hoc tempore queat. Nam de amore erga te meo dubitare nullo modo te puto, vt tuam erga me beneuolentiam in dubium vocare nefas ducam. Vtinam autem vota mea propè quotidiana tantum habeant ponderis, vt priſtinæ tuæ ſanitati queas reſtitui, atq; hîc Reip. potius vtilis ſis, quàm iſthic τῖς ἰατρῶν παγοί! Sed ſpero Dei benignitate nos te propediem cum gaudio maiore ſanum hîc atque tibi reſtitutum reuiſuros, vt tum ſerio σωτήρια templis poſſim dicare. Sophocles tandem prodijt, cuius ad te exemplar mitto: doleo illum typographi incuria tam multis mendis ſcatere. Ego puto te intellexiſſe, Mechlinia relicta Traiectum me conceſſiſſe, ex tranquillo nimirum tutoque portu in altum procelloſumque pelagus abreptum.

abreptum. Vtinam meo bono vel potius Reip. Sed nullis excusationibus locus patuit. Vale optime atq; chariss. amicorum. Raptim, Vltraiecti, Non. Ianuarij MDLXX. Stilo Traiect. Vxor te amantiss. salutat.

Tuus ex animo

G. RATALLERVS.

VII.

Clarissimo viro D. Adriano Mylio Regio Senatori apud Hollandos, Patauij.

S. D.

EX quo in Hungaria sum, bis omnino ad me Bracherius noster scripsit. Cui ego respondi diligentissime, ac nuper alias literas ad eum dedi, quæ vereor vt sint perlatæ. Rescripsisset enim mihi pro amore nostro mutuo, præsertim cum tuas & fratris ad me literas mitteret, quibus nescio cur suas non adiunxerit, sed *Familiaria.*

ſuſpicor fuiſſe occupatum, & eſſe etiamnum magis quam velit. De eius erga me beneuolentia neque dubitaui vnquam, neque dubitabo quoad viuã, cum ego mihi ſim conſcius perpetuæ & ſummæ meæ in illum voluntatis, ſed me ſolantur literæ tuæ, in quibus ſcribis illum ad me plurimas dediſſe literas. Perierunt ſcilicet hæ literæ, nam ego præter binas nullas omnino accepi: Id mihi ſummo dolori eſt, quia fuere fortaſſis in illis quæ me ſcire oporteret. De valetudine tua minus firma ſane quam doleo: mea eſt eodem ſtatu quo fuit, cum ex Italia deceſſi. Reliqua ſunt non ſecundiſſima, etſi nondum me huius peregrinationis pœnitet. Ad te bis dedi literas ex Hungaria, vnas accepi. Velim ſcire quis ſit Belgicæ noſtræ ſtatus, & quando in patriam cogites. Scribam ad te & ad Bracherium noſtrum frequenter, ſi ſciero vbi habites: quanquam video plurimas & meas ad amicos & amicorum ad me

literas

literas interire. Hoc anno statuam in Hungaria viuendum mihi sit, an in Italiam redeundum. Nam in Flandria habitare consilium non est. Hic nihil est noui. Pacem cum Turca colimus. Istinc scribi lege vetitum est. Vtinam eadem diligentia ab exploratoribus sibi caueant, Iudæis, Græcis, Turcis, deniq; Christianis. Zindelino nostro salutem meis verbis, & optimo nobilissimoq; Hutteno. Ad Bracherium nostrum scripsi, quas literas velim ei reddas. Vale mi Myli, Posonij, Idibus Aprilis. Anno MDLXXII.

Tui studiosiss.

NICASIVS ELLEBODIVS.

VIII.

Fido Christi seruo, Dn. Tilio, fratri ac symmystæ charissimo, Heydelbergæ.

Historica. MItto ad te, mi frater, exemplum literarum mearum ad Duditium, quod iam pridem accepisses, si tabellarius satis idoneus sese obtulisset. Suspicor enim te iam esse ad tuos profectũ: quod si ita est, Deum opt. max. precor, vt te non tantùm ijs donis cumulet, quæ ad muneris nostri functionem necessariò requiruntur, verum etiam aliquo extraordinario robore fulciat, ad ea foriter superanda certamina, quæ tibi subeunda prospicio, vt qui experientia didicerim, quàm parum Christo cum Marte conueniat. Sin verò adhuc istic hæres, eundem oro & obsecro, vt te sancto ac prudente consilio regat, ne temere & nullo cum fructu teipsum vltrò tantis tempestatibus committas, quarum quis

sit

sit futurus exitus ego certè ne conijcere quidem possum. Quod ad nos attinet, Dei beneficio nulla iam pestis in vrbe mentio, sed pesti successerunt tertiæ & continuæ febres, ex quibus innumeri penè decumbunt, vt & in tota vicinia, & in maxima Galliarum parte. Messis fuit exigua, neque magna vindemiæ spes est. Sic pergit Dominus orbem terrarum ad resipiscentiam vocare, & vtinam mundus sub ferula saltem proficeret! Duo ex nostris diaconis, optimi viri, & mihi, vt tu nosti, vicini, Iulius & Dalamantius, quum has ad te darem, animam agebant. Cæteri fratres & amici adhuc valent. Schola iacet, quam tamen sustinemus quantum possumus. Scriptionem illam de sacramẽtis, quam tantopere vrges non possum mihi persuadere vtiliter à me suscipi posse, quòd plerosque illorum, qui ista seriò curant, illorum dico, qui veritatem oppugnant, certo sciam, egere potius conscientia, quàm scientia,

vt mihi quidem prorsus omittendi videantur. Reliquis verò per errorem peccantibus, satis superq; multa multorum hac de re scripta sufficiunt. Denique vix credas quàm mihi sit molestum ac laboriosum toties inculcata reponere: & Deum sæpe precatus sum, vt hic mihi suggereret, quid facto sit opus. Nunquam animum meum sensi ad id suscipiendum impelli, nullum alioqui laborem defugiturus, si quid inciderit, cur hoc silentiam abrumpere me oporteat. Quod superest, mihi gratissimum feceris, si quàm sæpissimè, & quam copiosissimè ad nos scripseris. Fratres omnes te plurimùm salutant. Bene vale, mi frater charis. vnà cum vxore totaq; familia, quam etiam vxor mea saluere plurimum iubet. Clariss. viros & fratres mihi obseruandos D. Lanoium, & D. Marnixium, velim nominatim ex me salutari. Dominus Iesus te custodiat ab omni malo. Gen. 24. Aug. 1572.

Tuus BEZA.

IX.

IX.

Clariſs. ac Nobili viro, D. Adriano vander Myle, Regio conſiliario in Hollandia D. & amico ſuo honorando, Venetijs.

S. P.

VSus ſum tuo conſilio. Nihil prudentius, nihil oportunius. Literas tuas legi Pinello. Miratus eſt hoc accidere potuiſſe: ſed quoniam accidit, inquit, feras æquo animo, & quæſtum te feciſſe putato, quoniam amico gratificatus es. Ita hæc res tuo tum conſilio, tum humanitate exitum habuit eum quem volebam. Ego die craſtino me in viam dabo: ita quidem certo conſtitui. Tua in me beneuolentia quam literis tuis declaras, mirabiliter delector, ſimul ac venero quo volo, faciam te de omnibus rebus certiorem, vt & officij mei ratio poſtulat, & voluntas tua. Vale, Patauij XXIII Apr. MDLXXI. *Priuata.*

Tui ſtudioſiſ.

NICASIVS ELLEBODIVS.

X.

Nobili & clariſs. viro D. Adriano Mylio, Senatori Regio, Venetiis.

Hiſtorica. Varia.

QVod tibi Venetiis diſcedenti ſpopondi, me ad te quæ huc à Belgis afferrētur perſcripturum eſſe; vellem equidem hac mei functione muneris, ita per rerum nouarum conditionem tuæ ſatisfieret exſpectationi; quemadmodum animus meus in re aliqua grata tibi nunciāda gaudio perfunderetur ſingulari, ſed tabellarius qui hac aduenit hora ita eſt inanis, vt niſi mei promiſſi fidem abs te accuſatum iri vererer, ab omni plane ſcriptione me continerem. Huttenus tamen noſter à Philippo Camerarij F. accepit literas, quibus perſcribitur, res in Belgio in ſummo adhuc verſari diſcrimine: tentaſſe quidem oppugnationem caſtrorum Albani Auranſium, ſed cum ſuorum eſſe cum ſtrage repulſum. Exſpectari ab Albano auxiliares

xiliares copias Gurmanorum, peditatus prope innumeros; equitū, quos iam Holsatiæ dux miserit milia tria, quos Petrus Ernestus Mansfeldius adducat, mille quingentos, ac totidem Comite Lewensteinio duce. Atque tantum de Belgicarum rerum statu: sed & Poloniæ regis electionem non minus esse turbulentam: quod alio ecclesiasticorum siue sacrificorum inclinēt animi: aliò alij regni Polonici proceres ferantur, quorum tametsi numerus est frequentior, tamen alterius maior esse videtur, aut saltem non minor auctoritas, & quod Lithuania sibi peculiarem depoſcat ducem, atque huc Moschum & Suecum aspirare. De victoria quę afferebatur nudius-quartus nauali ad Patras, altum silentium: ac tantum abest, vt Veneti eo nuncio exhilarati esse videantur, vt aduersi potius aliquid se metuere non obscure præ se ferant. Neapoli quoque est allatum, classem nostram ad Cephalenen, XXII. die Septembr.

Septemb. esse conspectam, atque inde tantum centum passuum millia hostilem Turcarum abesse classem; ita vt spes sit, prope eos abfuturos à pugna nauali, quæ res, siquidem vera est, rasos istos cucullati gregis vates vanitas arguit, tametsi iste qui hîc ad Carmelitas moratur, inficiatur quidquam à se esse dictum, quod quidem ipse aut sciat, aut meminerit: & si quid cum sacra faceret dictum à se est, id numine afflatum pronunciasse se videri vult. Hæc ad te tumultuarie scripsi, scripturus & accuratius & copiosius de rebus omnibus quas te scire velle iudicabo, cum me, quo locorum aut gentium literas ad te mittam docueris. Vale, Huttenus & Zindelinus tibi salutem adscribi voluere, Venetiis, v Sept. MDLXXII. Cum ad me scribes, mittes litteras tuas ad Vincentium Valgrisium bibliopolam. Iterum vale.

Cum literas has essem obsignaturus, intelligo nonnullis è Germa-

nia

nia esse scriptum, Comitem Palatinum Rheni iterum nõ contemnendum numerum auri signati esse nactum, qui in Belgas secundo Rheno perferebatur & mercibus aliis erat inclusus.

Tuus

PETRVS ROSINVS.

XI.

Dn. Thomæ Tilio, fratri ac symmistæ obseruando. Heidelbergæ.

SPerabam omnino fore, mi Tili, vt profectionem tuam reditus meus anteuerteret, alioqui te insalutato minime tam procul abiturus. Sed aliter Deo visum est, qui, vt tu vere scribis, etsi nos corporibus disiunxit, animis tamen ita deuinxit, vt nihil sit propterea de amicitia mutua nostra discessurum. Binæ certe literæ tuæ, quas tanquam beneuolentiæ tuæ pignora discedens apud me reliquisti, mihi periucundæ fuerunt, quod *Variæ*

quod in iis animaduerterim expressa singularis illius tuæ probitatis & synceritatis testimonia. Idem te velim de me statuere, quam exspectationē tuam nunquam fallam. Quod ad Nemausensem Synodum attinet, fuit, Dei beneficio, satis frequens & admodum pacata. Ramus ipse non sustinuit adesse, neque ex illis Democraticis quisquam. Sed quum præ manibus essent eorum scripta, quam diligentissime excussa sunt omnia & singula eorum argumenta, & quidem publice, facta omnibus dicendi potestate. Quid plura? vicit veritas, & diserte cautum est, ne quid in confessione vel disciplina nouaretur. Huic decreto si paruerint illi, bene erit; sin minus, Deum videlicet ecclesiæ suæ vindicem experientur. Iter commodum habui Nemausum vsque, sed in reditu coactus vitandis quorundam insidiis longam & asperam viam inire. Præter alias molestias magnum etiam periculum vitæ incurri, aece-

pto

pto secundum genu ingenti vulnere in dextra tibia, ex equi calce, ita tamen Domino rem omnem temperante, vt non modo neutrum os tibiæ sit fractum, verum ne vehementius quidem contusum, adeo vt intra sextum diem equitare mihi licuerit, & iam persanatum sit vulnus. In Gallia videtur pax publica certò constituta, & mirabiliter crescit opus opus Domini, si multitudinem audientium spectes: sed perpauci sunt factores, vt noster Paulus loquitur, & valde metuo ne superstitioni succesſerit impietas. Fames illas quas vidi regiones vehementer afflixit, cui probabile est pestem succeſſuram: & sane nihil non meretur cor illud plurimorum pœnitere nescium. Itaque, ne tertium quidem flagellum, externi videlicet belli, procul abesse videtur, classico iam pene vbique personante, & passim discurrentibus militaribus copiis. Horum porro bellicorum motuum vtinam sit lætior, quam superiorum

exitus,

exitus. Tibi quidem & aliis ad istiusmodi minime comparatis nunquam suaserim, vt sese his turbis immiscerent, vbi nec Christus quidem ipse exaudiretur. De rebus nostris. Rursum XV ab hinc diebus, erupit pestis & quidem satis violenter, & eodem tempore allatus est ad nos nuntius de Niuernensis morte, quæ magnum proculdubio nobis vulnus inflixit. Thalassiarchus etiam tertiana laborare nuntiatur, quem hominem vtinam saltem Dominus nobis conseruet. Etsi enim à solo Deo pendemus, hoc tamen erepto non habent in terris apparens præsidium Ecclesiæ Gallicæ. Cæterum, vtcunque res humanæ cadant, consolemur nos, & erigamus illa spe, quæ fallere nos non potest. Incœpi legem profiteri in schola, eo ipso ordine quem sum in concionibus sequutus. Tu me precibus tuis adiuua, tantam rem aggressum. Si haberem mearum cõcionum epitomen, multum me iuuarent. Nam ego quidem

nihil

nihil mihi annotaui, & Caluardus abest, nostri quantum conijcio pene oblitus. Quid tibi possim de illa scriptione polliceri quam flagitas, non habeo, sic intertubatus singulis momentis, vt nullum priuatis studijs meis modum possim præfinire. Vtinam mihi liceret in angulo aliquo latitare, non vt essem otiosus, sed vt à reliquis curis semotus possem cogitationes aliquot meas, posteritati fortasse non inutiles futuras, scriptis mandare! Nunc vt res sunt, hinc inde agitatus ad metam propero quantum possum. Colladonius adhuc is est qui fuit. Alter heri consistorio satisfecit: Dominus & illi, & nobis adsit. Cætera tranquilla sunt, & optimo loco. D. Bernardus iubet te saluere, D. Rosetus adhuc abest fœdus nostrum illud procurans. Collegæ omnes te plurimum salutant, ego autem in primis & vxor mea, tum etiam vxorem tuam & familiam vniuersam. De Datheno nostro valde miror me ni-

hil audire, ac præsertim, an redditæ sint literæ meæ D. Electori Saxoni & Landgrauio, & quomodo sit ab illis meus libellus exceptus: neque id mea causa rogo, sed vt quo loco res ecclesiæ illic sint intelligam. Salutabis illum meo nomine diligenter, itemque Dn. Oleuianum, Boquinum, Tremellium, Vrsinum, omnes denique amicos & fratres chariſſimos. Bene vale mi optime & chariſſime frater. D. Iesus te, tuosque custodiat ab omni malo. Genevæ, v Iulij, Anno MDLXXII.

Tuus BEZA.

XII.

Viro doctissimo Nicasio Ellebodio. Patauium.

S. P.

Familiaria.

NEscis quantopere hodie doluerim, cum intelligerem iter te hac non facturum. Cuperem enim quam

quam maxime te ante discessum præsentem complecti, atque adeo cuperem, si valetudo mea ferret, istuc excurrere, vt ita saltem animi mei desiderio satisfacere possem. Nunc quod faciam aliud non habeo, quam vt tibi certissimè persuasum habeas, me totum esse tuum, atque nullo locorum interuallo fieri posse, vt amor ille qui ex admiratione tuæ virtutis atque eruditionis enatus est, vel aliqua ex parte se remittat. Te autem ex pristina illa tua erga me beneuolentia, qua es humanitate, nihil remissurum certo confido. Bene vale, doctissime Nicasi, Venetijs, XXI. Aprilis, Anno MDLXXI.

Quum mihi scribes, quod, si me amas, facies sæpissime: inscribes Bracherio nostro.

Tuus

ADRIAN. vander MYLE.

XIII.

Georgius Ludouicus ab Hutten Adriano Mylio S. D.

Varia. GRatissimæ fuerunt literæ tuæ, cum quod summa erga me beneuolentia, & humanitate tua singulari erant refertæ; tum quod iter ex animi sententia te confeciſſe significabant. Equidem D. Zindelino & mihi, quibus etiam absens, cum iucunda recordatione semper ante oculos versaris, solicitudinem sæpe adferebat cogitatio itineris longi adeo atque difficilis. Verum ita euenisse, vti optauimus, vehementer gaudemus, tibique gratulamur. Illa vero, quæ post tuum discessum ad nos allata sunt, mihi sane iniucundissima fuerunt: Tibi quidem eo longe acerbissima ea accidere existimo, quod, cum ob summam tuam virtutem atque prudentiam, tanquam è specula quadam, futura mala, totique Germaniæ imminentia prospi-

prospicias; eos tamen, qui & debent & possunt tantis Reip. vulneribus remedium parare nullos perspicias. Feret tandem Germania proteruitatis suæ ac scelerum pœnas: quippe qui non contenti misere afflictis illudere, sed idem malum in nos iam conuersum, non modo non summo studio auertere studemus, sed ne cogitamus quidem. Verum de his me ad te scribere superuacaneum est, quem, hîc cum esses, prudentissime de tantis Germaniæ calamitatibus sæpe conquerentem, non quidem sine dolore, libenter tamen audire solebam. De me vero, quod & honorifice scribis, & optime speras; iterum agnosco amorem in me tuum, cui tu profecto plus tribuere videris, quam ego possim præstare. Dabo quidem operam, vt, quantum in me erit, tuæ, tuique similimorum, id est, optimi cuiusque spei, si non omnino, saltem aliqua ex parte satisfaciam. Studium sane & voluntatem, quę licet parum valeant, vbi fa-

cultas ingenij & virium desit, nulla in re, quæ adolescentem bonum & bonorum amantem decet, à me desiderari patiar. Vale Myli optime, meque mutuo amare perge. Datæ Venetiis, XXIII Nouemb. Anno MDLXXII.

Tuus ex animo

LVDOVICVS ab Hutten.

XIV.

Dn. Thomæ Tilio, fratri ac symmistæ obseruando. Heidelbergæ.

S.

Deploratur lanienæ Parisiensis.

HÆc tibi sic scribo, mi frater, vt velim esse communia cum fratribus & amicis omnibus. Nunc tempus est luctus & planctus, si forte Dominus nostri misereatur. Nullum extat tantæ tum perfidiæ, tum immanitatis exemplum. Quoties autem ego hæc ipsi prædixi? Quoties præmonui? Sed sic Deo visum

sum est, iustissimis de causis irato, & tamen Seruatori. Ignoscesi sigillatim nihil nunc persequor. Indiximus ieiunium & preces extra ordinem. Impletur ciuitas necdum à peste prorsus libera, & febricitantium plena, miserrimis & calamitosissimis hominibus, quos sola auaritia seruauit: nam alioquin nulla, neque dignitatis, neque ætatis, neque sexus habita est ratio. Rex initio in Guisianos omnia transtulit: nunc omnino suo iussu facta scribit, & quos curauit Lutetiæ in lecto trucitandos, homines quibus indignus erat mundus, audet etiã coniurationis accusare. Lugduni omnes (paucis exceptis quos auaritia militum seruauit) primum vltro sese carceri tradiderunt, deinde vltrò iugulum prębuerũt, nullus ensem strinxit, nullus obmurmurauit, de nullo quęstio habita: mactati omnes, vt oues ad cædẽ destinatæ, & tamen coniuratio prætexitur. Tu vides Domine, & requires. Precamini pro nobis, qui aliud nihil

nihil exspectamus, quam ne & ipsi fiamus istius holocausti, veluti aspersio. Non deest tamen officio suo magistratus, sed in Deum spes nostra recumbit. Heri demum literas tuas & Taffini nostri accepi, datas VI superioris mensis. Plura præ mœrore non possum, quamuis non desinam in eum sperare, qui iustorum est vindex, & sceleratorum vltor. Bene vale. Genevæ, X Sept. MDLXXII.

Tuus BEZA.

XV.

Nobili ac clarissimo viro D. Adriano vander Mylen, amico suo honorando.

S. P.

Familiaria.

CLarissime Domine, Iam fere de Lamberto nostro oblitus eram, propter varias occupationes meas, quibus

quibus & in nundinis & hîc districtus fui. Gaudeo me in quietē meam reuersum esse. Solent enim peregrinationes istæ vehementer studia pietatis perturbare, licet corpori vtiles sint. Noui hîc nihil est præter summam caritatem frumenti. Vites partim corruptę sunt, partim immaturæ. Multi non imprudentes viri metuunt nouam rusticorum seditionem. Ex vestris partibus nihil huc adfertur: quare gratum feceris si aliquoties ad me de statu patriæ vestrę scribere non grauaberis. Iudicium Dei, quod hactenus fuit in domo Dei, spero breui in infideles conuersum iri, Amen. Pietatem quam colis, magis ac magis tibi commendo, ne participes malorum fiamus quæ in mundum peruētura sunt. Bene vale amantiss. Domine. Affini meo fratri tuo, vnà cum vxore sua omnem à me salutem & reuerentiam. Salutat etiam vos quam amanter vxor mea, quæ dolet sibi non fuisse integrum Coloniæ vos inuisere. Iterum vale. Vrae

Raptim Herbipoli x. Octob. Anno MDLXXIII.

Tuus ex animo

AGGÆVS ALBADA.

XVI.

Clariß. doctiſſimeq; viro Dn. Adriano Mylio, Senatori Regio apud Hollandos, Dom. & amico ſuo obſeruando, Coloniæ.

S. D.

Familiar. Publica.

CVm nuncius hic Curiæ Traiectenſis Heydelbergam iter haberet, etſi nihil magnopere erat quod ſcriberem, ſcribendum tamen putaui, vt te ad reſcribendum excitarem. Memoria tui mihi iucundiſſima in intimis hæret, & quo es propinquior eò grauius abſentiam tuam mihi ferre videor. Cùm procul in Italia aberas, quia tui videndi nulla ſpei via patebat, non tam acriter

punge-

pungebant desiderij stimuli. Sed tamen quantumcumque nunc sit desiderium, æstuare eo malim, quàm te spectatorem esse calamitatum, quæ nobis quotidie ob oculos versantur. Nos autem etsi nullo adhuc proprio malo laboramus, communes tamen miserias sentimus, atque pro eo ac possumus, fortiter ferre discimus. Non dubito, quin iam isthuc perlatum sit, Dn. Comitem à Bossu, nauali prælio hoc mense superatum. Hornæ adhuc detinetur, sed fama est eum Delphos perductum iri. Non sine sanguine pacta est victoria. Capta est ex nostris prætoria nauis, atq; alia in fundum depressa. Aliquæ in portum Amsterodami saluæ perductæ. Hesterno die Albano Duci faustum in Hispanias reditum ex mandato Senatus precatus sum. Aiunt successorem attigisse iam has prouincias. Faxit Deus vt meliore fato. Prolixiorem esse nuncij festinatio me non sinit. Itaque vale opt. atq; amantiss. Myli,

valetu-

valetudinique eam da operam, vt confirmatum planè videre te atque amplecti possim, nihil mihi optatius poterit accidere. Vltraiecti 1111 Non. Nouembr. An. M D LXXXIII. Fratri tuo opt. viro vxorique eius lectissimæ multam ex me atque vxore mea salutem.

T. d. addictiss.

& tanquam frater

G. RATALLER.

XVII.

Dn. Thomæ Tilio, fratri ac symmistæ obseruando. Heidelbergæ.

De statu Gallia.

MI frater: Et si tristissima sunt fere omnia quæ scribis, prodest tamen hæc ad nos perscribi, vt eo ardentius precemur. Itaque de tua ista diligentia magnam tibi gratiam habeo. In Gallia fortiter ad extremum parata est Rupella resistere immanissimorum tyrannorum conatibus.

tibus. Idem videntur facturi Montalbanenſes, & aliquot præterea illius tractus oppida. Nemauſenſes & Cemeniorum montium incolæ, itemque Viuarienſes, toti adhuc noſtri ſunt, & Sancerra in Biturigum agro. In reliqua Gallia fuit & eſt incredibilis defectio, quæ tamen vſque adeò non pacauit immanes illas feras, vt etiam eos qui defecerunt (qui penè ſunt innumerabiles) ſemel ad internecionem vnà cum integris familijs trucidare prorſus decreuerint. Ita enim ſtatutum ab illis fuit die XXVII Octobris, neque aliam ob cauſam adhuc dilata eſt hæc carnificina, quàm vt interea blanditijs & commentitijs quæ diuulgant edictis vrbes adhuc repugnantes recipiant, extraneos demulceant, nonnullos denique profugos rurſum in naſſam compellant. Iſtos conatus tam immanes vtinam è cælis compeſcat Dominus. Quàm enim vanum ſit terrenum præſidium, plus ſatis experti ſumus.

Cæterùm

Cæterùm excuditur nunc alterum mearum Theologicarum lucubrationum volumen, cui noua nonnulla ac præsertim Theologicas aliquot epistolas inserere decreui, si tantum nobis otij concedat Dominus. Aduentantibus nouis hospitibus migrauit repente pestis, singulari Dei beneficio. Schola iam plena est, ac pene redundans, sed miseris & prorsus inopibus plerisque. Nostri, ac præsertim D. Rosetus, & D. Bernardus te vicissim salutant, & collegæ præterea omnes. Bene vale, mi frater, vnà cum vxore totaque familia, Amicis istic omnibus salutem. Geneuæ, III Decembr. MDLXXII.

Tuus BEZA.

XVIII.

Nobili clarissimoq; viro D. Philippo Marnixio de Aldegonda, Domino & amico suo honorando.

Intercessoria.

PRæstantissime Domine, fretus insigni tua humanitate, & pro veteri nostra amicitia compellare te in pia

in pia quadam causa volui: nempe, vt tua interceſſione liberari è vinculis poſſit vetus Dn. Hopperi & meus famulus. Nomen eius eſt Lambertus Baken Leodienſis. Cum caperetur, Quæſtor fuit aggeris S. Martini in Zelandia, &c. In Zirckzee captiuus abductus eſt, vbi adhuc eum detineri intelligo. Hanc gratiam non ſolum nos à te petimus, ſed & ipſius innocentia ac probitas hoc ipſum promerentur. Qua in re iterum tibi gratificari potero, inuenies me ſemper paratiſſimum. Bene vale honorande Domine. Vxor mea quam amanter te ſalutat. Herbipoli x x Octobr. Anno MD LXXIII.

D. T. addictiſs.

AG. ALBADA.

XIX.

XIX.

Nobili & clariſs. viro D. Adriano Mylio, Senatori Regio, Venetias.

Familiaris de religione diſſertatio.

CLariſſime Domine Myli. Cum in iis quæ tibi aduerſa accidunt conſolationem à Domino habeas, non neceſſe eſt vt ego quicquam adijciam. Illud tandem rogo, vt idem Dominus pro ſua miſericordia in te, & in omnibus qui paria patiuntur magis ac magis augeat. Quod tibi ſcriptum meum non omni parte ſatisfecerit, nihil mihi noui accidit, qui quotidie ab aliis amicis, quorum proſperitati & ſaluti ſimiliter conſultum poſtulo, idem experior. Nonnulli etiam propterea mihi inimici facti ſunt, & ex his quidam iam perierunt, quidam omnia bona ſua amiſerunt, nec amplius quicquam ex terrena ſua ſapientia conſequuti ſunt, quam conſcientiam cauteriatam, & mentem odiis, inuidiis, & homicidiis commaculatam, quos Dominus

minus pro sua misericordia rogo vt resipiscentes tandem in viam reducat. De te vero, mi Myli, meliora spero: non longe enim à veritate mihi abesse videris, & quicquid te in literis meis offendit ab amore proficisci animaduerto. Non est mihi nunc otii satis, vt ad singula tua replicem, sed attingam tantum ea, quæ ad mutuam institutionem & charitatem inter nos conseruandam pertinere arbitror. Ad primum caput meum vbi incipis, *vidi ego*, &c. Et ego amantissime Myli, ista vidi olim cum multis lachrymis, sed de his nulla inter non est controuersia: ego non solum illos in isto cœtu, quem tu solum pusillum gregem appellare videris, pro martyribus Christi habeo, sed & omnes Anabaptistas & quoscunque alios qui pro minima veritate Dei, quam à Spiritu Christi habuerunt, occisi & exusti sunt. Quę deinde scribis facile mihi persuadeo, causam fuisse politicam, imo si quid amplius vis, causa fuit à princi-

pe mundi ſuſcitata, nempe ambitio, ſuperbia, & regnandi inter principes illos cupiditas. Conſidera initium hiſtoriæ Gallicæ, ſed quid hæc res ad oues Chriſti? Nihil, inquis: nam ex eo, quod excuſas illos, non videris aliud quam ego ſentio reſpondere: an autem verum ſit, amplius nihil dico, quam quod facta non ſolum eorum qui ..... fuerunt, ſed & miniſtrorum qui apud nos, & in Germania ſunt, contrarium hactenus oſtenderunt & adhuc oſtendunt. Vnius ſcriptum Caſtalionis vidi contra iſtos motus, ſed nullius alterius ex iſto cœtu. Interpretationes noſtras relinquo in medio, donec Dominus alterutri noſtrum melius aliquid aperuerit. Ad id venio quod tertio capite de doctrina eorum ſcribis, hic patieris mihi è contrrrio falſa eorundem dogmata annotare, ex quibus iudicare poſſis an ſcripta omnia ab ingenio, an ex luce ſpiritus orta ſint. Cum huc peruenisſem, ecce nuncius, qui diutius

ſe ex-

se expectare posse negat. Itaque illa non datur mihi modo absoluere, sed reseruabo in proximum nuntium: interea mitto tibi iterum libellum aliquem, de quo oro vt mihi tuum iudicium perscribas. Nihil adeo cupio, quam vt alter alteri ad veritatem in gratia spiritus, iuxta Dei voluntatem manum porrigere possit. Bene vale, optime & amantissime amice, in eo, qui nos dilexit Christo, Domino & Deo nostro, in cuius schola institutis, facile inter se conueniet. Herbipoli, XXIII Ianuarij, Anno MDLXXIII.

XX.

Fido Christi seruo, D. Tilio, fratri ac symmystæ obseruando. Heidelbergæ.

EGo vero, mi Tili, magnam tibi gratiam habeo de vtrisque tuis ad me literis, plenis singularis in me

De statu Galliæ.

minus. Vellem multas meas chartas quibus tota Gallici primi ciuilis historia, adeoque rara & admiranda multa continentur, remotiore ab hostibus loco esse, vt si quid forte nobis humanitus contingat, ista non pereant, maximo Ecclesiæ damno. De Duditij epistola facies quod censueris expedire. De Belgicis rebus mirum est istic vos quotidie non audire certiora. Obsecro enim, quî nam hæc cohærent cum iis quæ secunda huius mensis ad me D. Sulegerus ipse perscripsit? Et tamen non ignoras quam omnium interfit, quid illic geratur, à nobis quoque certò intelligi. Ergo hic quoque vt in reliquis fere omnibus prudentiores esse video filios huius seculi, quam filios lucis, qua de re tamen ipsos admoneri expedit. In summa, video nobis aliò, quam ad hominum brachium esse recurrendum: quamuis ne hoc quidem contemnendum arbitrarer, si satis religiose bella Domini possent administrari. Sed age,

animas tamen noſtras, quocunque res cadat, in ſpe & ſilentio poſſideamus. Salutant te viciſſim amici & fratres omnes. Bene vale, mi chariſſime frater, cum vniuerſa familia tua. D. Ieſus ſatanæ rabiem compeſcat, & breui adueniat ſuos vindicaturus. Geneuæ, XXII Octob. Anno MDLXXII.

Tuus BEZA.

XXI.

Nobili & clariſs. viro D. Adriano Mylio, Senatori Regio, Venetias.

S.

De officio pij viri in religionis diſſidio.

CLariſſime & amantiſs. Domine. Te Spiræ ſubſtitiſſe vehementer gaudeo: metueram enim ne quo affectu humano in patriam proficiſcereris, & implicareris illi negotio, ex quo te poſtea non niſi ſingulari Dei gratia extricare poſſes: vt taceam ne ei ſuccumberes, & multi

tuo

tuo exemplo tecum ad æternam animæ vestræ perditionem. Quod vt cognoscas melius, non molestum tibi erit, si nonnihil tecum de ijs locis quos allegas conferam. Primum fateor adesse illos dies afflictionis, quam indies magis ac magis sentire incipimus: fateor etiam hanc ipsam afflictionem extremum iudicium præcessuram. Sed nunc porro te considerare velim. Qui sint afflictionem istam excitaturi, A quibus immittetur, & super quas personas veniet. Postremo quid pios in hoc tempore facere conueniat. Quoad primum ex his verbis Domini intelligitur, *Surgent multi Pseudochristi & Pseudoprophetæ*, &c. quorum animus qualis sit non solum ex Pseudoprophetis veteris testamenti, sed & ex iis in nouo testamento iam multis retro temporibus, proh dolor, cognouimus. Clarius hæc ponuntur, Apoc. XVI. num. 13. & 14. *Et vidi ex ore Draconis*, &c. Nota quæso diligenter hunc locum. Sine dubio

I. Matt. 24.

per illos spiritus denotantur illi sectarum Doctores, qui docent, pro regno Christi arma suscipienda esse, vel qui in regno Christi quærunt
II. brachij secularis protectionem. Secundum explicatur per verba eiusdem Euangelij. *Insurget gens contra*
c. 19. *gentem*, &c. Item per Esaiam: *Commiscebo Aegyptios in Aegyptios, pugnabuntque vir in fratrem suum, & vir in amicum suum, ciuitas in ciuitatem, & regnum in regnum.* Hic cogita, an vna pars Christiani erunt. *Gens*, inquit, *in gentem, Aegyptij in Aegyptios*: hoc est, mali in malos. Christus monet suos cum hæc euenerint quidnam facere & exspectare debeant: ergo
III. non ipsi vnà in factis sunt. Ex his etiam tertium intelligitur, quod prout olim Iudæi ob contemptum Christum miserabiliter puniti sunt: ita nunc gentes ex eadem causa punientur. Metuendum est, ne plenitudo gentium facta sit. Causa contempti & ignorati Christi fuerunt sectę: eadem nunc causa, nam reuera

(ignosce

(ignoſce quod dico) Chriſtus ab omnibus ſectis (de pijs qui ſub illis latent & habitant, nouit enim Dominus ſuos, non loquor) contemnitur, & ignoratur, & maxime ab ijs quem tu puſillũ gregem æſtimas. Quomodo pœna Iudæis immiſſa fuerit, rogo vt conſulas Hiſtoriam Iudaicam, & videbis noſtra facta conuenire. Arbitror etiam pœnam noſtram longe acerbiorem futuram, cuius exemplum in Gallia iactatum eſt: nec eſſe niſi ludum & iocum præ ijs quæ imminent, maxime in eos quorum pœna adhuc tardatur, vide fin. c. 16. ſub qua plaga iam ſumus, vnà cum cap. ſeq. 20. Vltimum his verbis declaratur: *Si ergo dixerint vobis, ecce hic, ecce illic: nolite ire neq; ſectemini.* Item: *Tu populi mi, ingredere cubiculum tuum, & claude oſtium tuum poſt te, abſconde teipſum paululum ad momentum, donec tranſeat ira Dei*, quod & præterita omnia ſatis indicant. Illud, *Exite* quoque Apoc. XVII. neſcio an ad ſolos P. pertineat cum capite præcedenti dicat IV. *Eſaiæ 26.*

cat ciuitatem magnam in tres partes factam esse, in qua sedirione ciuitates gentium cadunt. Christi præceptum generale est: in quo ergo loco pœna incipit ibi illud, *Exite*, à pijs practicari debet, quod vtrique etiam nostrum sequendum censeo. His ita explicatis redeo ad literas tuas. Quod præclarius nunc sentias de cætu illo externo, quia omnia illi eueniunt quæ Dominus exiguo illi suo gregi præuentura dixit, si intelligis, quæ ratione belli illis immittuntur, consentire tibi non possum: quanquam innocentibus coronam martyrij minime detractam velim, sed qui ob sumptum gladium gladio cõtraeunt, hos iudicio Dei relinquo, vtinam non magis de gente, quam de grege illo sint. nisi aliud mandatum à Deo habent quam quod scriptura perhibetur. Vellem etiam libenter ex te intelligere, quis sit pusillus ille grex Christi, cuius sit naturæ, an ex ouibus an ex lupis constet. Quis etiam pastor eius, & quibus

Permixti inter se sunt alij in alios & magis adhuc permiscebuntur. P. L. C

bus ille armis vtatur, in quo mundo & pro quibus rebus pugnet. Non debemus nobis ipsis oculos claudere, vt sine iudicio totas regiones, factiones, & nescio quos homines pro grege Christi habeamus. Ego libere tibi dico, me nullum doctorem nec discipulum ex numero gregis reputare, qui arma pro religione suadeat vel accipiat. Ignorantiæ quorundam misereatur Dominus. Omitto quæ politice pro rebus ciuilibus à politicis committuntur. Loquor tantũ quæ fieri debent à Christianis pro rebus Christi. Hic est sanctorum patientia, inter quos si salui fieri volumus, & nos reperiri necesse est, non in eo cœtu qui ab illa patientia ad vindictam transilit, cuius obsecro, te, ne cogitando quidem participem facias. Qui signo Thau notati sunt, euadẽt pœnas Gentium, sicut olim Christiani euaserunt pœnas Iudęorum, sed non euadent crucem Domini sui, quæ in innocentia portatur & toleratur, cuius fructus est

Lege quæso Ezech. c. 9

est pax, iustitia & vita æterna: cum hoc discrimine reliqua facile diiudicabis. Oro te, vt in veritatem paulo diligentius inquiras, & senties vera esse, quæ supra dixi. C..... in multis mihi seruiuit, sed in gratia & luce Christi postea deprehendi doctrinam eius multis erroribus esse implicatam, qui ab eius discipulis non modo non corriguntur, sed etiam augentur. Hinc fructus illi. Bene vale, amantiss. frater, in eo qui nos dilexit Christo Domino & Deo nostro. Herbipoli 5. Dec. M D LXXII.

Tuus AG. ALBADA.

EPIGRAMMA
DE LATROCINIO Parisiensi.

PHœbus vt exoriens hominum tot millia vidit
Occisa ad ripas, Sequana clare, tuas:
Attonitus, superis ait, haud crudelior vnquam
Visa est luminibus canificina meis.

ALIVD.

ALIVD,

SEquana qui Paridis liquido pede permeat vrbẽ,
Sanguine vt humano crescere sensit aquas;
Et cælum miseris impleri vlulatibus, omnes
Perstrepere arma vias, perstrepere arma domos,
Me miserũ exclamat, quænam hæc inopina tyrãnis,
Iam ne tenent sæui mœnia nostra Getæ?

ALIVD,

VT magni laceros Amiralli viderat artus
Religio, hos lachrymans protulit ore sonos;
Talia nempe meis dat præmia mundus alumnis,
Hos tamen in cœlo præmia digna manent.

ALIVD,

QVi sanctam violare fidem fas ducit, & inde
Laudẽ etiam captat, quid putet esse nefas?

XXII.

Dn. Thomæ Tilio, fratri ac symmistæ observando, Delfum.

S.

VErè ingens est hoc opus, & cui ne angeli quidem per se pares esse possint, quod nobis imposuit Dominus, & hanc in ipsa re positam difficul- *Familiaria.*

difficultatem augent mirum in modum refractaria hominum ingenia; ac præsertim istorum pertinacia per quos Satanas efficacissime constituit opus Domini interturbare. Sed per istas difficultates tamen nobis eluctandum est, mandato ac bonitate Dei nostri fretis, & culpa saltem præstanda in plantando & rigando, coram eo qui pro bona sua voluntate dat incrementum. Quin hoc sedulo istic à te cæterisque fratribus fiat, mi frater, non dubito, quibus & nos quotidianis precibus συναγωνιζόμεθα, in vobis præsertim hodie, vt & apud Gallos nostros fratres, idipsum cernentes impleri, quod Nehemiæ temporibus iam olim euenit, quum populus Domini ciuitatem instaurans vna manu trulleam, altera gladium gestare cogeretur. Sed vere nos admonet Apostolus, præcipuam nobis luctam non esse aduersus carnem & sanguinem, quod vos assidue experiri scio, in istis regionibus omnium istiusmodi monstrorum feraciss-

raciſſimis. Hac de re quum ſæpe cogitarem, magnopere probaui Typographi conſilium, qui D. Caluini tractatus omnes Theologicos vno volumine comprehenſos, Latine etiam conuerſis quos ille Gallice tantum ſcripſerat, edere conſtituit. Nec enim quenquam adhuc extitiſſe arbitror, qui plura quam hic noſter iſtiuſmodi monſtra profligarit. Adiunxi epiſtolam Illuſtriſſimo principi inſcriptam, quod & illi, in vobis auctoritate ſua iuuandis, & vobis potiſſimum quibus hoc certamen obeundum eſt, vtiliſſimum hoc opus futurum præſagiam. Itaque meum hoc ſtudium tibi, mi frater, cæteriſque mihi plurimum obſeruandis fratribus iſtic in opere Domini laborantibus approbari velim, quorum precibus memetipſum ac totam hanc eccleſiam etiam atque etiam commendo. Adiunxi autem his literis ſcriptiunculam, quæ vtinam detegendis portentoſis illis hæreſibus quas nonnulli tanto ſtudio

dio ex inferis reuocant, tam profit quam spero & cupio. Bene vale, mi chariſſime frater, vna cum lectiſſima vxore tua, & liberis omnibus. Nos quidem adhuc, Dei gratia, & corpore & animo valemus: Fratrum collegium te ſaluere iubet, itemque omnes ij quibus ſalutem in poſtremis ad me tuis adſcripſiſti. Iterum vale. Geneuæ, XXVI Martij, Anno MDLXXVI. Dn. Marnixium, & D. Taffinum cupio in primis ex me ſalutari quam officioſiſſime.

Tuus BEZA.

XXIII.

Nobili viro Dn. Adriano Mylio, amico obſeruando, Coloniæ.

S. P.

De Republica. BInas Clariſs. D. eodem tempore abs te accepi literulas: quæ mihi ſane, vt omnia tua, pergratę fuerunt, atque etiam lectu non iniucundæ: facie-

faciebant enim (etsi iam id quoque rumore ad nos allatum fuerat) summam nobis de aduentu Comitis Ludouici spem atque expectationem. Quæ tantum in his partibus ponderis atque efficaciæ habuit, vt hac fama hostes exciti iam de fuga consilium capere videantur, bonaque prouinciæ portio hactenus ab hoste detenta, in nostram potestatem reuersa sit. Nec dubitamus, quin, fauente Domino, patria nostra propediem pristinum suum statum libertatemque sit receptura. Qua sane quominus T. Dom. nobiscum vna frui & gaudere liceat per patrem amplius non stat. Dedita enim nuper Middelburgo, cum tuum negotium super reditu apud patrem ageremus, omne id in tuum arbitrium ac voluntatem reiecit. Et siue istic diutius hærere, siue quamprimum huc reuerti malueris, vtrum elegeris id sibi quoque gratum acceptumq; fore affirmauit. Quamobrem cum parentis voluntatem iam

animumque certum exploratumque habeas: cum te respublica patriaque communis, quæ paulatim se reficere ac respirare videtur, reuocet, hicque omnes summo cum desiderio expectent, noli mi D. committere, vt te absentem diutius patria & amici desiderent. Quot commoditates tua præsentia adducas, te non latet. Vt enim illas quas Resp. à te exspectat omittam, Patri, etsi pro ætate adhuc valido, seni tamen, iisque infirmitatibus quas senectus solet adducere subiecto, auxilio & sustentamẽto esse poteris, tum viduę Dn. sororis negotia præsens rectius promoueris. Quæ etsi Cornelius Hermannus diligenter atq; ex fide gerat, tamen non dubium est, quin tua auctoritas, multum ijs auxilij allatura sit. Hæc fere de rebus domesticis, quibus illud addendum putaui; Patrem tuum bellissime valere, & tam firmiter suam ætatem ferre, vt nemo firmius. Nos quoque, & tui nostrique omnes recte valemus. Publicæ

blicę res ad hunc fere se habent modum. Mittelburgum xx. Febr. deditione in nostram potestatē deuenit, his pactionibus. Vt milites ad vnum omnes illæsi cum armis in oras Flandriæ aut Brabantiæ traijciant. Mondragonius liberationem Aldegondij apud præsidem prouinciæ impetret. Id nisi faciat, iterū in principis potestatem redeat. Recepit quoque in se Mondragonius curaturum se, vt ciues Harlemenses captiui liberentur, in eamque conditionem princeps à Rammekis decem de pręcipuis militum præfectis obsides detinuit: de ciuibus nemo læsus. Omnes in gratiam recepti cum tali conditione, vt principi liberum sit suo arbitratu in pecuniæ summam eos mulctare: in qua quidem re mire principis clementia enituit: cum enim hostes in extremam, paremq;, aut peiorem cum Harlemensibus fortunam redactos accepisset, exemploque quo illi olim in nostros, animaduertere potuisset, tantum

abeſt, vt ſimili atrocitatis genere vſus ſit, & etiã hoſtes plus ſibi quam promiſſum ſit præſtitum eſſe fateantur. In Hollandia hoſtis qui hactenus longe lateque per agros diffuſus fuit, nunc Hagæ in vnum copias ſuas contrahit, abitumque propediem proculdubio parat. Quibus incedit locis diſcedens, parum aut nihil damni dedit, atque à flamma, quod minime ſperaueramus, abſtinuit. Mercatura quoque mirum hic in modum ſuos progreſſus incrementaque acceptura hæc æſtate videtur. Ex Hollandia centum aut amplius mercatoriæ naues Dantiſcum ibunt. Mercatores quoque ab exteris regionibus, edicto (cuius tibi exemplar mitto) reuocantur. Res Zelandicas Princeps iam, vti ſpero, compoſuit, indieſque Dordoraci expectatur, quo in loco ad xx huius menſis diem Hollandiæ Zelandiæq; Ordines conſcripti ſunt. Dergouda parum abfuit quin proditione amiſſa ſit. Inſidiis tamen Dei benignita-

nignitate detectis, in auctores sceleris animaduersum est. Pauci eiusdem conspirationis conscij fuga salutem inuenerunt. Hæc fere sunt, quæ mihi hoc tempore scribenti veniebant in mentem, scripsissemque antea sæpius: verum quia Princeps hinc abest, fit, vt nuncij rarius ad nos commeent. Literas sane ad te nunquam habui cui darem, quin dederim: tu vt idem facias, rogo. Etiam atq; etiam vale, cum fratre & sorore, quibus ex me quam officiosissime salutem impertiri dignaberis. Delphis, v I Martij, Anno M D LXXIV.

Tui obseruantiss.

THEODORVS à Leuwen.

XXIV.

Nobili & clariſs. viro D. Adriano Mylio, Senatori Regio, Coloniæ.

S. P.

De Repub. ETſi nihil erat magnopere, mi Domine, quod ad te ſcriberem, quod ea quæ hic geruntur, ex ſuperioribus meis literis intelligere potueris: tamen hanc nuncij opportunitatem oblatam mihi prætermittere non potui, quin T. D. breue hoc epiſtolium mitterem. Res noſtræ, laus ſuperis, ſic ſe habent, vt longo ab hinc tempore nunquam melius. Hoſtis ad XXII huius menſis Hagam Comitis, aliaque quæ hactenus inſedit loca, ſine magno detrimento reliquit. Equos plurimos ſecum abduxit. Cæterum pecus omne nobis illæſum inuiolatumque reliquit. Nuſquam niſi Leiderdorpæ ab hoſte flamma ſæuitum eſt. Præcipuum damni miles Germanus nobis dedit. Hiſpani præter morem omni-

omniumque noſtrûm expectationem mirum in modum ciuiles fuerunt. Harlemum tamen, quod ex ſumma quam in redemptionem facultatum polliciti fuerant permultum deſideretur, iam diripi aiunt: quantumcunque coniectura cæteriſque indiciis colligere poſſumus, hoſtis eam quoque vrbem relicturus eſt. De Amſterodamo quoque bona ſumus in ſpe. Princeps Dordraci eſt, vbi nunc celeberrimus Ordinum prouincię conuentus eſt. Quid multa? Lacerata hactenus, oppreſſaque Reſpub. tandem reſpirat ac ſe erigit, cui ne quid damni à noſtro milite per rapinas inferatur, diligentiſs. ſeueriſſimeque cautum eſt. Ad hanc tantam tamque inſperatam nobis à Deo Opt. Max. conceſſam felicitatem T. D. inuito. Habes, quod ex ſuperioribus meis, Cornelijque Hermanni literis intelligere potuiſti, parentis voluntatem à tuo reditu non alienam. Inuitat te patria, quæ nihil hoc tempore maius, quam tui,

tuiq; similium præsentiam, operam, auxiliumque desiderat. Nos quoque, quos in amicitiæ partem admittere dignatus es, vehementer reditum tuum expectamus. De negotio sororis ex cognati Hermanni literis intelliges. Vale clariss. Domine, cum fratre, & sorore suauiss. Iis ex me plurimam salutem dabis. Delphis, XXV Martij, MDLXXIV.

Tuus pro viribus

THEODORVS à LEVWEN.

XXV.

Ornatissimo viro, D. Bonauenturæ Vulcanio, amico suo integerrimo, Coloniæ.

S. P.

Priuata. MIrum, mi Vulcani, quanta solicitudine me liberarint tuæ literæ: nõ enim minus ego de te, quam tu de me anxius eras, quod frater meus scriberet, se neq; de te, neque tuo

tuo reditu quicquam adhuc intellexisse: sed bene se res habet, & Christo nostro gratias ago, quod vtrique faustum iter ac fœlicem ad suos reditum concesserit. De Molano belle conijcis: vix enim mutuo aspectu, mutuis amplexibus, mutuis denique colloquiis expleri potuimus: vrgebat vt otiduum tandem ibi consumerem, hospitium quod mihi largiturus erat, ab omni genere circumstantiarum prędicabat. Aderat velut succenturiata vxor. Sed nos venti, qui iam secūdi flare incipiebat, auocabant. Tuæ illi literæ gratissimæ fuerunt. Quærebat statim, ecquid Hispania tibi affricuisset mali. Respondi, si quid iam fuisset, id piorum virorum consuetudine, atq; lectione purioris doctrinæ esse sanatum. Dixit se rescripturum, & omnes vias discussurum, si qua tibi prospicere possit. Quæ edidit, sunt Erotemata scholastica de rudimentis Christianæ religionis, scripturæ testimoniis illustrata; adiecta sunt varia eius car-

mina & inter alia Psalmum c 1 1, & symbolum Athanasij carmine redditum. Nos exemplari donati. Hic ego de te semper cogito, sed quod vndique premente hoste, omnes sunt occupati, nulla adhuc oblata est occasio, qualem mihi dari vellem: ea si se obtulerit, sentiet quantum sui causa laborare velim Veneris maritus. Hic nihil est noui. Hispanus non longe Gorchomio & Bomelia est. Sed vtrumque oppidum, Dei gratia, hostium impetu ferendo est. Leidenses ab optima politia laudantur. Ex Hispanica classe indies naues ad nos veniunt. Hæc scribo, vrgente nuncio, cum tamen aliis amicis adhuc sit scribendum. A te literas prolixas expecto, nec volo vt Vtenhonianum illud, præpropere, denuo mihi occinas, decides aliquātulum fœnoforēsibus tuis occupationibus, & quod illic obuiis quotidie amiculis, hoc nobis dum per occasionem licebit, largieris. Bene vale amicissime Vulcani, & nos quod facis, ama.

Dordraci

Dordraci XXIII Iunij, MDLXXIV.
Falkenburgio noſtro ſalutem: cui dices, Douſam à Leidenſibus communi conſenſu Præfectum eſſe electum, atque vna Ducis munia ſumma cum laude obire.

D. T. deditiſs.

ADRIAN. vander MYLE.

XXVI.

Ornatiſſimo viro D. Bonauenturæ Vulcanio, amico ſuo integerrimo, Coloniam.

S. P.

PRofeſſionem Græcarum literarum tibi collatam eſſe, vehementer, vt debeo, tibi, vel potius Academiæ illi gratulor: idque eo lubentius, quod intelligam, te, honore illo, ſeu illecebris minime capi poſſe, vt in verba inauſpicatæ formulæ iures. Hoc enim niſi ſalutare tibi eſſe non poteſt, *Familiaria.*

potest: vt omittam, quam in omnem casum tibi id futurum sit honorificum. Si enim salua pietate, munus illud tibi relinquetur, vides quantum ad nominis atque solidæ eruditionis famam factum hoc tibi sit profuturum: sin secus, veræ pietatis, & constantiæ laudem apud omnes obtinebis, vt qui religionis ratione tantam habueris, vt illam malles saluam tibi atq; illibatam esse: quam ea violata in tam celebri loco, splendidissimæ professionis nomen obtinere. Quod ad me attinet, non omittam, vt quantum in me erit, aliqua occasio tui ornandi atque adiuuandi, prætermittatur. De Sequano, doleo: non enim quid ille, atque aliorum proteruia mereri possit, sed quid Vulcanium deceat, quidque professioni eius conueniat, expendo. Sed existimo negotium statim sopitum fuisse. Pro ijs rebus, quas ad me misisti, quæque literis significasti, maximas tibi habeo gratias: gratissimum erit, si quam sæpissime, literis

ris tuis, quæ colloquij vice erunt, nos recreare non grauaberis. Hic nihil est, quod non prolixius & certius ex hoc ipso tabellario poteris cognoscere. Is enim heri per media Hispanorum castra huc venit, atq; hodie eadem via ad vos reuertitur. Hoc scio, vos iam inaudisse, Aldegondium proxima Dominica Roterodamum ad Principem venisse, Iunio & Carnessio obsidum loco, Traiectum profectis. Bene vale doctissime Vulcani, & me, quod facis, amare perge. Dordraco XXI Iulij, Anno MDLXXIV.

T. d. addictiss.

ADRIAN. vander MYLE.

XXVI.

XXVII.

Nobilissimo clarissimoq; viro D. Adriano Mylio, Regio Consiliario in Hollandia, Coloniæ.

S. P.

Priuata. Historica.

LIteras, quas III Cal. April. dedisti, eas ad III Idus recepi. Fuerunt illæ etsi breues, multis tamen de caussis mihi suauissimæ. Primum, quod habebant summam spem de tuo in patriam maturo reditu. Qui sane, incredibile est, quantopere à me bonisque omnibus quotidie expectetur. Satis superq; iam nos illa tyrannis exules & patria extorres egit. Dedit tandem Deus opt. max. illud tempus, cum ijs qui Hispanæ potentiæ, turpissimæq; idololatriæ cesserunt, optatissimus in hanc regionem reditus pateat. Quam vt nobis fælicitatem diu inuiolatam conseruet, rogandus est Dominus. Hostis omni agro Hollandico longe lateque excessit. Discedens aliquibus

bus locis parum aut nihil iniuriæ intulit. Alibi nullum hostilitatis genus omissum. Ita plane diuersam quælibet huius prouinciæ portio fortunam experta est. Harlemum adhuc valida Germanorum manu ab hoste tenetur. Qui tamen si obsideantur, propter annonæ inopiam otiduum non sustineant. In castris hostilibus, quæ nunc apud Traiectum posita sunt, magni tumultus seditionesque esse feruntur. Miles XXXVIII mensium stipendia postulare dicitur. Præfectus militiæ Baldesius nisi in portis Vltraiectinæ vrbis salutem fuga inuenisset, à furibundo milite, adeoque ab ipsis Hispanis, nuper discerptus foret. Itaque Vltraiecto aliisque ex oppidis plurimi quotidie tam ex ijs qui hinc aliquando cesserunt, quam ex illorum locorum hominibus ad nos confluunt. Omnesque, modo ab hostilibus in patriam abstinuerint, studiosè suscipiuntur. Quid ais? In Gallia nondum Pontificij

ficij cruentam sitim explerunt? Vi-
uit viuetque semper Cainum genus,
neque quiescet, donec Deus illud è
suis radicibus extirparit. Vale cla-
riss. D. cum fratre, eiusque vxore,
vosque omnes Deus diutissime sal-
uos & incolumes conseruet, tuæque
D. maturum, faustumque in patriam
reditum concedat. Datum Delphis,
III Id. April. An. M D LXXIV.

T. D. deuinctiss.

T. A. Leuwen.

XXVIII.

Nobili viro Dn. Adriano Mylio, amico suo obseruando.

S. P.

Varia. NObilis clarissimeque vir. Misi tibi superioribus hisce diebus exempla epistolarum Gallopolonicarum. Habes hic alia quædã Vienna ad D. Red. scripta. Saxonici, Peucerus

cerus, Mullerus, & alij multi strictissimis carceribus habentur. Exhibita est illis formula quædam in cuius verba iurare debeant, ni faciant, perpetui carceris pœna illis est proposita. Conditionem eorum, qui vanis pollicitationibus adducti in Belgium sese retulerunt, non possum non dolere. Fingunt Walones exautoratos. Interea conscribitur ingens equitatus in Germania. Vnum equitum præfectum hospitis mei affinem hodie compellaui: euentus propediem, quod omen Deus auertat, miseros docebit. Legati Polonici Heidelbergam venerunt; & Palatinum, qui peregre erat, secuti, querimonias suas explicarunt. Egregiè illis imposuit Gallus; qui ante fugam omnia quæ habebat cara euehi curarat, nudaq; scrinia illis reliquit. De meis rebus nihil scribo, ob temporis angustiam, & quod frater tuus pollicitus sit se ea de re scripturum. De Sequano hoc tantum addam. Tractare illud de matrimonio contra-

hendo cum filia cuiusdam..... Expectat splendidam dotem; cum pater aliquando cesserit bonis. Hoc constat, vxorem ipsum habiturum, si non onustam nummis, certe χέρσι. Egit aliquot annis Antwerpiæ, atque ibi fœliciter Gallicam, Hispanicam, & Italicam linguam didicit. Habuit nimirum insignes magistros, καὶ γλωττοπιεῖν παιδαίχς. Inuideat illi qui volet. Bene vale clariss. Domine, & me, quod facis, ama. Coloniæ, III Augusti, M D LXXIV.

T. D. Studiosiss.

BONAV. VVLCANIVS.

XXIX.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano Mylio, Ill. Principi Arausino à consilijs

Varia. CLariss. vir: Tametsi tantum negotij mihi facessit bullatus noster, quod heri primum intellexi, Doctor

Doctor Burgundus, vt vix tempus scalpēdis, quod aiunt, auribus supersit: (lectus est enim nudius tertius in frequentissimo Senatu eius libellus, virulentis atrocibusq; calumniis & mendacijs refertus; cui cras respondebo) non possum tamen committere, quin ad amicissimas literas tuas aliquid respondeam. Ac vt à professione incipiam, nihil aliud agit nobilis ille Sequanus, quàm vt ea priuer: atque vt barbarum Senatum sibi magis haberet propitium, distulit suam querelam tantisper, dum consul Liskirchius, quem pro me stare scis, ad comitia quædam annua esset profectus. D. Sudermannus tamen ita in mea causa suum, hoc est optimi patroni officium fecit, vt putem nebulonem illum parum aut nihil effecturum, nisi quod suam turpitudinem sit amplificaturus. Professionis Græcarum literarum iacturam parui facerem, nisi cum aliqua existimationis atq; honoris mei imminutione esset coniuncta: si nimi-

rum, ob iniuriam (vt crassi aliquot homines clamitant) doctori, prætori, consiliario, adde si placet, Corycæo illatam, ea mihi adimeretur. Magis honorifica fuisset inauspicatæ illius formulæ (vt tuis verbis vtar) publica detestatio: sed nolo mihi male ominari. Pugnat enim pro me æquitas causæ meæ, quam D. Sudermanni patrocinium reddit illustriorem. Nihil hoc viro fingi potest humanius, nihil sincerius: sed de successu huius rei aliâs latius. Cras enim puto Senatusconsulto cautum iri, vt iure res agatur. Parum verò abfuit, quin inauditus condemnatus fuerim. Mitto tibi orationem Danzæi consiliarij Regis Poloniæ, habitam ad Ordines eius Regni, post discessum, aut potius fugam Regis. Nam libellus ille qui nuper Lutetiæ editus est Gallicè, quo continetur, Regem cõsensu Polonorum in Galliam redijsse, nihil habet præter mera mendacia. Sed tu ex lectione huius scripti multa alia colliges. Ego

hoc

hoc nemini adhuc præterquam D. Redingero ostendi: Accepi & responsum Ordinum Brabantiæ ad Apostillas Proregis, quibus ipsorum querimonias refutauit. Eius copiam feceram fratri tuo; receperatque se id hodie mihi remissurum: quod, si feciſſet, ego huic fasciculo adiunxissem. Ex Præpositu summi templi intelligo, sex Comites Germanos esse quorum singuli DC equites Regi Galliarum conscribant. Habeo etiam epistolam à Lantgrauio ad Regem Galliarum & Polonię scriptam, qua illum acriter monet promissi: nimirum, si illum aliquando regnare contingeret; serio de stabilienda pace cogitaturum. Hanc, quia vnicum exemplar habeo, & quidem illud Germanicè scriptum, non mitto. Curabo tamen describi, si id tibi gratum fore intellexero. Mitto etiam tumulum Regis Galliarum. Caligula in versu claudicat. Tu vicissim clariss. Vir, si quid habes scitu dignum, fac nos obsecro certiores.

Et, de Vulcanio tuo ornando amplificandoque; quod te facere non dubito, interdum cogita. Bene vale. Coloniæ, XXVIII Iulij, MDXXIV. Saluta obsecro meis verbis D. Mansardum, & me illi vnicè commenda.

T. D. studiosiss.

BONAV. VVLCANIVS.

XXX.

Nobili & clariss. viro D. Adriano Mylio, Ill. Ordinum Hollandiæ apud Arausionis Principem Consiliario, Dordrechti.

Priuata, & familiaria.

REuersus Woerda, quo me superioribus diebus negotia mea abstraxerant, vidi tuas, clariss. Domine, ad Cornelium Hermanni literas, asscriptamque mihi in iis salutem. Quo quidem humanitatis tuæ nomine tibi gratias ago, accipioque in magnum tuæ erga me beneuolentiæ testimonium, quod etiam in mediis negotiorum procellis memoriam

moriam noſtri non intermiſeris. Quod autem addis, mirari te, quod multo tempore nihil ad te literarum dederim, reddenda à me intermiſſi officij eſt ratio. Quæ ſane in tuis rebus occupationibuſque poſita eſt. Etenim, cum ex omnibus præcipuus à Principe Ordinibuſque ad iſtud pacis negotium componendum ſis deſtinatus; eaque res ſummum proculdubio laborem, vigilantiam, animiq; intentionem requirat, (quamuis pro tua humanitate etiam quouis tempore non ingrata tibi mearum literarum nugamenta fore confiderem) tamen verebar, ne tempore tam importuno ad te ſcribens, aliquid facerem quod minus deceret. Sed de excuſatione hactenus. Craſtina die, qui Iulij ſextus eſt, profeſſores Leidæ prælectiones auſpicabuntur in omnibus facultatibus. Sed periculum eſt, ne profeſſorum labori atque dignitati auditorum numerus non reſpondeat. Ego ſi licuerit per negotia quæ me fere à libris

meis ſtudiiſque abducunt, illuc me conferam. Clementis tui tomus vnus apud me eſt, item Pſalmi Gallici, ne forte eos amiſſos credas. De rebus quæ hic aguntur, nihil attinet, vt opinor, ſcribere; cum non dubitem, quin ea tuis ſint notiſſima. Woordam proditione (vti accidit) nuper fere amiſeramus, niſi Deus inſidioſos illorum conatus repreſſiſſet. Sane cum vi nos hoſtis ſe videat ſuperare non poſſe, omnem in fraude atque inſidiis fiduciam conſtituit. A quibus vt nos defendat, rogandus eſt Dominus, cui Te clariſs. Domine ex animo commendo. Vale, Delphis v, Iulij, MD LXXV.

Tuus quantum poſſum

ex animo

THEODOR. à LEVWEN.

XXXI.

XXXI.

Ornatissimo viro, Dn. vander Myle, Illustrissimo Principi Arausino, à Consilijs, Roterodamum.

CVm superiori septimana in Zelandiam profecturus, Roterodamo discederem, inter alios quos salutare decreueram, te studiose, ornatissime Myli, quærebam. Cum enim ex Zelandia, vbi paucos tantum dies commorari institui, in Angliam cogitem, nolui prætermittere, quin tibi saltem valedicerem, homini cum ob primam illam consuetudinem, quæ Dordraci mihi tecum interceſſit, tum ob ingenij rarioris vim, mihi merito cariſſimo. Sed tu Delphis aberas, ac quod fauſtum & fœlix tibi ſit, nuptialibus ſacris irretitus, vxorem tibi adſciuiſti, quemadmodum ex amicis tuis intellexi. Accidit autem ita, vt Brilæ vento aduerſo detinerer, vnde præter officium me nihil facturum exiſtima- *Familiar.*

bam, si te, quem coram conuenire nequibam, per literas salutarem. Cupio enim te cognoscere, quid de te sentiam, ac quo animo erga te sim: vtrumque, ne assentari tibi in præsenti videar, re ipsa percipies, si mea opera vti constitueris: qua tu vti, atque adeo abuti poteris, perinde ac si modium salis mecum consumpsisses. Deprehendi in te studium erga Rempub. singulare: animum gerendis rebus parem: obseruaui etiam, qua æquitate quęrelas, quarum partim causa sereniſſima Regina ad Illustrissimum principem me ablegarat, audias. Tuus ergo sum, tuo merito: dicam meo, quum de te promerendi occasionem aut tu obtuleris, aut ego nactus fuero. Non licet, nec necesse est, de his impræsentiarum pluribus tecum agere: id vero vnice peto, vti inchoatam amicitiam, mutuis officiis alamus & colamus: neque inter antiquos tuos amicos nouum non dedigneris, cum illi ipsi olim noui fuerint, quos nunc pro antiquis

tiquis habes. Mitto his adiunctam Elegiam, quam ad Nestorem Britannicum, dum hîc commoror, exaraui: ex qua & meum erga Rempublicam vestram studium cognosces. Bene vale ornatissime Myli, meque tui peramantem redama. Brilâ, XII. Nouemb. MDLXXV.

Tuæ amicitiæ Tyro,

DANIEL ROGERIVS.

ELEGIA

AD GVLIELMVM CÆCILIVM, BARONEM BVRGHLÆANUM, Ordinis Garterij equitem torquatum, Angliæ summum Thesaurarium, ac sereniſſimæ Reginæ à sanctioribus consiliis.

IAm quartum fatis, Burghlæe, prementibus orbem,
Gallica ciuili scena cruore rubet:
Terraque

Terraque crudeli ferro vastatur, & igni,
Grata mihi patriâ non regione minus.
Nimirum hîc annos viridis consumpsimus ævi,
Vere mihi teneras circumeunte comas.
Quâ primũ regione mihi cœpêre Camœnæ
Permessi sacro fonte leuare sitim.
Hîc Sophiæ detecta mihi mysteria Graiæ,
Versaq; Romanis pallia Græca togis.
Quam nexu tibi, docta parens, deuincior arcto,
Sequanici rectrix Parrhisis ora vadi?
Nec minus Aureliis debet mea Musa magistris:
Sed queis, non Gallis debeat illa scholis?
Legibus instituit Biturix me, Andinus & æquo:
Præceptis animum fouit vterq; rudem.
Nec tantum schola trita mihi decorata Camœnis.
Culta etiam Galli principis aula fuit.
Inde tot exhausti per Gallica regna labores,
Dũ sequor huc, quo se mobilis aula rapit.
Visa mihi toties Picardis oppida terris,
Tritaq; Normanno pinguia rura solo.

Belsiâ

Belsiàmirabar grato sola consita Baccho:
Dulce fuit Ligeris viuere propter aquas.
Sunt mihi lustrati cum Xanctone Pictones agri,
Lætamihi Armoricis regnafuère iugis.
Vt taceam Cenomanne tuas consumpta per oras,
Gaudia Turo, tuas, seu Catalaune tuas.
Omnia quæ quondam coluit loca mater amoris,
Quâ pax, lætitia, quâ viguère ioci.
Nunc dolor est, furiæq; fremunt per rura, per vrbes,
Oppidaq; effuso sanguine tota madent.
Pro cythara nunc icta vocant ad bella maniplos
Classica: pro fistris dat tuba pulsa sonum.
Marte ferox miles, flammis grassatur & armis,
Effodit absconsas ruris & vrbis opes.
Nec constat naturæ ordo suus, arma parētes
In proprios partus dū truculenta gerunt.
Dira venenatis mater sua pignora succis
Tollere, vel rigido proh scelas ense parat.

Tu

Tu mihi Calliope tantorũ quæso malorum
Fomenta, ac belli semina pande feri.
Quid censet Deus ille Deũm, rex ille regentum,
Num studet in priscum vertere cuncta chaos?
Num quæ tam variis cumulauit regna trophæis,
Iam fœdare, datis ac spoliore parat.
Sic ego: cum tristes consolatura dolores
Calliope, dictis, reddidit ista meis.
Ergo vides Gallis minitari fata ruinam,
Nec tanti causas noscis alumne mali?
Nimirum, à sceptris pœnas Rhamnusia sumit,
Irata, ob fidei numina læsa sacræ.
Insontumq; cruor Galla regione profusus
Vindictã summũ poscit opemq; Deum.
Conqueritur tædis præsesque iugalibus Hymen,
Polluta humana sacra cruore sua.
Atque adeo quem non violauerit illa, Deorum,
Parisiæ cædis quæ prior ansa fuit?
Inde tot in Gallos pœnas migrare putemus,
Dũ pœnas regnũ, plebs procereſq; luunt

Illi

Illi etiam fastus tollunt, cæcique triumphant,
Seque pares cælo, cælitibusq; putant:
Sed nos tantorum ridemus inania cœpta,
Iamq; illis instant tristia fata feris.
Quare age pone metus, mox mitior aura micabit,
Impositus Gallis finis eritque malis.
Dixit, & è nostro conspectu cessit: at illa
Sint rata, dux Clarij faxit Apollo chori.
Nam quas non passa est, quas nõ fert Gallia clades?
Ossibus albet humus, vnda cruore rubet.
Ipse suos patitur miserabilis incola maneis.
Supremumq; diem quemlibet esse cupit.
Infesti tantis saturantur cladibus hostes,
Atq; optant Celtis prosperiora plagis.
Nec satis hoc, præsens Diris vrgentibus æuum
Est visum, in clades, nî quoque Belga ruat.
Qui libertatẽ dum Marte tuetur auitam,
Consimili pœnas conditione luit.

Hîc

Hîc quoq; pacta, Fides queritur temerata, Themisque
Euersas leges, fasq; piumq; gemit.
Inuidet Hispanus populo pietatis amorem,
Nec sinit, heu, purâ relligione frui.
Incestata iubet Dijs quernis fana frequentent,
Impurâq; Deo vult ratione litent.
Hinc bellum quartâ trahitur iam messe, nec vllus
Porrigit afflictis Marte furente, manū.
Solus adest, patriæ quem tangit cura tuendæ,
Auraſius, Pietas quem violata mouet.
Ciuibus ille ducem, dextrâ se vindice præbet.
Quâq; potest miseris conditione cauet.
Sæpe quidem palmam victor tulit hoste fugato,
Sæpe etiam est clades passus ab hoste graues.
Id veteres testātur Aquæ, testatur abunde
Vrbs capta hostili Bommeniana modo.
Iam freta naufragiis vicina teguntur, humusque
Iam rubet humanis tincta cadaueribus.

Nec

Nec certum cui se tandem victoria parti
Tradet: at indomitum robur Iberus habet.
Nam quæ spes miseris diuturni tempore belli
Exhaustis, contra regis & orbis opes?
India cui gemmas, fuluum submittit & aurum,
Qui trepidat proprias, rex opulentus, opes.
Cui tot præsidio populi, tot regna, tot vrbes,
Cui regnis animus maior, & altus adest?
Nec tamen Auraſius sua iura, & sacra tueri
Cessat: is inuicto robore pectus alit.
Auxilium superos poscens, spem figit in illis
Acer in hostiles prorupit inde manus.
Quos animos gereret Regina adiutus ab Anglâ?
Porrigeret trepidis si Dea rebus opem?
Ille equidem sceptris supponit vota Britannis:
Dij faxint votis pondus ineſſe suis!

Me vicina monent, paries cum proximus ardet,
Nempe voret nostros ne quoque flamma lares.
Tu quem consilijs Elizabetha Britannis
Præfecit, genium deuenerata tuum:
Perfer ad argutas sacratæ principis aures,
Supplicis Auraſij vota preceſque Ducis.
Cernis vt arma viri, pietas commendet & orſa,
Illa tuos ſupplex ante voluta pedes.
Effice, quæ patrijs defendit numina regnis,
Vicinis etiam protegat illa locis.
Non ignara mali miseris ſuccurrure pergat,
Donet & oppreſſis pro pietate manum.
Illa ſuis ſeruat iura intemerata, procuret
Vindicias Belgis reſtituiq; ſuas.
Sola potest Gallis ſuccurrere rebus, opemq;
Sola potest Belgis Auraſioq; dare.

Scilicet

Scilicet historia sic consultura Britannæ,
A serâ referet posteritate decus.
Primaque fœminei dicetur gloria sexus,
Dicetur sæcli palma fuisse sui.
Regia res certe est, talem defendere causam:
Digna patrocinio si pia causa, pio est.

Brilæ, Pridie Idus Nouembr.
cIↃ IↃ LXXV.

DAN. ROGERIVS.

XXXII.

Nobilissimo clarissimoq; viro D. Adriano vander Mylen, Ill. Ordinum Hollandiæ, apud Principem Arausinum Senatori, Rotterodamum.

S. P.

Intercessoria.

SI illud amicitiæ non fucatæ munus ac officium sit, vt tristibus amici rebus doleamus, lætemur secundis, profecto non possum non clarissime Myli (nisi tua amicitia, qua quoad tu permittes frui cupio, indignus haberi velim) quin tibi eam sortem quæ te propediem ad aliam vitæ conditionem, atque ex cœlibe in coniugalem statum transferet, quam amicissime gratuler. Cum enim in infinita humanarum calamitatum turba natura subinde læti aliquid atque iucundi admisceat, tum vix scio an maius aliquod habeat remedium, quo nostram hanc miseriam temperet, quam iucundissimum istud matrimonij vinculum,

culum, vitæ atque annorum indissolubilem societatem connectens. Cæterum quis matrimonij prçcipue pie initi fructus sit, quæ delectatio, hic commemorare alienum est. Illud accommodatius, vt tibi non solum gratuler hanc fortunam, sed etiam vt ea tibi fœlix atque salutifera vt sit, exoptem. Quanquam quid possit ea res mali secum adferre atque infausti, quæ non temere, sed bona cum ratione, Deique timore suscipitur? Itaque quod bonis auspiciis aggressus es, optimis vt finias, tibi quam amantissime comprecor, vtque vitæ illud quod nunc ingrederis curriculum beatissime decurras. Res Auunculi indies in peius labuntur T.... enim non contentus eum ergastulario, (belluæ magis, si humanam demas figuram quam homini) tradidisse, qui carceri ferreis vndiq; laminis obducto ipsum conclusum tenet: omni præterea hominum colloquio, atque congressu arceri iussit. Neque desunt ferrei

compedes, qui etiã nocte somnum, qui vnicum curis solatium solet prebere, misero disturbent. Hæc, aliaque, quæ narrare longum esset, incredibile est, mi Domine, quanto me dolore atque ægritudine afficiant. Videre eum qui mihi vitam dedit, quemque ego salutis meæ auctorem quoad viuam agnoscam, tam indignis excruciari modis; vt nunquam in alium quenquam ex hostibus simili sæuitum sit modo. Profecto ita me ista auunculi calamitas commouet, vt eius beneficij quo me seruauit, me propemodũ pœniteat; Quandoquidem neq; labores quos pro patria si non famosos, at pro virili fideles suscepi, neque pericula quibus sponte me abieci, tantum valent, vt aliquam saltem mitioris carceris gratiam impetrent. Doletque, vt ingenue quod res est fatear; exteris, quos nostræ facultates fere euexerunt, concedi ius pro libitu sæuiendi: ciuium, qui fortasse non minori studio causæ fauent, preces ita

sperni,

sperni, vt ne exaudiantur quidem. Quapropter, humanis. Domine, oro te atq; obsecro, ne molestum sit, modò aliqua ratione fieri possit, Dominũ Principem denuo conuenire, eique tum Niueldij tum meo nomine preces offerre, quo possit miserè carcere tam fœdito ac duro liberari. Habet D. Princeps Delphis carceres publicos, quibus hi quos bene custoditos volumus solent includi; quos si ipsi ab excellentissimo Principe impetraueris, & illum & me, & omnem nostram familiam semper tibi habebis eo nomine deuinctissimos. Vale clariss. Domine. Delphis, XVII Octob. MDLXXV.

Tuus ad obsequium

THEODORVS LEVWEN.

XXXIII.

Doctissimo viro Dn. Bonauenturæ Vulcanio, amico singulari, Basileam.

Litteraria.

SI mihi, mi optime Vulcani, de tua mansione constitisset, non fuissem passus te tanto literarum mearum teneri desiderio. Scis enim, quam sim in scribendo impiger: Et Francofurti cum essem superioribus nundinis, omnes affirmabant te huc rediturum: nunc verò cum sciam, vbi terrarum sis, non vereor, vt te scribendo expleam. Mæcenas noster v Ianuarij hîc mortuus, & biduo post Duisburgi sepultus fuit. Interea tuæ ad illum litteræ cum duobus H. Stephani fasciculis, exspectabunt hæredum aduentum, quos de obitu certiores fecimus. Miserabilis est nunc harũ ædium adspectus. ἀλλ' οὐκ ἔστιν ἀλύξαι ἀνθρώποις ὅ τι μοῖρα κατὰ κλωστῆρος ἐπείγει. De Curtio Fabriciano nihil tibi possum promittere.

re. Non enim id in poteſtate eſt Vtenhouij noſtri, ſed viduæ, quæ de lucro ex libris mariti faciendo cogitat. Eundem fruſtra petijt H. Stephanus noſter. Sed quid agas cum imperitis mulierculis, & quidem viduis? Berchemius noſter eſt Andernaci, quem hîc exſpecto. Salutabo eum tuis verbis, οὐκ ἄνευ ἀγαθοῦ δαίμονος προπόσεως. Burgundus ille tuus (quod tibi mirificiſſimum videbitur) legatus eſt principis ad Præfectum Orengiacum. Mira illi lis eſt cum D. Dolheimio, qui hic, vt ſcis, domicilium habet. Non impune feret, vbi redierit, quod ex arreſto, vt vocant, hinc diſceſſerit. Dolheimius illum criminatus fuit, & pro improbo inteſtabilique proditore habuit. Multa miris mira modis, ait Comicus. Indignantur Pontificij, qui impurum animal partium ſuarum eſſe exiſtimabant. Sed quid rides? Leuis eſt, nec illum ſtimulat gloriæ decus. Pro exemplari Arriani tui tibi gratiam, du-

plici nomine, habeo; tum quod optimum auctorem de integro verteris, tum quod mihi exemplum dono dederis. Vale mi Vulcani, & amicis, si qui sunt istic mihi noti, salutem. Colonia, Raptim, XVI Ianuarij, An. MDLXXVI, quem tibi faustum & felicem precor.

Cupidissimus tui

GERARDVS, *quem nosti,*
FALKENBVRGIVS.

XXXIV.

Nobili & clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Ill. Ordinum Hollandiæ, apud Principem Arausinum Senatori, Roterodamum.

S. P.

De salariis Academicis professorum.

MEministi, vti quidem spero, (vir in maioribus Ordinibus merito princeps) te, ex illustrissimi Principis arbitrio, postulante & vrgente amplis.

amplis. Ordinum senatusconsulto decretum esse, vt quæ superesset professoribus superiori quadrante solutis ex illa prædiorum venditione pecunia, instanti iam quadranti persoluendo à Quæstore nostro seruaretur. Nunc contra Principis illustrissimi iudicium, Ordinumque decretum, Senatum huius ciuitatis intelligimus, eam pecuniam non solum alio velle deriuare; sed etiam, cum inter eum & nostrum Quæstorem, de ea re disceptatio interuenisset, contentionem ita efferbuisse, vt idem Senatus iam velit & re ipsa cõtendat se administratorem esse & œconomum eorum omnium bonorum, quæ in Academiæ vsum destinata sunt: Quod si contingat, non dubitamus propediem futurum, vt nullam Academiã habeamus: præsertim cum non solum, non per septem integros menses nostram Academiam antea neglexerit, sed etiam pecuniam primam, ex cœnobij venditione nobis aquisitam etiam aliàs

propriis ipsis debitis dissoluendis impenderit ipse Senatus. Itaque te vnice rogatum volumus (Senator vigilantissime) vt pro tuo in Ecclesiam Dei sanctissimo amore (cuius seminarium Academiam esse tu omnium optime nosti) nostrum Quæstorem, in hoc non suo, sed Academiæ, sed Ecclesiæ negotio, apud amplissimos Ordines tuo patrocinio iuues. Deus opt. max. te diu multumque incolumen ad Ecclesiæ & Reip. Hollandicæ propagationem & conseruationem seruet. Vale, Leidæ, Febr. XXI. An. MDLXXVI.

Tuus quantulus est

GVIL. FEVGVEREIVS
Lugdunensis Acad.
Rector.

XXXV.

XXXV.

Nobili & clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen Ill. Ordinum Hollandiæ apud Principem Arausinum Senatori. Dordracum.

S. P.

LIteræ Senatus vestri datæ Delphis v i Iulij die non mediocriter animum Principis perculerunt. Et certe quis non miretur, ita temere rem tantam iniri, ac præcipitari? neque tantum vobis spatij sumptum fuisse vt pro iureiurando ac sacramento vtrimque præstito prius indicatum Principi fuerit quid haberetis in animo? Ego te vel absentem fuisse vel certe reclamantem plane mihi persuadeo. Nescio enim hoc mittendi illius G..... ad hostes decretum, ineptiusne sit, an pernicioſius, videre enim mihi videor dolorum ex hoc initia, quæ mirum ni in graues erumpant calamitates denique: vtinam certiores hac de re facti *Politica.*

facti fuissemus. Ac proinde rogo vt de rebus quæ istic aguntur scribas ad me & crebrius, & familiarius. Omnino enim video, necesse esse, nisi rem perditam volumus, certiorem consensum inter nos iniri ac retineri, quod certe per te nisi fiat, vix quenquam video qui vel possit vel velit. Itaque obsecro posthac mutuo inter nos literarũ officio quam creberrime defungamur. D. Princeps heri Vlissingam aduenit: hodie (ni fallor) item reuersurus Mittelburgum. Negotium cum mercatoribus Anglicis eò deductum est, vt ducenta flor. milia spoponderint se repræsentaturos, ac intra semestre spacium addituros milia quinquaginta (nisi collectam ex Anglia nobis confecerint) è quibus deducantur machinæ fusiles varij ponderis centum quinquaginta, & nomina quædam aliis mercatoribus addicta. His conditionibus naues eorum erunt liberæ, & legati nostras quatuor naues liberatum iri recipient

cipient: & daturos operam apud reginam, ne posthac prætextu sententiæ perperam iudicatæ detineantur arrestis vel repræsentationum iure naues nostræ, anteaquam senatus maritimus seu Admiralitas causam dixerit. De cætero vt à nobis vectigal quodpiam nauibus eorum imponi possit, dabunt operam vt à regina impetrent. Heri tres Anglorum naues in portum Vlissinganum aduectæ à nostris fuêre, sed vix videntur iure vindicari posse: metuo ne idipsum apud nostros nautas & classiarios turbam nobis aliquam concitet. Vale, & me tui amantissimum redama. Vlissingæ, x Iulij An. D MLXXVI.

Tuus

PHILIP. MARNIXIVS,
Sanct Aldegondius.

XXXVI.

XXXVI.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano vander Mylen, Ill. Ordinum Hollandiæ apud Principem Arausinum Senatori. Roterodamum.

S. P.

Varia. NOlui committere, vir humanissime, cum Philippus Cornelius, quem vt exilij mei olim comitem habui, ita reuersus in patriam socium in administrāda Republica sum nactus, ad illustrissimum Principem atque Ordines iret communi Northollandorum nomine, quin aliquid ad te literarum darem, quibus & integritatis testimonium abituro darem, simul & te certiorem redderem, tuto huic atque secure fidem te habiturum in iis quæ de Alcmaria nostra, rebusq; Northollandicis apertius exponet. Conantur quidam speciosо obtentu communis causæ, vanissimis suis fabulis optimi Principis aures demulcere, occupare ani-

re animum, non quod nævos modo politici apud nos Ordinis falsè prædicent, verum etiam quod ad emendationem nostræ Reipulicæ vltro suam ipsi operam offerant atque ingerant: qui vt non omnino inutiles sint ad regendam Rempublicam, valde tamen metuimus, ne eo animo ad nos accedant, vt si quid in gubernatione politica sanum atque integrum restet, id protinus conuellant atque subuertant. Dubitamus, an in ecclesiæ ruinam atque excidium conspirent, qui ad deformandos fidelium sacrosanctos cœtus, odiosum illud consistorij nomen semper in ore habent; An ambigendum est quæso, qui pocula, diurnas nocturnasque commessationes, epulas, atque delicias quærunt & sectantur, iisque rebus patrimonium atq; vniuersas facultates abliguriunt, consumuntque, quin isti susque deque ferant, pessum eat Hollandia, an conseruetur? Eunuchos, quos dabitis nobis, quas turbas dabunt?

Atq; etiamnum persuadetur bonus Princeps, istis demandandam esse Augiæ stabuli in Nort-Hollãdia repurgationem. Sed ista parcius. Quæ enim apud me suspiro, Philippus noster tibi ediſſeret, vbi voles. Oro autem te cum Reipub. tum Ecclesiæ Christi nomine, vt communem causam iuues, nec querelis aduersariorũ aut criminationibus ita sis intentus, vt nostræ defensionis rationes ac merita prætermittas. Quod vt te fideliter facturum cõfido, ita & Principem tuo cõsilio adductum iri spero, ne formam publicæ administrationis hîc immutet, aut pro censoribus morum Asotos quosdam nobis supponat. Cæterum quod excusationis meæ causam apud Principem proposueris, habeo gratiam, vander Myli, nec tam negligentiæ tuæ acceptum fero, quod nihil effeceris reclamante Principe, quam fati mei legibus. Sed hoc vnum addam, si eius rei mentionem ingerat Philippus, tuo suffragio coram Principe

me

me adiuues : id tam erit gratum, quam quod gratissimum, nec dubita quin vicissim tuus ero, si quid mea industria effici posse existimas, in iis quæ ad te tuosque quoquo modo pertinent. Theodorus Cornelius, cuius libellum supplicem D. Adrianus Wensenus Principi porrigendum suscepit, mihi à puero notus, & quicum tyrocinium literarum in triuiali schola posui, vir bonus est, olim quidem sacrificus, iam vero communem nobiscum causam agit, sed tenuis ac pauper. Præterquam enim, quod numerosa domi sobole vrgetur, patrem habet iam octuagenarium, annos aliquot lecto misere decumbentem. Omnis fructus atq; obuentio est è gymnasio, quod ad erudiendos rusticorum pueros aperit. Intelligis, mi vander Myli, quam ærumnosam vitam trahat miserrimus homo. Ne graueris igitur, Principi eum commendare, vt valetudinario ac capulari seni alimenta in reliquum vitæ suppetant, pariter

& ipse paulo cõmodius viuat. Vale, vir ornatissime, tuamque Magdalenam, lectissimam fœminam, meis verbis saluere iube. Salutat te meus frater Ioannes Forestus. Raptim, Alcmariæ, 11 Calend. Mart. Anno Christi MDLXXVI.

Non suus, si non & tuus

NANNIVS FORESTVS.

XXXVII.

Amplissimo ornatissimoq; viro, Domino Adriano Mylio amico meo singulari. Delphis Batau.

S. P.

Politica. Varia.

ACcepi tuas literas, Myli amicissime, datas Iulij XVI, post tertium exinde diem, quæ me non tam metu aliquo, quam dolore, quem ex iniecto plerisque metu conceperam, liberarunt. Dolebam autem maxime, Domino Principi adeo graue illud fuisse nuntium. Sed videdeo

deo culpam nonnullam fuisse amanuensis, etsi possunt satis commode quæ scribit intelligi. Interea non possum prætermittere quin significem, literas me accepisse ex Belgio, quarum magnam partem plane nequeo legere. In reliqua parte monemur, vt Dordraco prouideamus. Habere enim hostes indubie in ea vrbe, qui nouis rebus studeant, & monstri aliquid alant. Id ego etsi vanum prorsus arbitror, putaui tamen ex re fore, si tibi indicarem. In cæteris rebus nihil est noui, nisi quod pecuniam ad belli subsidia renuere constanter pergunt Brabantini: iis se adiunxerant confœderatione Flandri & Artesienses. Nunc tamen perscribitur, Flandros soluisse stipendia Hannibalis Comitis legioni, quæ iam acceperit missionem. Hispanos tumultuari & minari grauiter Bruxellanis meis popularibus, quod nuper inustam contumeliam fœdæ repulsæ vlciscí cogitent. Ordines obstinatè flagitare finem belli,

quod sibi videant esse perniciosissimum. Et iam spem aliquam esse (sed hoc vide vt littori dictum sit) armorum contra Hispanos capiendorum. Nos literis & libellis quantum possumus eorum animos ad libertatis studium accendimus. Et quanquam ad seruitutem patientius ferendam videntur obduruisse, atque ex iugo contraxisse in humeris callum: necdum tamen omnem abieci spem, præsertim si se intelligant vanis à rege de pace ineunda pollicitationibus ludificari. Is enim ad ordines quidem perscribit serio se illam cupere, & Hauræo breui ad nos reuersuro omne negotium cum potestate commisisse: ad Senatum autē Quatuor-virorum (Nam si Rodam, Viglium, Morillonum & Berlaimontium excipias, cæteri omnes vmbræ sunt potius quam viri) literis datis significat, ad multo acrius bellum & ad religionem nostram funditus eradicandam non modo animum obfirmasse, sed omnia etiam præsidia

dia neceſſaria iam apparauiſſe, & ſane quadraginta auri myriades dicitur in hanc rem ab Hiſpanis ordinibus atque eccleſiaſticis abſtuliſſe. Ioannem etiam Auſtriacum cum ſumma poteſtate pro ſe miſſurus exiſtimatur. Quod ſi fecerit, miror ni Angliæ regina veternum ſit excuſſura tanto & tam vicino riuali, quem ſciat ſceptro vniuerſæ Britanniæ, per Reginæ Scotiæ connubium, & Babylonicæ meretricis bullas ac diplomata iam pridem aſpirare. E Gallia necdum quicquam habemus certi. Ego quidem ſpem non ita optimam habeo, quod audiam non minus Ducem quam regem deliciis pluſquam Sardanapaleis diffluere, & adoleſcentulorum aſſentatorumque conſiliis redundare ac regi. Caluardum ſtudioſe & auide expectamus. Eius mora videtur ſpem aliquam facere non irritam fore aliorum legationem. Sed mora certe moleſta eſt, præſertim hoc tempore, quo habemus exploratum, ſi co-

piæ vsquam appareant ciuitates aliquot sese contiuo dedituras. Interea non deest vir non postremæ notæ in Gallia, qui defert Principi (sed & hæc parieti dicta existimato) cuius filiam in connubium petit, sumptus ad alendos quingentos aut sexcentos milites veteranos, quos ipse ex Gallia sit adducturus. Sed Princeps anceps est animi, propterea quod auet primum intelligere quid Alenconius constituerit. Dein nondum audet ad Ordines Hollandiæ istud referre: quod metuat, ne illi, si intelligant de quingentis tantum militibus agi, maiora auxilia desperata statim suspicentur. Ego certe putarim etiam hoc illo fore vtilius. Etenim non desunt rationes quibus hoc auxilio, etsi non ita magno res nostras tueri possimus. Præsertim aliorum non mediocrium commodorum accessione aucti, quam non magno negocio videmur facturi, si prudenter & moderate rebus nostris consuluerimus. De connubio nihil

agitur

agitur manifeste. Itaque vide ne verbum ullum. Sed heus tu. Iamdudum mihi aurem vellicat noster Culenburgius, à quo audiui, in Senatu vestro, & quidem frequenti, conuitia mihi facta, quæ certe minime perferre certum est. Itaque pro nostra amicitia quam possum obnixissime te rogo, vt quomodo se hoc negotium habeat, sigillatim ad me perscribas. Cupio enim cum bona conscientia & salua pietate existimationem meam ac dignitatem, vti par est, retinere. Itaque proximo quoque die tuas expectabo literas, quibus etiam de cæteris quæ istic aguntur rebus certior fieri cupio. Vale. Mittelburgi, x x Iulij.

Tuus quem nosti

PHILIP. MARNIX.
Sancto Ald.

XXXVIII.

Ornatissimo viro, Dn. vander Myle, Illustrissimo Principi Arausino à consiliis, Roterodamum.

Publica. POstremis tuis literis nihil dum respondi, quod nihil hic fuit scriptione dignum, nisi quod Angli multum nobis facessunt negotii, & iam pene bellum necdum indictum mouent. Pacta omnia conuenta habent irrita, quasi vi & metu fuerint expressa. Interea nautæ naues nostras deprædantur, & in Angliam auehunt. Nuper sex cœperunt, iam iterum septem aut octo: ita vires nostræ ab amicis infringuntur, & à quibus salutē sperabamus, grauissimam cladem accipimus. Heri naues nostræ cum aliquot vexillis in Flandricum littus exierunt, eo animo vt Ostendam de improuiso caperent, & naues, à quibus nostræ piscatoriæ damnum nuper acceperunt, in suam pote-

poteſtatem redigerent: ſed redierunt re infecta, niſi quod pagum Blanckenbergam exuſſere, lymbis piſcatorijs qui erant in littori illæſis. cauſantur, in littore vbique ſpeculas erectas, & ſigna fuiſſe data, lymbos ignem capere omnino haud potuiſſe. Præfuit huic ſtratagemati Houtanius. Res Brabanticæ quo in loco ſint, ſigillatim nihil intelligimus. Hodie ad Ordines Brabantiæ dedit Dn. P. literas, quibus eos ad cõſtantiam & concordiam exhortatur, ſuam operam defert, & animum ac voluntatem teſtatur. Ego etiam pro me ad nonnullos ſcripſi, quod ſpero haud fore inutile: ſed Flandri frigent, & iam iſte heſternus focus quo Blanckenberga conflagrauit, metuo, vt non modo nullum illis calorem attulerit, ſed potius quicquid erat ſtomachi & caloris abſumpſerit, & iram in nos conuerterit. Vtut ſit, factũ certe eſt, Dn. P. iniuſſu, nec enim volebat quicquid exuri, ἀλλὰ τὰ μὲν προτέτυχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοιπερ.

De

De reliquo prouidẽdum erit, omnino autem curandum, ne quid inter vestros isthic & Zelandos oriatur dissidij, quod certe non desunt qui moliuntur, datis ad Anglos literis, vt suam causam à Walcheranorum causa abesse ostendant, quod certe est pernicioſum: Itaque cohortandi sunt inprimis ad concordiam. Dn. P. hodie dixit, se breui reuersionem ad vos cogitare: sed sane deseretur hæc insula immature, & rebus non constitutis: quanquam quid constitui possit non video, his præsidibus tribunis ac nauarchis. Sed aliâs erit querelis locus. Tu vale, & me, vt facis, ama: teque àme & amari, & plurimi fieri tibi persuade. Mittelburgi, Calendis Septembribus. Anno MDLXXVI.

De postremis illis nauibus captis necdum quicquam certi habemus, tamen ex eo tempore nunciatum est, vnam præterea nauem ereptam esse ab Anglis. Nos, quoad fieri potest damus operam, vt res componantur

nantur. Quem daturus sit successum ὁ ἀυτοκράτωρ, illi notum est. Iterum vale, III Septembris. Anno MDLXXVI.

Quem nosti

PHILIPPVS MARNIXIVS.

XXXIX.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano Mylio, Ill. Principi Arausino à consilijs

S. P.

AD meas posteriores responsi nihil accepi. Ex quo tempore hic rumor, qui increbruerat de consensione inter Ordines Brabantiæ & Hispanos milites inita euanuit, hoc nomine, quod hos aiunt eiusmodi pactis stare noluisse, propterea quod alioqui cogerentur Belgio excedere, quod illi Regis iniussu facere renuunt. Sanctius ab Auila superbas ad Senatum literas dedit, neminem *De Repub.*

nem vt præter se Prætorem aut Regium Legatum supremum agnoscant quamdiu hoc erit interregnum. Tumultus magis ac magis gliscit. Copiæ vndiq; comparantur. Ex Artheſia milites in Brabantiam ſe præcipites conferunt. Nihil tamen audimus quicquã præcipuum. Heri Antwerpia venit, qui narraret, nuntium eo veniſſe de Turcæ in Calabriam irruptione, vbi militum Hiſpanorum vexilla VIII dicitur obtruncaſſe: quod ſi verum eſt, haud eſt quod ſe intra annum Auſtriacus commoueat. Res Anglicanæ loco ſunt ancipiti. Qui tamen ſapere videntur bene etiamnum ſperant. Regina magnum ſtomachum præ ſe fert. Sed quid faciat minus? ex noſtris naues tres captæ, & in Angliam auectæ, inter quas fuit illa Simonis Vree, quem illi odio pluſquam Vatiniano oderant. Regina videtur poſcere μετανοίας ſignificationem. Mercatores multa minitantur, ſed interea non deſinunt ipſi ad pœnitentiam

tiam properare, quod cernāt, in quæ se incommoda induerint. Tempus πάντα ἀποκαλύψει. Ex his vestris audies reliqua. Velim autē ad me literas & crebriores des & pleniores: nescio, an desidia teneare, an argumenti inopia, quod tamen hoc tempore, quomodo vos isthic deficiat haud video. De nostris nouem nauibus halece onustis ab hoste captis, & illa bellica decima heri audiuimus. Tumultus etiam Goudani rumor, nescio an plane verus, huc peruenit. Tu me velim hisce de rebus omnibus facias sigillatim certiorem. Ego tibi vicissim quæ hic gerantur perscribam. Inter Brilanos miror præteritum Carnesium. Puto Zoili nostri liuore factum. Nec enim ex reliquis omnibus vnum video, qui tantæ prouinciæ possit haberi idoneus. Ego tamen meum iudicium aliorum iudiciis minime præferam. Vale, Middelburgi, XX Augusti, MDLXXVI.

Tuus PH. MARNIXIVS.

XL.

XL.

Præstantissimo viro, Dn. Bonauent. Vulcanio Flandro, amico & Domino suo plurimum obseruando Basileæ.

Varia. QVas tu, doctissime Vulcani, & obseruande in Christo frater, nona huius mensis ad me dedisti literas, eas ego xv eiusdē die accepi. Eas vero, quarum mentionem ab initio statim facis, non vidi, neque scio, cui ad me perferendas tradideris. Neque miror hoc illis accidisse. Nam sunt illic quidam, qui iam annis aliquot literis nostris insidiantur, quorum improbitatem iam sæpe experti sumus: nec scio, an zelus Lutherani dogmatis, an potius hypocrysis eos tam audaces faciat. Etsi vero nos ista non multum moueant: dolet tamen nos interdum priuari per illos ea voluptate, quæ ex amicorum literis petitur. Quod ad tuas postremas, mihi eæ iucundissimæ fuerunt, & gratias me tibi debere fateor

fateor, qui de rebus Belgicis tam diligenter ad me scripseris, & Deum opt.max. precor, vt is huic operi pulcherrimo manum admoueat, & eorum, qui hoc aggressi sunt corda atque manus confirmet, ne si ipsos in medio cursu animus deficiat, seipsos & libertatem communis patriæ in extremum periculum adduxerint: sunt enim eiusmodi conatus ex eorum numero, à quibus abstinere satius est, quam frigide agere. Et inuicta fortitudine opus est aduersus eos, quos desperatio audaciores facit, & qui sibi aut vi eluctandum, aut fortiter moriendum esse vident: quo loco iam Hispani illic constituti sunt. Vt vero à Gallorum consiliis & auxiliis sibi caueant Belgæ, plus quam necessarium est. Qui enim sua nan possunt tueri, aliorum defensionem nunquam nisi animo subdolo suscipient. Incredibilis est Reginæ matris astutia, nec minor imprudentia cum audacia extrema coniuncta, vtpote quam scelerum

atrociſſimorum conſcientia accendit, vt ei plane conſtitutum ſit, ſi non aliter poſſit ſibi conſulere, Acherontа mouere. Nnunc ad Nauarrenum profecta eſſe dicitur cum Card. Borbonio, vt filiam illi rurſus obtrudat. Num vero hoc auſuram putabimus, niſi generi animum noſſet alium eſſe, quam debebat? Recte fecerint Belgæ, ſi ſolius Dei ope freti, quod magno animo cæperunt, perficere pergant, procul relictis illis, quorum fides non immerito eſt bonis ſuſpecta. Imperatoris obitus conſilia multa turbabit: at viciſſim multis animum addet improuiſa Illuſtriſs. principis Electoris Palatini mors, quæ vtinam non triſtem in eius terris rerum mutationem & piorum diſſipationem pariat! Sed inueniet Deus his quoque malis remedium. De Polonis nunquam bene ſperare potui; oportet enim ſeueris oribus ſcopis expurgari horribiles illas in æternum Dei filium blaſphemias, quæ iam annis aliquot illic impune

pune grassantur. Quod Dn. Brunnerus nostra in se officia tantopere prædicat, candori eius tribuimus. Fecimus tamen, quod in breuissimi temporis angustia fieri potuit. Ei, si apud vos est, salutem meis verbis dicas rogo. D. Mollerum ex arce Misena, quæ ei custodiæ loco erat, euasisse scribitur, vna cum alio quodam, cuius nomen non annotatur. Si D. Brunnerus de iis, quæ in Saxonia geruntur, quid habeat scriptu dignum, gratiss. nobis fecerit, si ea communicet. Vale vir mihi plurimum obseruande & dilecte. Tiguri, XVIII Nouemb. Anno MDLXXVI.

Tuus

RODOLPHVS GVALTERVS Pater.

XLI.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano vander Mylen, Ill. Ordinum Hollandiæ apud Principem Arausinum Senatori.

Roterodamum.

S. P.

Historica. de Repub.

HEri redijt is, qui nuper dederat ad Dorpium literas, de ineúda, vt scis, pace. Attulit, habere se iam ab ipsis Ordinibus mandatum, vt ijs impetret commeatum liberum, quos in eum finem decreuerint ad nos mittere. Quod si qui isthinc ad eam rem mittantur, da quæso operam, vt sint homines æqui & prudentes, & vt habeatur D. Principis ratio, qui duabus illis expeditionibus magno se ære alieno obstrinxit. Et sane impia fuerit ingratitudo, pro rependenda gratia etiam in fraudem illum inducere. Asseuerat, consensionem Flandrorum cum Brabantis initam: quod si ita se habeat, videntur Brabantorum res esse firmio-

firmiores. Nam de Hannonijs & Artheſiis nihil dubitamus. Addebat, Hiergeium Arnhemij etiam ex Ordinũ mandato captum detineri. Quod & ipſum Geldrorum cum his conſenſionem certam indicat, de qua audiuimus pridem tractari, & quidem de illo capiendo mandatum factum certo accepimus, ſed ecquid conſecutum ſit, nondum audieramus. Captos Bruxellæ eſſe ad XXIII numero, ex quibus Delrio, Finckium, & Boſſchotium in carcerem, qui *Treurpoort* dicitur auectos eſſe. Viglium in ſuis ædibus data cuſtodia detineri accepiſti. Reliqui eo loco ſunt quo fuere primum deducti. Res à Glimeo perpetrata eſt fortiter certè, & vt ſpero fructuoſe & vtiliter. Arſchotium aiebat Senatus Ordinũ Principem delectum eſſe, eiq; per Legatum adlectum Likerkium. Illud conſtat, arculas omnes & commentarios captorum publicè ab Ordinibus inſpici debere, è quibus multa procul-

dubio arcana, & ἀπόῤῥητα expiscabuntur; quæ facti huius rationem possint ἀπολογεῖσθαι, & iam quidem multas eorum machinationes fraudulentas detectas fuisse certum est. Paulum quidem Somerum, qui Gandauum se receperat (est homo obscurus, qui scribendo & Regis characteres imitando, adulterandoque apud Senatum erat gratiosus) in vincula à ciuibus coniectum esse nobis bis constat. Hispani consilium occultè inierãt de capiendo Louanio: sed re detecta, centurio quispiam Hispanus captus fuit, & Bruxellam missus. Illi Wilbruchum occuparunt & Tenremondam (quod est grauius) à se habent, quod tamen vt primo quoque tempore in suam potestatem redigerent iam pridie nostros monueramus. Sed Germanorum militum auaritia multum hac in re obest. Tribunos militum Germanos tres habent sibi addictos, ac inprimis Poluiterium, cui se adiunxere Fronsbergius & Fockerius.

Comes

Comes Oberſtenius, in quo maximum eſt poſitum momentū, etiamnum videtur fluctuare: Ordinibus quidem multa eſt pollicitus, Hiſpani tamen ipſi videntur confidere. Manupuli certe aliquot eius militum cuſtodias quotidie in arce Antwerpiana vna cum Hiſpanis agunt. Champaneio cum Zanchio Auilano tandem cōuenit. Data fuit apud Oberſteinium cœna, in qua tranſegerunt: quod facit vt male de Oberſteinio ſuſpicer, etſi non deſunt, qui ſtratagema hoc eſſe arbitrentur. Ciues verò Antwerpiani plerique de illo bene ſperant, & Germanis ſalutem ſuam concredunt. Quid futurum ſit, docebit rerum euentus, & acta exitus probabit. Omnino rogandus eſt Deus, vt omnia in ſui nominis gloriam vertat. Bertoldum eſſe ab Hornano magiſtratu ad munus eccleſiaſtæ inuita Claſſe & reclamantibus reliquis miniſtris aſcitum, iam credo te audiiſſe, & quidē aliquot conciones habuiſſe, vole-

bant hic ministri à Principe intercedi, & ipsum Bertoldum, atque aliquot, ad quos res pertinerent, huc, ad causæ cognitionem, quæ arbitris bonis viris committeretur euocari. Ego tamen dissuasi, fuique author, vt leniorem primum viam tentarent, dato libello supplici ad magistratum, quem ratione, & blanda submissione ad æquitatem & officium potius, quam imperio & Principis authoritate, cui fortasse ex animi ægritudine sint reclamaturi, reuocarent. Hoc si non succederet, viam esse plane in integro: quod mihi quidem certe maxime hoc tempore consilium probatur, propterea, si quid illis renitentibus oriatur dissensionis, ea quantulacunq; fuerit, magnum, & ad violandam Principis authoritatem, & ad disciplinæ neruos infringendos (quos illi hac ratione maxime volunt stabilire) habitura est momẽtum. Scis enim quam inuisum sit, & consistorij, & classis, & prope etiam religionis nomen,

& iam

& iam exacerbato animo boni illius quem nosti viri, qui suis se affectibus, & impotentia animi quouis abripi patitur, facile hæc res in neruum sit eruptura, si acerbiusculum ahhibeatur imperium, quod certe necesse fuerit, si non continuo paruerint. Quid literis meis nuper ad Senatum vestrum datis actum sit, scire vehementer desidero: lectæ ne sint, nec ne, & quomodo auditæ, denique quid ille ipse cuius nomen agitur, moliatur. Tuas literas datas x Sept. accepi, ni fallor, nudiustertius. Tu crebro ad mescribas, peruelim. Gratum mihi feceris, si ex mea Bibliotheca miseris ad me Platonem Græcum, & Philippum Melanchthonem de anima; puto enim, quum Dordraco venis Delphos, vel hinc abis Dordracum, ter Roterodamo viam facere, & rogo vt non graueris inuisere meam Bibliothecam: audio enim tectum perpluere: quod si est, velim te rogatum, vt ancillæ meæ negotium des librorum

recondendorum, si qui sunt, qui damnum queant accipere. Vale, mi optime Myli. Delphis, XV Septembris. Anno MDLXXVI.

Tuus quem nosti

PHILIPPVS MARNIXIVS,

XLII.

Nobili & clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen Ill. Ordinum Hollandiæ apud Principem Arausinum Senatori. Dordracum.

S. P.

De Republica.

TE non huc fuisse ablegatum miror, & nonnihil indolui: etsi satis scio tuam isthic præsentiam haud fore otiosam. Rogo, vt me rerum quæ isthic geruntur, facias crebro certiorem, ego vicissim si quid hic erit scriptione dignum ad te perscribam. Hoc quidem tempore varia sunt in expectatione plerique, alij aiunt cum Ioanne Austriaco conue-

niſſe

nisse Ordinum legatos qui sunt Namurci,& idipsum à nostris perscribitur, non ita tamen affirmatè, nec ita sigillatim vt habeamus pro explorato. Ego certè necdum adducor vt credam. Aiunt Austriacum venturum Louanium vel Mechliniam, & selecturum ex Ordinum legionibus quam voluerit pro custodia: ita enim perscribunt quinque illi à Namurcẽsibus delegati,homines certè obesæ naris, si non agunt hanc rem siniſtrè:& tamen mirificè sibi gratulantur, cum nemo interea dubitet, quin aperta subsit fraus. Quis enim nescit,legionẽ Mondragoniam eum delecturum? Et iam se illi coniunxerunt plerique equites Hispani, ex quo potes conijcere de reliquo. Qui Bruxellę hęserunt,grauiter hanc paciscẽdi rationem ferunt, & serio expostulant: omnino autem nostrum Principem deposcunt, & Sluſas daturos in eius potestatem recipiunt. Mirum quo se hæc vertent: ego omnino bellum vel flagrantissimum

exspecto,

exſpecto, vel enim cum Ioanne Auſtriaco communibus viribus erit incundum, vel certe Ordines inter ſe conflictabuntur. Dominus largiatur quod erit ex ſui numinis gloria, & ſuis fauſtum ac ſalutare futurum ſtatuet. Qui has tibi reddit, agit negotium Teronij, viri certè optimi, & qui præclaram operam in rebus noſtris nauauit. Quod enim belli huius moles à noſtris ceruicibus Hiſpanorum tumultibus auerſa, prouincias haſce tanto tempore pacatas reddidit: id eius labori, induſtriæ, vigilantiæ, non dubitabo pro magna parte ferre acceptum. Ego illum cum eſſem in Anglia ablegaui in Belgium cum literis & mandatis, nec vnquam ex eo tempore deſtitit præclara præſtare nobis omnibus officia, ita certe vt vniuerſa illi patria plurimum debeat. Inprimis autem hæ noſtræ prouinciæ. Huic (puto non te neſcire) olim ereptæ fuere ex naui quadam merces: ita tamen vt Ordines re cognita receperint ſe reddi-

redditurus pretium. Cum autem animaduerteret inopia Rempubl. laborare, non modo quod iure debebatur non flagitauit, sed multa etiam de suo (quod certo mihi compertum est) & prolixè in constituendis rebus erogauit. Iam autem rebus ita constitutis, vt Dei beneficio ac munere nonnihil respirent Hollandi ac Zelandi, cupit non sibi fraudi esse hanc suam patientiam: in eo etiam illi vt operam naues etiam atque etiam quam possum vehementissimè obsecro: facies certe te dignum, & Reipubl. officium præstabis, & me tibi certe deuincies. Vale, vir præstantissime, & tuum Marnixium vt facis complectere. Middelburgi, VI Ianuarij, MDLXXVII.

Tuus

PHILIP. MARNIXIVS.

XLIII.

XLIII.

Præstantissimo viro, Dn. Bon. Vulcanio Flandro, domino & amico suo, plurimum obseruando, Basileæ.

S. P.

Varia. QVod ad literas tuas postremas, quæ mihi x x x Martij redditæ sunt, hactenus non respondérim, non alij causæ tribues, Vir præstantiss. & mihi plurimum obseruande, quàm ei qua tu in tuis te excusas, occupationibus nimirum continuis, quæ me ab eo tempore ita distraxerunt, vt multa inuitus prætermiserim, quæ mihi factu iucundissima sunt. Et spero amicitiam nostram ita iam esse confirmatam, vt tantilli temporis silentio minimè labefactari, nedum abrumpi possit. Conditiones pacis Belgicæ (pro quibus tibi gratias ago) legi, & sunt quidem duræ, sed tamen (vt recte iudicas) bello tolerabiliores, cuius euentus dubius est, maximè hoc sæculo, quando non nisi per homines venales

les & mercenarios bella geruntur, de quibus nihil verius dici potest, quàm quod olim Lucanus canebat. *Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.* Verentur tamen multi, ne pax illa diuturna ac stabilis sit, quòd religionis libertati non satis cautum esse arbitrentur, sine qua pax consistere non potest. Sed sunt hæc in Dei manu: qui si spiritum suum in illis regionibus spirare velit, frustra ei reluctabuntur, qui cum ipso in certamen descendunt. Et puto te iam ex tuis resciuisse, quid de tota hac causa possimus sperare, & si quid scriptu dignum acceperis, id vt nobis communices rogo. Quod Sulzero acciderat, iam ante audiueramus. Non probo improbi illius & ebrioſi equitis factum: velim tamen Diotrephen illum cogitare, nihil absque numine fieri, neque sibi insolens debere videri, si qui intra suos limites sese non continent, & distractionis Ecclesiarum authores sunt, sua professione indigna patiantur.

antur. Etenim (vt alia multa eius facinora omittam, quæ hypocrisi sua hactenus velare potuit) postremum hoc, quo in Gallos fratres peccauit, excusationẽ nullam admittit. Quæ enim inhumanitas est, exulantibus negare id, cuius causa relictis patrijs sedibus ad nos sese conferunt? Sed tanta est istorum hominum in suis erroribus defendendis pertinacia, vt veritatẽ ne in peregrina quidem, & ipsis incognita lingua loquentem ferre possint. Itaque mihi canum similes videntur, qui campanarum sono, quem nesciunt vnde procedat, aut quid sibi velit, offensi vlulant. Idem decretum Argentinæ factum esse non ignoras. Sed audio D. Marpachium eius ita pudere, vt non vereatur protestari, hoc se inscio & nolente factum esse. Ita verò auriculas produnt asini Cumani, dum pelle leonina sese induunt, ut simpliciores terreant. At non difficile est Deo superbos suorum aduersariorum spiritus deprimere, quod

quod citius fiet, quàm illi sperent. D. Beza filio meo versibus elegantissimis, in magno folio excusis, parentauit: quos si nondum vidisti, mittam exemplum eorum, quod mihi vnicum est reliquum. Quod his addam non habeo: nam quæ de rebus Gallicis & peste in Italia recrudescente sparguntur, vobis non possunt ignota esse, qui plures Gallos & Italos habetis. Quæ ex Saxonia nuper accepimus, ad D. Grynæum perscripsi. Videtur Fabellus ille Tubingensis eas illic turbas excitasse, quarum ruina ipsum cum suo cœlo, & toto Vbiquitatis ædificio præcipitem trahet, quò dignus est. Precor æternum Dei Filium, vt his rebus vbique terrarum afflictis medicam manum afferat: & in hoc te, vir præstantissime, valere opto. Tiguri, Cal. Iunij, An. M D LXXVII.

Tui obseruantiss.

RODOLPH. GVALTHER.

XLIV.

Clarissimo viro Dn. Doctori Elberto Leonino Philip. Marnixius Aldegondio.

S. P.

Varia. NON possum, quin te hoc verbulo salutem, & grauiter querar suauissimam nostram consuetudinem iam hoc tam diuturnæ absentiæ incõmodo intercluſam. Maxime vero, quod in XVII istis prouinciis nemo sit, qui sui Aldegondij semel meminerit. Sed quid dicam, quod in tanti momenti negotio nos hîc rerum omnium nostrarum esse ignaros, & hospites patiantur? vt prope his temporibus esse ridiculi cogamur: omnino autem inanibus hostium rumusculis pro eorum libidine vndiquaque sparsis, locum dare. Si quid enim est, quod negemus esse verisimile, continuo audimus; Ecquid ex patria habetis vos vel certius, vel verisimilius? Hîc pisce fumus

mus magis muti. Tu, nisi tua hîc nobis diligentia omnibus obuia succurras, vide ne de nobis plane sit actum. Orationem, quam nuper hîc in cœtu pronunciaui, iam credo vidisti: miseram enim ad sereniss. Principem Matthiam: & vbi erit excusa, quod puto fore propediem, non prætermittam, quin exemplorum habeas affatim. Nostri (id est, tuus ille Hattstein, cur enim non dicam tuum, qui à te est eruditus, dico eruditus ex etymologia, vna cum suo Comite Rifferstheio) aduersarij, qui sibi *Copey vnd tag* postularunt, meditantur scriptum antilogicum. Ita nobis noua paratur arena. Sed audio non dicturos; neque Latine, sed Germanice exhibituros, scripto. Sed faciant illi, quod volent; modo vt nobis hinc aliquando liceat euolare, ita me Germaniæ pertædet. Habeo quidem otij satis; poculis & delitiis abundo, sed laborāte patria, quid possit esse suaue? Tum careo nostrorum, & præsertim tua con-

suetudine, quam quanti faciam, melius intelliges, postquam me cognesces propius. Nihil enim est in te quod non sit suauissimum, si hoc vnum demas, quod nimiũ es atheologus. Dum enim tuis illis formulis, quid dico formulis? imo oraculis, neminẽ lædere, honeste viuere, aliisque tanquam scopulis inhæresces, videris mihi Apostolorum omnium ac Prophetarum laborem omnem prope inanem ducere. Sed interea vtut sit, vtinam pro hoc otio, & pro his Germanicis delitiis, vel te audiam disserentem, vel patriæ laboranti aliquod vel tantillum præstare officium queam! Tu labora vt reuocemur. Si nihil hîc agimus, vt certe agimus nihil, ego alias laborabo, in legendis tuis Decretorum censuris, quas ægre me ferebas Herculis comparasse labori Augiæ stabulum repurganti. Et tamen, si Hercules ea fuit statura, quam retulit eius in Olympiis pes, vt, si recte memini, refert Gellius, non planissime certe

aberraui

aberraui à scopo: in hoc fortasse fuit error, quod in illo stabulo vnius generis animalia, boues, ni fallor, fimetum fecerant, in hoc fere vniuersa Nohæ arca sordes suas omnes in vnum coniecit cumulum. Quare necesse est, te vel tanto maiorem, vel tanto esse fortiorem Hercule. Sed omissis iocis, tu quæso, fac nos rerum vestrarum, nec enim amplius dicere audeo nostrarum, (videor enim mihi propemodum exulare) diligenter & sigillatim certiores: &, ne hîc sis longus, dico quod ad moram, non quod ad epistolam vel staturam: de hac enim demi mihi fuerit acerbissimum, tibi etiam damnosum, de illa vero, etiam mihi certe iniucundum, tibi fortasse suaue, quando te tuo decreto repurgando fatigasti, aut aliis literis scribendis, quæ fortasse sunt maioris momenti, vsque ad lassitudinem exercuisti. Et tamen si intellexisti quod hic negotium agimus (intellexisti autem proculdubio, si quis alius) omnino

iudicabis, & hoc esse grauissimi momenti, & vestrà permultum interesse, vt sciamus quid istic rerum geratur. Vale, Franckentalia, XVIII Maij, Anno M D LXXVIII.

Tuus

PHILIP. MARNIX.

XLV.

Præstantissimo viro, Dn. Bon. Vulcanio, Flandro, Brugensi, domino & fratri suo obseruando, Basileæ.

S. P.

Varia. VErè quidem & recte de me iudicas, mi doctissime Vulcani, & obseruande in Christo frater, Belgij, prouinciæ quondam florentissimæ, salutem & tranquillitatem mihi cordi esse. Ferreus enim essem, nisi belli tam diuturni calamitatibus, vrbium excidijs, ciuium cladibus, piorum exiliis, innocentium agrico-

agricolarum direptione, & publicæ libertatis oppressione, tyrannide deniq; plus quàm Phalarica & Neroniana mouerer. Hæc certè omnia dum animo meo obuersantur, eò acutius hunc vulnerant, quòd olim cum decimum septimum ætatis annum agens in Angliam proficiscerer, à Colonia Caletum vsq; totum illum tractum perlustraui, & passim summam expertus sum gentis illius erga nos humanitatem. Non possum ergo non exhorrescere, quoties cogito, quid nunc in illis locis fiat, & quam indignis modis tractentur, qui prius cum totius Europæ commodo res suas quieti agebant. Magis me tamen mouet, quæ inde ad totam Ecclesiam redire aliquando poterit calamitas, si illic firmam & stabilem suæ tyrannidis sedem Hispani constituant, quos certe mihi persuasi iam totius Germaniæ Ecclesias spe sua deuorauisse. Nescio autem, an magis Belgarum calamitas, aut Germanorum, plus quam

belluina stupiditas, deplorari debeat, qui cum ista in foribus suis fieri conspicantur, adeo non excitantur, vt de incendio isto restinguendo, aut saltem coercendo cogitent, vt potius suis ceruicibus imminentes carnifices iuuent. Sed debemus hoc malum mercenariæ militiæ, quam nobiles & plebei iam pridem sibi quæstum fecerunt, & quæ cum inani gulæ & crapulæ, fastus item & libidinum studio verbi Dei contemptum Cyclopicum nobis peperit. Accedunt insanæ contentiones de religione & doctrina, quæ & ipsæ ambitiosis quorundam consiliis eò vsque deductæ sunt, vt cædes & sanguinem multi spirent contra fratres, qui interim Euangelio, quod pacis nuntium est, gloriantur. Quid ergo posthac speremus aliud, quam quod incendium hoc, aliquando communis patriæ ruina extinguet, nisi Deus ἀπὸ μηχανῆς operam ferat? Hunc ego assiduis precibus fatigandum esse duco, vt si non nostri misereri velit,

quos

quos fatalis ἀναισθησία καὶ ἀναλγησία incurabiles fecit, suæ saltem gloriæ rationem habeat, & reliquiarum suarum cura tangatur, ex quibus (vt olim post Babylonica bella) Ecclesiæ rursus succrescant. De his, ad te scribere libuit, mi Vulcani, vt tuum luctum tibi nobiscum communem esse intelligas: & rogo, vt si quid interea certius resciuisti, ne nos cæles. Ex Palatinatu nihil adhuc ad nos allatum est, quamuis præter amicos alios illic vxoris meæ fratrem germanum in schola, & consobrinum in aula habeam, qui apud Electorem p. m. in summa gratia, & apprime eidem charus fuit, & nescio an ex silentio tam diuturno aliquid boni, aut mali sperare debeamus. Non deerunt, qui mutationem, vel etiam euersionem Ecclesiæ fieri illic volent: & vehementer metuo, ne ex Saxonia venti surgant, qui segetibus illic lætis vredinem aspirent. D. Grynæus, quem hic de rebus quæ ibi aguntur, scripturum puta-

bas, nihil literarum dedit: eumque vt ex me salutes, & si quid habet certi, ad scribendum excites, rogo. Burgundos, qui Hispanis parent, aliquid moliri ex eo apparet, quod Helueticorum auxiliares copias petunt aduersus nescio quos turbulentos, quos tamen non nominant: ego istud omne ex eadem officina prodire puto, quæ nuper consilia de fœdere Sabaudico protulit. Idem enim Vulcanus in Sabaudia & Burgundia rebus præsidet: & quia Sabaudicum negotium tardius procedit, vel potius nulla de eo spes est reliqua, alia rem aggrediuntur, num quid sub Burgundici fœderis (quod nobis perpetuum & hæreditarium est) prætextu impetrari possit. Sed non puto nostros passuros, vt illud pro suo arbitrio latius extendant, quam publicæ pacis ratio ferat: audiemus tamen in Comitiis, quæ iam indicta sunt Badam, quid illi velint. Petis præterea, mi obseruande frafrater, vt de Græcorum Bibliorum editione,

editione, quam paras, meum iudicium tibi perscribam. Ego vero, vt mihi ipsi non libenter tantum tribuo, ita non possum dissimulare, me iam pridem optauisse, vt aliquis huic operi manum admoliretur: & si tuus conatus titulo, siue inscriptioni, quã ad me misisti, respondeat, næ operam & impensas optime collocabis: itaque, vt in opere tam sancto & vtili pergas, hortor. De Mollero, qui ex arce Misena euasit, non est quod dubites. Alterum, qui eodem successu vsus est, audio D. Prætorium esse, qui nunc Dantisci agit. Faxit Deus, ne Augustus inde conceptas nouæ iræ flammas in optimum virum D. Peucerum euomat: sed sentiet ille procul dubio, quid sit sub Christi prætextu huius seruos indignius tractare. Ex Galliis nihil, nisi tristia & dura audimus, nec dubium est, illic nouis motibus viam sterni: & Alenconius à societate discessisse dicitur. Sed de his fortassis tu quoq; certiora iam audisti.

Ioan.

Ioan. Iacobus Frisius te resalutat, & Froschouerum Epitomes Bibliothecæ excudendæ spem sibi fecisse ait ad proximum Pascha, quando ex nundinis redierit. Vale, mi doctiss. & humaniss. Vulcani, quàm felicis. in Christo, quem precor, vt tuis studiis itidem benedicat. Tiguri, VI Decembr. MDLXXVI.

Tuus

RODOLH. GVALTHERVS, Pater.

XLVI.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano Mylio, Prouinciæ Hollandiæ à consilijs.

S. P.

CLariss. Vir. It ad te Responsio Dn. Aldegondij ad Iani calumnias, quæ quidem non satis scio, tabellarij an alterius cuiuspiam culpa hic relicta fuerit. Edita est deinde

inde & altera, quæ Regias literas Ordinumque responsum & Sellianas præstigias continet, cuius exempla aliquot adiunxi. Author huius est Leoninus, vt ἐξ ὀνύχων facile coniecturam feceris. Curabis vero, si placet, amicis ea distribui, ac nominatim, vt mihi D. Aldegondius, vt ad te scriberem iniunxit, D. Buzio & Casimbroto. Te autem maiorem in modum rogo, vt negotium meum de summa aliqua pecuniaria, quæ sumtus vecturæ librorum meorum leuare possit, mihi decernenda, Ordinibus commendes. Cogitamus enim Wormaciam: vnde, si aliquid statuti habuero, facile Basileam euolaro. Quod ad Historiæ scriptionem attinet, competitorem habeo, si Dijs placet, absit verbo blasphemia, Regium illum, quauis musca importuniorem. Nihil tamen efficiet. Nam & hominis leuitas, & inscitia, adde etiam impudentia, omnibus bonis est fastidiosa. Interea hic lacer oberrat, & stultitiæ suæ dignas

dignas pœnas luit. Bene vale, vir clariſſime, & me, quod facis, amore tuo complecti perge. Antuerpiæ, XX Martij, MDLXXVIII.

T. ſtudioſiſſ.

BON. VVLCANIVS.

XLVII.

Præſtantiſſimo viro, Dn. Bon. Vulcanio, Flandro, Brugenſi, domino & fratri ſuo obſeruando, Baſileæ.

S. P.

QVod ad binas literas tuas, quas intra biduum, Cal. nimirum Ianuarij & ſequenti die accepi, hucuſque non reſponderim, non alia de cauſa factum putabis, quàm quòd nihil interea ſcriptu dignum acceperim. Tibi verò vir præſtantiſs. & obſeruande in Chriſto frater, gratias ago quas poſſum, qui de rebus Belgicis tam diligenter perſcripſiſti, & vt id porrò facias rogo. Nam, mihi crede,

crede, de illis frequenter cogito, & Deum Patrem precor, vt effrenem hanc Hiſpanorum inſolentiam coërceat, & populum tot iam annis crudeliter oppreſſum, liberet. Confirmantur quidem multorum ſermonibus & literis, quæ tu de pace inter Auſtriacum & Ordines facta ſcripſeras: ſed quò magis de conditionibus pacis cogito, eo magis mihi tota hæc actio ſuſpecta eſt: & vehementer metuo, ne infelices nimia facilitate & credulitate ſeipſos perdant, & patriam ſeruitute inextricabili aggrauent. Nec enim puto Reges Hiſpaniæ vnquam oblituros eorum, quæ illic facta ſunt, vtutilli de ſua erga illos obſeruantia proteſtentur. Et eſt hoc proprium regibus, vt inexpiabile ſcelus putent, ſi quis aduerſus ipſos vel dicto vel facto aliquid audeat, & quamuis interdum ſe placatos ſimulent, in omnem tamen vindictæ occaſionem intenti ſunt: neque deſunt interea, qui vt reges, quos læſerunt, ſibi demerean-

mercantur, ciuium suorum libertatem produnt: quod iam apud Gallos fieri, iam te audiuisse puto. Lugduno enim scribitur literis XXV Ianuarij datis, post factum Blæsis decretum, quo præter solam Romanam religionem aliæ omnes ex Gallia exploduntur, in Delfinatu & linguæ Occitanæ prouincia vtrinque ad arma concurri, à nostris arces & oppida multa capta esse, & copias iam eos maiores habere, quàm vnquam antea habuerint. Condæum aiunt Rupellæ esse, sed difficulter illic fuisse receptum, adeò vt de vita periclitatus sit. Vbi in vrbem venit, in frequenti Senatu duos primarios proditionis accusauit, qui in carcerem ducti sunt. Hæc nuper Bernæ P. Dathenus ab illo & rege Nauarreno demum reuersus retulit. Sunt igitur omnia plena proditionum, & detectam insuper aiunt Guisianorum proditionem, qui cum nonnullis ad regnum ex Pontificis authoritate obtinendum conspirarint.

rint. Discessit nudiustertius hinc tabellio ad regem cum literis communi ciuitatum Euangelicarum in Heluetia nomine scriptis, quibus illum ad pacem & libertatem religionis tuendam hortantur. Sed metuo ne surdo fabulam canant. Tu, si quid certius habes aliunde, ne nos cæles. Expecto tuam Threnodiam in obitum Friderici Electoris. De Ludouico successore me bene sperare prohibet, quod Tubingam & Stutgardiam eius oracula esse audio. Vehementer mihi placent versus tui, quibus ad Austriaci & Auraici nomen tam feliciter alludis. Meminerit Auraicus, Austrios antiquo aduersus Nassouios odio laborare: quod in Alberto Rege Romano cæpit, qui Adolphum Nassouium occidit, vt regno potiretur. Deus opt. max. sanguinariâ hostium suorum consilia dissipet, & Ecclesias nobis seruet ad sui nominis gloriam. Vale vir præstan-

tiſs. Tiguri, IV Februarij. Anno MDLXXVII.

Tuus

RODOLPH. GVALTERVS
Pater.

XLVIII.

XLVIII.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano vander Mylen, Ill. Ordinum Hollandiæ apud Principem Arausinum Senatori. Dordracum.

S. P.

CLarissime & amantissime Domine, Bruxellis aliquot diebus fui, sed ita vt in spiritu meo præter tristitiam nihil sensserim. Idem Mechliniæ mihi accidit: vtrobique causas iræ Dei non tolli sed augeri & reuocari video, frustra ergo de remediis cogitant. Huc eo animo veni, vt porro ad vos, deinde in Frisiam irem: sed incidunt quædam, quæ me Coloniam redire suadent: quare ignoscas mihi, quod tam prope sim, vos tamen non inuisam. Præter postremas tuas literas non scio me vllas alias ab aliquot annis accepisse, alioquin respondere ad eas non omisissem. Herbipoli iam fere annus est, quod discesserim: Colo- *Familiar.*

niæ domicilium constitui, ibidemque in libertate & pio otio per gratiam Dei vitam meam traducere statui. De alienatione quod scribis, non satis assequor: nisi forte intelligas, non idem nos per omnia sentire, loqui, & facere, quod ex animo meo fieri posse, optarem. Cumque ex multis tenebris & vitiis erepti simus, ne nouis tenebris & vitiis implicari nos patiamur. Quæ in his locis & publice, & priuatim vidi & audiui, ea horrorem mihi incutiunt: meliora apud vos spero, vt vos Dominus ab impendentibus adhuc malis custodiat & defendat, necdum enim plagarum Dei finis est: Adiunctos libellos legere non grauaberis, mihiq; de illis iudicium tuũ perscribere. Bene vale, in eo, qui nos dilexit Christo Domino & Deo nostro, Vxori tuæ, & fratri Iohanni Oem à me quæso salutem. Hunc iuuenem, qui filius est Gemmæ à Burmannia literis & pietati deditum, vt commendatum habeas, rogo. Antwerpiæ

piæ raptim, XXVII Iunij, Anno MDLXXVII.

D. V. addictissimus

AGGÆVS ALBADA.

XLIX.

Virtute & eruditione præstantiss. viro, Domino Bon. Vulcanio Flandro Brugensi, amico & fratri suo plurimum obseruando, Basileæ.

HAc ipsa hora sub noctem accepi literas tuas vir præstantissime, vna cum parodia Horatiana, quæ mihi lachrymas excussit, ad quas, etsi iam propter priuatum luctum, quem ex filij mei vnici & charissimi obitu concepi, pronior sim, plus tamen me mouet calamitas publica, quam Ecclesiis & Scholis passim omnibus imminere, omnis generis signa portendunt. Amisimus à paucis annis Theologos prope

omnes, qui à tempore renascentis Euangelij operam fidelem Ecclesiis præstiterunt, & operum Domini, quæ in populi sui ex seruitute Antichristiana redemptione edidit, pars aliqua fuêre. Et non ita pridem eum principem nobis eripuit Deus, qui solus (absit inuidia dicto) Dei solius gloriam magis quam priuata commoda quærebat, & honestos pro Ecclesia Dei labores inutilibus studiis, quibus plerique principes dediti sunt, præferebat. Qui vero reliqui sunt docti, eos aut Romanus Antichristus per suos satellites ferro & igne persequitur, aut Schmidelina factio exagitat, vt bonas horas inutilibus rixis impendere cogantur; vt iam de illorum indignissima sorte nihil dicam, quos insolentes illi Diotrephes aliquorum Principum fauore armati, in carceribus tetris iam multos menses detinent. Quid ergo, mi doctissime Vulcani, aliud speremus, quam vt Germaniæ nostræ, quæ lætum illud iubar Euan-

gelij

gelij tam fastidiose contemnit, imo odit quoque, tenebras plus quam Ægyptias Deus immittat, ne diutius impune sub plausibili Euangelicæ professionis prætextu proteruiat? Sed vt ad meum dolorem priuatum redeam, cum mihi tecum sermo sit, quem meis curis ex animo affici non dubito, fuit mihi filius vnicus, ex charissima coniuge priori, quæ magni illius Zuinglij, Euangelicæ lucis in Heluetia instauratoris filia fuerat, ingenio alacri & prompto, eruditione & doctrina nō vulgari præditus, & in Ecclesiæ ministerio, ad quod ante menses circiter XXVIII vocatus fuit, expedita & facili facundia eam laudem iam sibi acquisierat, quæ multis Theologis vix obtingit postquam ætatem ferè omnem in hoc studio contriuerunt. At hunc XXI Decemb. pleuritis acuta corripuit, quæ mox miris mutationibus nouos itidem morbos peperit, vt medicis omnibus admirationi fuerit: quos omnes cùm

illo totis hebdomatibus septem inuicta animi fortitudine & constanti in Christum fide sustinuisset, tandem nona huius mensis circa medium noctis animam creatori reddidit: ipse quidem fœlix & beatus, at mihi priuatim luctum perpetuum, publice vero sui desiderium maius reliquit, quam ego de ipso viuo vnquam sperare potuerim. Me vero etsi consoletur Spiritus ille veritatis, quem suis seruis Christus promisit: tamen dissimulare non possum, me hominem esse: & ferreus essem, si non eius obitu dolerem, quem tota ciuitas lugere videtur, vt quæ de illo iam spem maximam conceperat. In tuum vero sinum hosce meos gemitus depono, vt vel sic recreationem aliquam sentiam. Veruntamen dum animo mecum reputo nostri temporis statum, & illum, & omnes eos beatos duco, quibus datur in Domino mori, vt à curis & laboribus requiescant. Ardebit hoc anno, nisi Deus prohibeat, orbis totus

tus bellis horrendis. Quæ enim de Gallia scribis, nos aliunde etiam accepimus. A Nauarreno Papistæ postularunt, vt Missam, quam mater eius sustulit, ipsis restituat. Illo autem responsum differente, ex Comitiis Blæsiacis renunciatum est, vt illis morē gerat, nisi Ordines Franciæ omnes velit inimicos habere. Quis verò non detestetur perfidiam illam, qua nemo tyrannorum vnquam tam impudenter peccauit, quam Galli reges iam aliquot annis factitarunt? Sed tolerabilis illa videri poterat, si in solis regibus, & qui his proximi sunt, hæreret. At cùm eodem reatu sese omnes Ordines & Prouinciæ obstringant, quis dubitet, publicum illud scelus publico totius regni excidio expiandum fore? De Belgico num meliora sperare nobis liceat, nondum video: nisi Deus ἀπὸ μηχανῆς miseros respiciat, vt quam miseri sint omnes serio intelligant. Quæ vero de vestræ Ecclesiæ ministris narras, mihi noua &

mira viderentur, nisi Sulzeri, annosæ vulpeculæ astus, & Fieglini tribunitios spiritus iam pridem cognouissem. Sentient autem aliquando, quid sit contra stimulum calcitrare. Ego potius Senatus prudentissimi stuporem admiror, qui hanc notam suæ vrbi inuri finit: vt iam nihil dicam de inuidia & odio, quod illi apud Heluetios Euangelicos conflatur, dum paucis permittunt, vt à nostra confessione apertam secessionen faciant. Spero tamen D. Virelum aliquid impetraturum, si virorum bonorum, & qui eius loci ingenia atque mores norunt, consilio vtatur. Velim autem, eum protestari, se libenter cessaturum à concionibus in priuatis ædibus, modo templum aliquod ipsis aperiatur, sicuti aliquando apud nos Loccarnensibus factum fuit, priusquam nostræ linguæ cognitionem aliquam haberent: sed non deerunt illic, qui cõsilia salutaria ipsi suggerant. Faxit Deus, vt aliquando vnum in Christo

omnes

omnes loquantur & sentiant qui illius nomen profitentur. Sed quod nunc neque pietas, neque alienarum cladium consideratio nobis persuadere potest, id fortassis aliquando necessitas publica, & ex æquo ad omnes redundans, extorquebit. Hæc iam multa nocte scribo propter nuntij festinationem, quem crastina luce abiturum audio. Pollucis translationem ante annos fere quadraginta adolescens adhuc aggressus sum, cuius me sæpe puduit, cùm quod multis in locis me hallucinatum esse postea viderim, tum quòd cùm me procul absente liber excuderetur, multi loci à typographi operis corrupti sint: videbo tamen, vt si quod exemplar Latinum inueniam, ad te mittatur. Gesnerum cras conueniam, & num opus illud, quod te in Bernensi Bibliotheca vidisse scribis, habeat, perconctabor. Dn. Iacobo Grynæo ex me quæso salutem dicas, cui scribam, vt primùm omnium nactus

fuero.

fuero. Vale mi doctissime & præstantissime Vulcani. Tiguri, XIII Febr. Anno Christi nati 1577.

T. studiosiss.

RODOLPH. GVALTERVS.

L.

Præstantissimo viro, Dn. Bon. Vulcanio Brugensi Flandro, domino & fratri suo, plurimum obseruando, Basileæ.

ACccepi literas tuas vir præstantissime, & mihi plurimùm obseruande, cum carminibus doctissimis, quæ in filij mei obitum conscripsisti. Quod officium, nisi mihi gratissimum esset, ingratissimus mortalium, & in filium defunctum impius merito dicerer: quem ego, quoad hoc sæculum quoque, felicem & beatum iudico, cui post obitum tantus præco contigit. Nam etsi (quod pace tua dixerim)

nimius

nimius videri possis in illo & me prędicando: tamen omne hoc tuo candori tribuent viri boni & docti, apud quos publicum nostræ coniunctionis testimonium extare, vehementer gaudeo. Tibi verò, mi doctiss. Vulcani, gratias ago immortales, relaturus, si quæ occasio offeratur: quam talem esse velim, quæ te & totam tuam patriam exhilarare possit. De pace illic facta nihil adhuc audiuimus præter illud, quod tu scripsisti. Italis nonnullis mercatoribus, qui hîc agunt, nondum hoc credibile videtur: & vtinam ne quid Hispanicũ subsit. Interea dum certiora afferuntur, Deum precabimur, vt is suam pacem quæ omnem mundi intellectum superat, omnibus largiatur, qui hactenus sub duris tyrannorum imperijs gemuerunt. De rebus Gallicis xx i Februarij scripsit D. Beza, cuius literas pridie accepi. Quæcunque præterierunt, ludus & iocus fuerunt, præ ijs quæ iam apparantur, resciisso iam publica denuntia-

nuntiatione pacificatorio edicto, & sancta quam vocant consociatione, qua nihil vnquam legisti quod Satanicum spiritum apertius ostenderet, per singulas non tantùm vrbes, sed etiam familias perlata, & solenni iureiurando confirmata. Nostros vicissim audio generalem hoc ipso tempore conuentum habere Montalbani, proximè Tholosam, ibique de rerum summa decernere. Quicquid inde audiero certi, mox tibi significabo. Edidit iam Condeensis grauem & generosam aduersus subornata hęc comitia protestationem, cuius exemplum manuscriptum hîc habemus, & Neortium apud Xantones iam fortiter obsidere fertur. Hæc Beza. Heluetiorum Papistarum legati nondum ex Galliis redierunt. Missi fuerant, vt omnium debitorum solutionem peterent, quorum summam esse audio sedecies centenorum millium coronatorum, & quidem non absque minis. Et audio periculum esse, ne Hispanizent,

nizent, si Gallus se difficiliorem præbeat. Ea verò occasione ex illis regno isti exitium nasceretur, quorum auxilijs potissimùm aduersus Christum & Ecclesiam reges sæuierunt. Quid apud vos actum sit de concionibus Gallicis scire velim. Nam aliquam spem mihi postremæ tuæ literæ fecerunt: quamuis non ignorem, nihil acerbius quibusdam illic accidere posse, quàm si docendi libertas iis concedatur, quos nobiscum sentire norunt. Eo enim iam processit Lutheranorum spiritus, vt Papistas facilius quàm nos ferant: nec mirum, cùm illi duo præcipua Papatus fulcra tueantur, δεισολατρείαν καὶ εἰδωλολατρείαν. Sed spero Christum suæ Ecclesiæ vindicem, breui ostensurum, quid sit ipsius nomine abuti. Librum ὑπομνημονευμάτων, quem apud Gesneros fratres excusum te in Bernensium bibliotheca vidisse scribebas, reperire non potui, neque tale quid ab ipsis vnquam excusum esse meminit Iac. Gesnerus,

qui

qui adhuc viuit, etsi morti vicinus. Prodijt quidem ex illorum officina anno M D LII liber Græco-Latinus, cui titulus Θελόγων διαφόρων συγγράμματα παλαιὰ καὶ ὀρθόδοξα. continentur eo Canones Apostolorum, & XIII veterum Conciliorum decreta, Ignatij epistolæ, Athenagoræ Apologia pro Christianis, & eiusdem de resurrectione liber; Æneæ Gazæi de animarum immortalitate & corporum resurrectione dialogus: Cydonij de contemnenda morte oratio: Hermiæ philosophi irrisio Gẽtilium philosophorum: Expositio item capitum admonitoriorum authore Agapeto Diacono &c. Num verò hic ille liber sit, quem quæris, nescio. Quòd si hunc voles, curabo vt prima quaq; occasione ad te perferatur. Iulij Pollucis versionem apud nos non inueni. Ego vnicum exemplum habeo cum Græco colligatum, quod si tibi eo opus sit, libenter communicabo: quamuis sciam te illo non multum iuuari posse, quando

quando pœnitet illam versionem vnquam sub meo nomine prodijsse: & optarem te illi authori restituendo manum admouere, vt meus ille fœtus immaturus vel hac ratione totus aboleretur. Hæc modò raptim dare potui inter varias occupationes, quibus concio crastino mane habenda accedit. Vale mi frater, plurimùm mihi obseruande. Tiguri 11 Martij sub noctem. Anno MDLXXVII.

Tuus

RODOLPH. GVALTHER.

LI.

Ornatissimo viro D. Caspar Verheiden, ministro verbi Dei.

S. P. in Christo.

EX literis tuis, charissime Frater, video te de Bertholdi negotio esse sollicitum, in quo vel quid egerim, *De disciplina Ecclesiast. de quechoreis*

rim, vel quid placeat domino Taffino affatim notum est. Omnino vis, publica confessione datum tolli scandalum: Vtinam impetres! Sed quid si recuset, & ministerio potius abstineat? pulchre tum fortasse censebis agi cum Ecclesia: Sed quid interea magistratus? an putas omnem offensionem iri sublatum, simulatq; ille fuerit suo munere exautoratus? Næ ego haud parum metuo nouam flammam iri accensum, cuius incendio non pœnitenda pars Ecclesiæ sit conflagratura. Video pleroſq; magistratus, & magnam Ordinum partem huic disciplinæ esse infensissimos, qui nullo negotio, & moderata quadam tolerantia possint cum maximo Ecclesiæ emolumento lucrifieri: in eo ego puto imprimis esse laborandum. Nam hæc rigida amussis quum verbo Dei non ita accurate nec speciatim præscribatur, non video cur non pro Ecclesiæ vsu & ministrorum prudentia remitti aliquando possit: si tamen remitte-

re est,

re est, neruum intendere acrius quo hactenus leni sis vsus. Scio peccasse Bertholdum, & publice si non pœniteat probabo: sed video cum magno periculo flagitari, quod sine vllo dispendio possis condonare, præsertim culpam coram Magistratu, corã vniuerso senatu Ecclesiastico, & etiam literarũ testimonio agnoscenti, obsignanti, ac deprecanti. Nolo tamen meum hic iudicium valere: vtamini judicio Ecclesiæ: ego certe cauebo nullum à me obiectum iri obstaculum. Quod me cum Mylio & alijs pijs viris vis agere, iampridem egi. Et video prudentiorum & moderatiorum quorumque sententias eo inclinare. Quod si tamen sine fraude Ecclesiæ amplius possit obtineri, laudabo. Negotium Anabaptistarum heri post acceptas tuas & Taffini literas cum Principe Illustrissimo tractatur, & comperi certe multo esse difficilius, quam speraram: fecerat enim magnam mihi spem cum essem Mittelburgi, exclu-

dendos esse ciuitate qui Sacramentum obire nollent, aut certe haud esse solenniter admittendos. Iam causatur, statui id non posse, nisi cum noua Ecclesiarum conuulsione, propterea quod Ordines haud sint passuri legem eiusmodi prescribi, quam ex vsu Reip. plane non esse statuant: imo asseuerat, hanc vnicam fuisse olim causam, quamobrem consistoria in tantam inuidiam apud Ordines venerint, vt prope abfuerit, quin Senatusconsulto facto penitus tollerentur. Iam denuo eandem rem agi, & quidem quo tempore non dubium sit ex Pontificia farragine multos frigidam suffusuros. Omnino se existimare maxime id fraudi Ecclesiis fore. Hic ego cum vehementer vrgerem, politico ac ciuili prætextu posse reijci eos, qui omnis humanæ societatis vinculum abrumpant, & simul adderem, quam graue ex huiusmodi decreto, & quidem per se impio, periculũ & Reip. simul immineat & Ecclesiis, satis acriter

acriter respõdit, affirmationem illis fore pro iureiurando: neque debere amplius vrgeri, nisi vna opera, & nos fateamur, æquum esse, vt à Pontificijs ad eam cogamur, quæ conscientiæ nostræ religio auersatur: neque plane consensuros passurosve esse Hollandos Boreales, vt id fiat. Breuiter, video vix quicquam in hoc negotio nos esse profecturos. Quod mihi certe eo dolet magis, quo magis video multorum piorum animos nescio quibus obiectis importunis scrupulis ita exacerbari, ac prope dixerim vulnerari, vt minus bene velint iis qui rem Ecclesiæ pro suis viribus nituntur promouere. Princeps certe partim suo, partim Ordinum nomine mecum expostulauit, quasi id agatur, vt imperium Ecclesiastici sibi in conscientias arrogent, & suis legibus ac institutis subijcere sibi reliquos studeãt. Laudauitque dictum Monachi, qui nuper hic adfuit, excipientis ad ea quæ tum sibi obijciebantur, haud æque

diu nostrorum ollam calefactam fuisse, atque illorum quos tantopere incesseremus, videre se plane, antequam par sæculorum interuallum labatur, parem vtrobiq; imperij Ecclesiastici fore rationem. Hæc vulgo plausibilia, etiam cordatioribus nebulas offundunt, & nisi magna diligentia præuertantur, haud leue damnum adferent. Itaq; pro me ego & hoc tempore & semper antehac laboraui, vt illos animis hominum eximerem scrupulos, quibus vel errore vel malitia ac dolo distinẽtur ab ijs, qui nos ostẽdunt nouum moliri Monachatum. Omnino enim studeo id persuadere, nos nihil vel auersari vel damnare, nisi quod lex dominiverbo præscripta damnat: in reliquis vti libertate Christiana. Quod ego axioma, si quod aliud, vel maximũ in exędificanda Ecclesia momentũ habere statuo, doctus nimirum experientia rerum magistra. Ipse enim Bruxellæ compluries vidi, quantum inueterata illa de nostra morositate in Pontificiorum

ficiorum animis opinio scandali attulerit, & adferat quotidie. His vero in Ecclesiis, ecquid est vulgatius, ecquid pronius & magis in promptu, quã præcipuos quosq; ex nobilitate atq; Ordinibus viros, in plebe etiam infinitos, hoc vno nomine à nostris se continere cœtibus, quod metuant nouũ iurisdictionis Ecclesiasticæ iugum atq; Imperium? Ipse Princeps, cũ ad se veniſſem, per aliquot annos omnibus meis telis hoc vnũ tanquam Aiacis obiecit clypeũ. In Germania certe sunt infiniti, qui hoc vno, quod morositatẽ nostram extimescãt apud male sentientes de industria se continẽt. Apud nostros hic nobis creber fuit de saltationib. & choreis sermo: obijcientibus ijs quos ad cætus nostros inuitabamus, haud se posse ferre importunitatem eorum, qui quod Dominus non vetarit, pro sua authoritate interdicant. Et cum responderemus, longe illos falli, qui existimarẽt à nostris quicquam haberi nefas, quod lege Dei minime esset vetitũ,

saltationes & choreas pro teste producebant: in quo semper & verbo affirmaui, & exemplo testatus sum, haud me posse choreas ac ludos modestos auersari, damnareve: neque propterea vllam mihi infamiæ esse notam apud nostros subeundam. Idē olim celebri corona in cosobrini mei Castrij nuptijs in Hollādia & sermone & exemplo confirmaui ante decennium, & exinde tam in Germania quam hisce locis, quoties se obtulit occasio, neque cuiusquam propterea subij reprehensionem: & sane non possum videre, quid in illis choreis, quibus sincerus animi exhilarati candor, & quædā hymenæorum congratulatio declaratur, insit mali, si cū honestis matronis ac virginibus ad citharæ modulos vel ambulatur, vel in gyrum curritur, saltaturve. Scio quid adferant Rhetores in scholis, Neminem saltare nisi vel ebrium vel insanum: & intempestiui conuiuij ac multarum deliciarum comitem esse extremam saltationem

tionem: sed ego rationum momenta, non inanium verborum calamistratos cincinnos intueor: & omnino contra censeo, neque insanum quenquam, neque ebrium rite posse saltare, & non modo intempestiui conuiuij (quod hisce certe regionibus non saltatione, sed poculis potius geritur) sed etiam tempestiui ac sancti, imo vero studiorum atque institutorum optimorum comitem esse posse saltationem. Equidem & Dauidem video religionis sacra mysteria testato choreis gaudio celebrasse: quod nemo mihi persuaserit illi populo fuisse insolens, apud quem scriptura vniuersa testatur, nullum fuisse lætitiæ vel publicæ vel domesticæ insigne, quod non saltatione ac choreis, quasi quodam suo ornatu, honestaretur: ita vt calamitatem publicam vaticinantes Prophetæ, chorearum abstinentiam persæpe ponant ob oculos. Imo verò his locis sanctas duxerim choreas, quæ post epulas ad sistenda

ebriosorũ pocula inhibendosve aleatorum ludos agitantur cum fructu. Ipse tu fateris propemodum, (nec enim si quod res est, dicere voles, diffiteri plane poteris) rem esse mediam. Cur igitur legis nouæ cõpedes injiciuntur in eo, quod medium est ac licitum? Nam quod tu ais, nõ omnia quæ liceant cõtinuo ædificare, equidem libenter fateor. Sed è diuerso statuo, hanc libertatem, sine scelere & flagitio ad eorum mores, qui cum nõ sint impij, eiusmodi tamen remora distinentur, accõmodatam, potius esse ædificationi: Et possum reuera id testari, & hoc tempore meæ saltationis, & superiori temporis anteacti exemplo, multos hac occasione aurem præbuisse, qui nos alioqui penitus auersarentur. Imo vero plane censeo, non modo nullam esse in hac importuna morositate, & reuocata ad humanæ opinionis placitum censura, ædificationem, sed incredibile etiam scandalum. Vt enim omittã reliqua, vix dici potest quan-

topere

topere ipse Princeps offensus fuerit, vbi audiuit, non potuisse honestis choreis nuptias sine reprehẽsione & virgula censoria decorari: cum constet, & Lutherum, & Melanchtonẽ, & infinitos alios viros pios ac bonos haud refugisse saltationem. Frater certe meus Tholosius cõpluries me castigauit, quod essem hac in parte, non alijs (neminem enim hoc nomine potui vel damnare vel reprehendere) sed mihi ipse difficilior, quum tamen sciret me peculiari quadam causa id potius facere. Ais tamen, haud probari posse saltationes huius regionis ab exemplo veterum prorsus dissimiles. Ego vero cõtra censeo, nostras saltationes, veterum saltationibus lõge moderatiores grauioresque, propter formam & finem pie ac licite vsurpari. Quãtum enim ex historiarũ monumentis vel ex scripturarum testimonijs possum elicere, video longe magis illos ad histrionicam quam nos accessisse. Et cur Dauid ab vxore Michol carptus fuerit,

haud

haud est obscurum. Et constat Romanis nonnullo tempore infames habitas fuisse saltationes, propterea quod infames essent mimi & histriones, quorum opera & studio agebantur: alioqui video omnibus ætatibus, atque omnibus prope nationibus honestos virorum ac matronarum virginumque choros fuisse celebratos: & sicubi viri saltarent soli, quod certe solenne haud fuisse mihi persuadeo, id gentis zelotypiæ potius tribuendum duxerim. Et cuiusque nationis morem, modo absit turpitudo ac flagitium, in rebus adiaphoris sine crimine vsurpari posse arbitror. Sed ais meæ grauitati saltationes haud conuenire: Sane si grauitati officit honesta saltatio, leuius feram leuitatis mihi nomen obijci, vt qui à saltatione nunquam abhorruerim, neq; prorsus vnquam abstinuerim: imo sæpe in coronæ astantis gratiam, & certe vt maxime valetudinis recreandæ, reficiendique animi causa, ea

fuerim

fuerim vſus. Exiſtimationis certe (quam tu mihi apud pios omnes amiſſam hoc facto eſſe autumas) rationem, ego nunquam in rerum externarum vmbris, ſed in ipſis rebus poſitam eſſe ſtatui. Vera enim pietas, fides, probitas, & candor animi, dignitatem exiſtimationi creant, non auerſatio chorearum, aut ludicrarum exercitationum, ſi minus ſint intempeſtiuæ: Et ſane, teſtatio hilaritatis, etſi fortaſſe immodica, tempore quidem nuptiarum, (modo abſit, vt ante dixi ſcelus omne atque flagitium,) vix poteſt, meo judicio, intempeſtiua cenſeri. Niſi forte mihi, vel natura ad riſum atque hilaritatem ficto, vel natione ad iocos ac feſtiuitatem Brabantinam nato, aliena atq; inſolens, aut indecora poteſt exiſtimari in amicorum hymenæis ludicris, & vero, etiã ſi voles, ridicula ſaltatio, quum videam regem Alphonſum, qui vnus vel omnium maxime choreas exhorruit, tamen hæc ſe calumnia

poſt

post saltationem coram Imperatore actam, tutatum esse elogio, quod stultitiam simulare loco sit summa prudentia. Ego certe in omni vita rationes meas ita composui, vt cum daretur vel à studiis, vel à labore otium, nunquam sim veritus, vel saltu, vel cursu, vel ludicris ac ridiculis gesticulationibus, vel si adessent cytharæ, etiam saltationibus, corporis vires exercere, & animum fatigatum exhilarare: in eo si peccatum est, dabo operam, quoad fieri poterit, vt corrigatur: etsi difficile sit, aliam induere personam ab ea quam ad hanc vsque ætatem sustinuerim, præsertim nondum conuicto vllius in eo criminis. Sed tamen dabo operam quoad potero. Tu, quæso, meam libertatem boni consulas, sed inprimis præcipites istos censores, (qui festuca in fratris oculo sibi obiecta suam non cernunt trabem,) pro merito coarguas, & mihi credas, si qua fide dignum vnquam iudicasti, multo grauius

uius & maius scandalum illorum præposteram grauitatem sanctitatemq;, non longe à Pharisaicis moribus dissidentem, adferre, quam omnes omnino quæ agitentur choreas, saltationesue. Etsi fateor politicis legibus laudate posse interdici saltationum omni genere, præsertim in ijs prouinciis, quibus multorum flagitiorum ansam præbeant: inter quas certe Burgundia, si quæ alia, merito censeri debet. Vt ego Geneuates merito laudandos censeam, qui turpissima dedecora, quæ quotidie sine fronte committebantur, hoc vno interdicto, quasi Tenedia bipenni, resecuerint. Sed illis erat vsitatissimum, quod & hodie est multo frequentissimum apud Burgundos, Sabaudos, atque omnes Allobroges, & multos etiam Gallos, puellas virgines intempestiua nocte, sine vllo custode ad choreas quocunque vellent abducere, & quamdiu vellent in fœdissimis atque obscœnissimis gesticulationi-

bus

bus quouis anni tempore sine vlla prope intermissione, prætextu chorearum, vsque ad nauseam fatigare. Quos ego mores vel inspectare, nedum exemplo comprobare, nefas esse duxerim: Sed longe profecto ab illa hæc nostra abest saltandi ratio, quæ tamen & ipsa, si vetetur, non reprehendam. Sed religionis prætextu reprehendi ac traduci eos, qui eo quod liberum atque adiaphorum est, non nisi ad honestam animi relaxationem vtantur, nescio an sit Christianæ charitati cõsentaneum. Sed nimis multa de hoc argumento. Non potui tamen quin libere tibi quod sentirem exponerem, propterea quod existimo has nugas ducere seria, & exemplum horum hominum nimiũ officere ædificationi Ecclesiæ, ac propterea velim eorum iudicia temeraria aliquando coerceri. Tu tamen quæso statuas, tuam παῤῥησίαν longe omnium gratissimam, tum per se, quod à tuo candore ac pietate proficiscatur, tum etiam

etiam quod occasionem præbuerit apertius tecum differendi de hoc negotio. Interim non desinam me quoad potero ita gerere, vt inter vtrumque moderate ambulans nemini offendiculum præbeam. Vale, & me, vt facis ama. Dordrechti, postrema Martij, Anno MDLXXVII.

Tibi addictiss. tuiq; amantissimus

PHILIP. MARNIXIVS.

LII.

Præstantissimo viro, Dn. Bon. Vulcanio Brugensi Flandro, domino & amico suo, plurimum obseruando,
Wormatiæ.

S. P.

QVas XXV Aprilis Wormatia ad me dedisti literas, vir præstantissime, & mihi plurimum honorande, eas ego heri accepi, vnà cum adiunctis libellis, & pro hoc officio tibi gratias ago. Etenim quo diutur- *Politica, Varia.*

nius fuit tuum silentium (de cuius causis nihil tamē siniſtrum vnquam cogitaui, timui potius, ne quid tibi præter animi voluntatem accidiſſet,) eo iucundiores mihi fuerunt literæ, ex quibus te viuere & valere intellexi, & simul quis rerum Belgicarum ſtatus ſit cognoui: veriſſime enim abs te dictum eſt, me illarum ſtudioſiſſimum eſſe. Nam vt me totius gentis & regionum prius florentiſſimarū miſeret: ita mihi omnino perſuaſi, non de ſolo Belgio agi, ſed ſub religionis & executionis Tridentini Concilij prætextu Germaniæ totius oppreſſionem quæri. Norimberga certe nuper ad me ſcribebatur, certis teſtibus conſtare, Hiſpaniarum regem cum Turca pacem feciſſe, qua non ipſius modò terræ omnes, verum etiam Italia tota comprehendantur: Itaque Italos tantam ex illa fiduciam concepiſſe, vt equitum peditumque quinquaginta millia in Belgium educere decreuerint, vt rebus illic pro ſua volun-

voluntate compositis, Germanos aggrediantur. Quid verò in transitu aduersus Geneuam tentarint, non puto te ignorare: qui conatus si illis ex animi sententia successisset, proculdubio jam bello ciuili Heluetia quoque nostra arderet. Nam eodem tempore non contemnendæ Hispanorum & Italorum copiæ turmatim per Cantonum Papisticorum agros transibant, non quidem festinanter, sed hinc inde subsistendo moras trahebant, & in vicinia nostra apud Tuginos quadringenti toto quatriduo & amplius hærebant, nimirum de Geneua intercepta nuntium expectantes. Non sumus ergo nos extra periculum, & crebris nũcijs admonemur, vt vigilemus, & nobis caueamus ab insidiis. Interea turbare videtur Deus nostrorum Philistæorum consilia, quod ne ipsis quidem inter se satis conuenit. Qui enim ante biennium cum Sabaudo fœdus fecerunt (quod reuera Hispanicum est) inter se non parum dis-

sident, aliis adhuc à Gallo pendentibus. Accedit, quod cum hic stipendiorum dissolutionem diutius extrahat, & coruos hiantes de die in diem ludificetur, multi de fœdere Gallico prorsus abrumpendo consilia ineant: & nuper legati delecti erant, qui hoc nomine in Galliam mitterentur. Sed hucusque res impedita est. Quod si fiat, non absque communis patriæ periculo omnes Hispanizabunt, ex quo aut Heluetiæ excidium, aut reformatio totius status, non sine multo sanguine sequetur, quam vetustissimis vaticiniis olim prædictam esse, in omnium ore est: & ego puer adhuc senes de iis quæ hodie fiunt, ex suorum antecessorum relatione differentes audiui. Non desunt tamen per totam Heluetiam viri cordati & patriæ amantes, qui quid agatur vident, & & noxijs consiliis pro virili occurrunt: obstat autem his, eorum qui militiæ mercenariæ assueuerunt egestas, & aliorum δωροφάγων insatiabilis

tiabilis cupiditas, quorundam item Hiſpani cauſam agentium impudentia, qui cum numero pauciores, & pleriſque exoſi ſint, vtpote homines noui, fortaſſis ſibiipſis exitium ſtruent. Mirarer ego noſtræ gentis in cauſa tanti momenti oſcitantiam, niſi idem in Germania fieri viderem, & quidem illic, vbi principes regnant, qui puriorem Euangelij doctrinam profitentur. Qui cùm Belgas abſque communis patriæ periculo opprimi non poſſe videant, tamen non modò hos negligunt, ſed inter tanta rerum diſcrimina Theologorum ambitioni locum dant, qui tempore omnium alieniſſimo ſub concordiæ nouæ prætextu Pandoram fabricarunt, quam ceu ἔριδος μῆλον circumferunt, vt Eccleſias diſtrahant, & tantum non Principes atque magiſtratus inter ſe committant. Hi certe egregiam operam Pontifici atque Hiſpano præſtant, & hoſtibus animum addunt, vires verò noſtrorum non parum atte-

nuant. Sed sunt hæc fata nouissimi sæculi. Quod de legatis Cæsareis denuo in Belgicum de pace mittendis scribis, mihi suspectum est: quia non possum mihi persuadere, Austriacos quicquam acturos, quod Hispano displicere, aut quo huius consilia impediri posse putent. Metuoque, ne mora quæratur, quæ Hispanis ad vires maiores parandas seruiat, Belgis autem totique Germaniæ insidiosa sit. Hispanos ego nunquam nisi vi eiectos loco cessuros puto. Vtinam vero id Germani omnes intelligerent, & illustrissimi Principis Ioannis Casimiri fortissimo conatui fauerent! Ego, quod vnum possum, Deum Opt. Max. precor, vt is rebus passim afflictissimis opem afferat, & Ecclesias nobis seruet ad sui nominis gloriam. Responsionem ad Ioannis Austriaci scripta, sine calumnias, quæ mihi valde probatur, Frisio nostro hodie dabo, vnà cum literis tuis, vt quid velis intelligat. Nescio tamen, num quid facturus

cturus sit, cùm multis aliis negotijs distrahatur. Ego ante mẽses aliquot, eo ferè tempore, quo tu Basilea discessisti, meas de pane vitæ & eius manducatione Homilias illuc miseram ad nostrum Matthiam Cellarium, vt meo nomine tibi illas traderet. Monebo eum, si eas adhuc apud se habet, vt ad te deferri curet. D. Aldegondium vt ex me reuerente salutes, rogo. Vale vir præstantissime, & me amare perge. Vnum hoc oblitus eram scribere: ante aliquot menses famam sparsam fuisse de Heluetico peditatu in Belgium deducendo, sed illa nunc omnino contriuit, neque facile puto in eam expeditionem consensuros eos, qui quam infeliciter illis cesserit, adhuc meminerunt, cum annis superioribus illuc essent profecti. Neq; existimo facile domo abituros, qui consilia sua hactenus cum Papa & aliquot aliis contulerunt. Abbas Sangallensis, homo iuuenis & confidens, Romam reuersus, nescio quid inde affe-

rat, sed absque causa graui illuc profectum non crediderim. Dominus exercituum vbique gentium consilia Architophelis infatuet, & impiorum vires frangat. Amen. Vale iterum. Tiguri, IX Maij. 1578.

T. studiosiss.

RODOLH. GVALTHERVS,

LIII.

Amplissimo clarissimoq; viro, D. Adriano Mylio Senatori consilij Status Hollandiæ, Curiæ.

S. P.

Priuata. INcredibili plane cum voluptate intellexi, conuentui Ordinum, qui hîc ad Id. Octob. indictus est, te interfuturum. Mirum me desiderium tenet tui videndi, sermone tuo colloquioque palam & libere fruendi, veteriſque nostræ amicitiæ reuocandæ, aliaque recolendi quibus temporum iniquitas nos ad hunc vs-

que

que diem priuauit. Quare nihil prius mihi fuit, quam vt has ad te darem: quodque amicitiæ iure per te facere debueras, id nunc beneuolentissimo animo inuitatus vt facias, magnopere te oro: vt huc aduenies recta ad me diuertas, hospitio vsurus, si non lauto ac magnifico, beneuolentissimum, sane tuiq; amantissimum hospitem experturus. Vale optime atque clarissime Domine. Vxor mea salutem tibi, vxoriq; tuæ lectissimæ matronæ ascribi iussit. atque idem quod ego, te ex animo rogat. Vltraiecti, Non. Octobris. Anno MDLXVIII.

T. Clar. deditissimus

G. RATALLER.

LIV.

Virtute & eruditione præstantiſs. viro, Dn. Bon. Vulcanio Flandro Brugenſi, amico ſuo plurimum obſeruando, Antwerpiæ.

Familiaria.

TEne mei oblitum, mi Vulcani? Quoties enim ad te ſcripſerim, teſtis erit Hieronymus Comelinus noſter, cui & Platonis mei exemplar, amicitiæ noſtræ μνημόζυνον, ad te deferendum dedi. Quicquid ſit, non debet mori noſtra amicitia, pietatis, virtutis, eruditionis firmamento innixa. Tuas res aueo plene cognoſcere. De meis hæc habeto. Ex quo patriam repetij, relicto (ſicuti ad te copioſius ſcripſi) Heluetico otio, nullum fuit mihi tempus à grauiſſimis laboribus liberum neque immane: ſed, crede mihi, Dominus Deus, noſter ἀγωνοθέτης, laborum illorum inſuperabiles alioqui difficultates cumulatiſſima animi ſatietate luculenter compenſauit.

Vtinam.

Vtinam, mi Vulcáni, hoc miſerrimo tempore, inter tantas aurei, id eſt, venalis & proſtituti ſæculi, intemperies, illud bene cogitemus, ἡ Εὐσέβεια μητ' αὐταρκείας, πορισμὸς μέγας! vt pro Chriſto & patria reuera ſit dulce periculum, eoque vno nomine & fine rerum omnium rationes conſtanter moliamur, atque circumſcribamus. Hæc tibi & mihi hoc tempore ſunt φιλοσοφητέα, & ad omnes occaſiones ſerio vſurpanda. Noſtraram Eccleſiarum ſtatum non perſcribam copioſius: conſeruantur in medio incendio. Eoſdem habent hoſtes, iiſdem armis, eademq; voluntate inſtructos: ſed & eundem vindicem & defenſorem Deum. Regina eſt adhuc in Occitania. Provinciam & Delphinatum grauiſſime ἀταξίαι exercent: noſtram Occitaniam peſtis, quæ Nemauſi, Aquiſmortuis, Alezij, nobilibus oppidis grauiter ſæuiebat, quum inde diſceſſi. Geneuæ vidi veteres amicos, Gulartiam maxime noſtrum,

qui

qui te amat & colit. Redeo intra aliquot dies in patriam, si Dominus dederit, cuius calamitates minime refugio. Polio & persequor Commentarios nostros de statu religionis & Reipublicæ. Vel tu edere rerum vestrarum historiam, vel nos iuua tuis commentariis. Non possumus amplius carere tam illustrium rerum cognitione. Ornatiss. & clariss. vir Santaldegondius, Mecenas tuus, hoc debet Ecclesiæ & Reipub. & tu debes vtrique hortandi & vrgendi studium. Cupio illum meo nomine vti perofficiose salutes. Rogo te, mi Vulcani, vt prima quaque occasione ad nos scribas: existimesque, hos scribendi officium diligenter expensum, præter communis nostræ amicitiæ proprios & singulares fructus, rebus & vestris & nostris minime inutile futurum. Vale, Deus tuis laboribus benedicat. Lauteri, ad XIV Iunij, Anno MDLXXIX.

T. T. SERRANVS.

LV.

LV.

Nobilibus, ac doctis, nobisq; amicissimis Dominis, Bernardo de Merode Baroni in Rummen, N. de Kaldenbroucq, Adriano vander Mylen, & Doctori Albadæ, Ordinum Generalium Belgij Legatis.

NIhil mihi neque minus gratum, neque Reip. nostræ magis incommodum esse videtur, quam toties & tamdiu prorogatum tractandi de pace tempus: quod, si licuisset, iamdudum interciſum fuisset. Sed quia illud à me non pendet, tum quia vulgo me incusant, quod per me solum in pace conficienda sit mora, necesse est, vt quod Ordinibus videbitur, sequamur. Quæ perscribitis incommoda, præuidi: quæque anteuertere quantum in nobis erit, est necesse, nihil dubito quin diligentissime in id incumbatis: Non possum tamen quod mei officij est prætermittere, quin vos adhorter, vt ea in re tanto sitis animosiores, quo *Politica.*

quo esse decet, qui pro veritate religionis Christianæ maximè laborant. A quibusdam Collegis vestris & nominatim ab Abbate D. Gertrudis tales scribuntur ad quasdam ciuitates litteræ, quæ nobis plus negotij faciunt, quã hostium arma. Quod à me quid consilij sit sequendum, petitis; existimauerim, si quid diuersum ab aliis sentiatis, vestram sententiam scripto offerendam esse, eamq; ad Ordines mittendam. Tum liberè scribendum, quam iniquè ibi vobiscum agatur, vbi multa quæ ad Religionem pertinent, suffragiorum numero ponderantur, quum tamen constet, vos numero vinci. De induciis si quid tractetur, eas in duos menses obtineri posse, Ordinibus placet: quod vobis sequendum esse satis intelligitis. Hisce vos in Christo optimè valere iubeo. Antuerpiæ VIII Idus Augusti, An. MDLXXIX.

Singulari beneuolentia
vobis addictus
GVIL. A NASSAV.

LVI.

LVI.

Nobili & Generoso viro, Ludovico Georgio Hutteno amico & domino suo honorando, Herbipoli.

S. P.

HEri sub noctem redditæ mihi sunt tuæ literæ, ijs iam me accingēs, Deo volente, itineri, respondeo. Ex quo Principes discesserunt, aliquot adhuc dies resolutionē Ordinum exspectamus. Eam Prid. Cal. Decemb. Dominus de M.... attulit, quæ talis est, vt ab omnibus, nisi qui religionis odio execati, omnes eius cultores aqua & igni interdici velint, merito approbari debeat. Ea accepta, rem totā Comiti Swartzburgensi communicauimus, is respondet, ex quo principes discesserunt, atque finem negotio imposuerunt, sibi non esse integrum vlterius nobiscum agere. Accessimus etiam Terranouam: is etiam significat, mandatum suum iam expirasse, nisi nouo regis atque Cæsaris mandato nihil

De pacificatione Colonien-si.

nihil se agere posse, priuatam iam se personā esse, videlicet Carolum Aragonium, non vero Regis mandatarium. His acceptis responsis, dum neminem in hac vrbe inueniremus, cum quo amplius agere possemus, quid agendum nobis esset deliberaturi, conuenimus: vbi consedimus, Secretarius Comitis Swartzburgensis à Cæsare literas adfert, quibus vt hic subsistamus imperat. simulq; significat, sibi displicere Principum discessum, illis etiam scripsisse vt reuertātur. Quo factum fuit, vt omnibus discedendum esse non putauerimus, sed vt tali numero hic subsisteremus, quasi ex vi mandati: Ad crastinum si forte redirēt Principes, essent idonei, vt iterum de tota re Ordines certiores fierent: Dominus de Metkercken, Caldebroeckius, & ego deputati sumus vt Antwerpiam proficiscamur. Hæc interea componēdis sarcinis occupatus, quin quam festinatissime ad te scriberem, omittere non potui. Doleo,

quod

quod Domino Zindelino ob temporis angustiam nunc non liceat. Si tamen tibi ita videbitur, hæc etiam ad illum scripta erit, vt amicorum omnia sunt communia, & cum tuis literis, simul istud ei etiam transmittes, meq; simul summopere ipsi & Brackerio commendabis. Vale nobilis. Huttene, VI Decemb. Anno MDLXXIX. Coloniæ.

T. ADRIAN. *vander* MYL.

LVII.

Clarissimo viro D. Hadriano Mylio, Senatus Hollandiæ Consiliario, & Ordinum Belgicorum legato ac Commissario, amico ac Dn. suo obseruando.
Coloniæ Agrip.

VAlde gratæ & iocundæ mihi tuæ literæ acciderunt V. C. & amice obseruande, nam cum in hac mea longinqua ac diuturna peregrinatione, tum in hac misera patriæ *Varia.*

laceratione, nihil fere magis me recreat, quam veterum amicorum literæ aut sermones. Quare à te peto, vt qumdiu istic eris, ne omittas interdũ aliquot ad me exarare: Quum istinc domum redibis, fac quæso vt Coloniæ mihi aliquem indices, cui literas ad te meas, in patriam vsque curandas committere, tuque tuas viciſſim possis. De Merodiis qui tuas mihi literas ipsi rediderunt, dabo operam, vt non tantum filij, sed pater vir Clariſs. intelligant, quantum apud Giphanium possit Mylius. Detuli eis omnem meam operam, studium, officia, quæ à me præstari possint, cum propter patris præclara in rempub. merita, tum propter literas illas tuas, id est, te ipsum, longe mihi chariſſimum. Priuatim autem cum præceptore ago, cuius profecto curam & sollicitudinem laudo. Exercentur iam diligenter in schola, nam præter publicas de iure disputationes, priuatæ à me in schola domi habentur, ad quas diligenter vendi-

venditant: quem cursum si aliquamdiu tenuerint, non dubito quin fructus hinc secum sint ablaturi non exiguos. Ad hanc autem rem velim patrem à te priuatim moneri, vt literis ad illos datis eos leuiter laudet, eosque vt in cursu instituto pergant, cohortetur. Scis enim adolescentibus laudem magnum esse calcar ad virtutem, maxime recte agentibus. De rebus publicis, hæc leuiter accepi: Ericum Brunsuicensem ex Hispania reuertentem, tria Hispan. millia secum adducere. Sed de hoc nihil admodum certi: illud certiss. Alenconiũ Lutetia in Normaniam ad Oceanum profectum, eo consilio vt in Angliam transmittat, in litore remansisse: causam moræ non audiui. Mater eius prius Massiliæ cum Granuellano, nunc cum Sabaudo, vt fama est, Gratianopoli collocuta, rursum aliquid monstri alit, & quidẽ magni. Multa tamen spargũtur quibus fidem habere merito dubites. Hic Clareuantiij sororis ma-

ritus D. Malereij Lotharingus paucos iam dies agit: eiusq; res ita caute acta, vt passim iam percrebuerit: Ex Italia adfertur, Florentinum pellicem suam patriciam Venetam ex Capellorum familia vxorem duxisse: Lodronium duas habere legiones Germanorum in agro Mediolanensi, quos alij in Belgicam, alij in Hispaniam ductum iri suspicantur. Bellū inter Persas & Turcas etiamnum vigere. Vale V. C. & salue, XXIV Augusti. M D LXXIX.

Rescribe quæso certi quid de Hispanis, quid iam agant. De miserando casu & occasu potius præclaræ vrbis Traiecti ad Mosam, multorum hic sunt gemitus. Vos interea pacificatores quid? an non meministis quod Cicero olim de pace cum Antonio? Pacis quæ potest esse cum eo ratio, in quo est incredibilis crudelitas, fides nulla? Mitto tibi litteras ad sororis tuæ filium huc missas, nescio vnde.

Tuus OB. GIPHANIVS.

LVIII.

LVIII.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano Mylio, Prouinciæ Hollandiæ à consilijs.

NON possum quin te rogem, quam possum obnixissime, vt has meas literas Ordinum Senatui reddendas cures, eosque seriò moneas, vt fide & officio suo se liberent. Graues enim vndiq; oriuntur querelæ, quod præsidia sua sine solutione in ciuitatibus tanto tempore relinquant, è quo certe varia oriuntur incommoda, & metuo, ne posthac grauiora sint metuenda. Mitto ad te exemplum epistolæ, quod non lubet eam repetere. Tantum rogo vt authoritate, fide, & grauitate tua adsis Reip. Video enim nos proprij commodi studio pessumdari, dum singulæ prouinciæ, singulę ciuitates, & singuli propè homines, singulis sibi non Reip. student. Hæc certe nobis auertenda est pestis, vel funditus pereundum. In rebus nouis nihil est *Publica.*

ſcriptione dignum. Poſt amiſſum Cortracum, Princeps Andegauēſis virum ſe eſſe oſtendit, quatuor Caſtella ab hoſtibus recepit, partim vi, partim deditione, Egmōdani equeſtrem turmam fudit, & maximam partem captiuam abduxit: Mortagnium etiam recepit. Flandria mirifice attonita Cortracenſi fortuna, Lanouij aduentu paululum recreata eſt. Rogauimus, vt veniat huc ad nos, de rerum Flandricarum ſumma deliberaturus. Inopia nummorum non tantopere nos premeret, ſi vos iſthinc promptè veſtris præſidiariis ſatisfaceretis. Sed repræſentanda illis ſæpe pecunia hic eſt, propter diuturnas quas nectunt in ſoluendo moras: Hic tu nobis adſis iterum te obteſtor. Hoſtis videtur adieciſſe cogitationem ad recuperādam Niuellam. In ea cuſtodienda nos laboramus. Mitto ad te diſputationem meam cum Bajo. Alterum eius exemplum, niſi moleſtum erit, rogo vt ex me ad Caſembrotium mitti cures.

cures. Mitto etiam alterum illum libellum, Acta nimirum Coloniensia, tibi familiarius quam mihi nota. Ea si tu forte habueris, aliunde mittes ad Casembrotium, sin minus, tibi asseruabis, meque amare perges. Vale, Antuerpia XVI Martij MDLXXX.

Tui studiosissimus

PHILIP. MARNIXIVS.

LIX.

Nobili & clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Rerum Status Ill. Ordinum Hollandiæ Consiliario. Dordrechtum.

S. in Christo.

Vt se D. Metkerkius iunxerit Ecclesiæ reformatio.

HEri D. Metkerckius per famulum significabat, velle se, me conuenire. Iubebat horam condici: Respondi, me passurum non esse, vt ad me veniret, sed statim post meridiem me illi ad futurum, frustraque

illum itineris laborem susceperunt esse, quia domi meæ futurus non essem. Adfui. Post aliquot de ecclesia sermones, significat se sacro cœnæ sacramẽto testificari velle, se membrum purioris esse Ecclesiæ, iam enim ab aliquot septimanis nostræ solitus erat adesse concioni. Gratulabar illi tam sanctum propositum, cumque Dei beneficio id nobis sit concessum, vt libere Euangelium profiteri possimus, tempus esse, vt sincere eam, quam dudum in animo haberemus religionem profiteremur. Respondit, ante hæc tempora Romanæ Ecclesiæ se adhæsisse: quamuis enim illam multis scatere erroribus intelligeret: non tamen existimabat ab Ecclesia temere discedendum, sed ferendos aliquos errores quos corrigere non possis: sed quum iam ex nobis intelligat vnicam nos agnoscere Ecclesiam cuius Romana pars est, perque nos minime stare, quominus communes habeamus cœtus, nihilque nos amplius

plius quam errorum reformationem, non Ecclesiæ nouæ veluti fundationem desiderare, adhęc eos qui Ecclesiæ Romanæ præsunt præfractos esse, neque vllam aut in doctrina, aut in morum disciplina emendationem admittere, sibi in animo esse, ei cœtui sese adiungere, qui puriorem sequitur religionem. Ego cum multa in eandem essem sententiam loquutus, institutum comprobans, & nonnihil de ritibus nostris & disciplina dixissem, lubenter sese disciplinæ submittere velle professus est, itaque licere illi die sacrę resurrectionis vna nobiscum communicare dixi. Vbi iam gratias egisset, adesse iussit filium, filiam, neptem vnam, (altera enim vidua antea sese nobis adiunxerat) & famulum, eos itidem sacræ synaxeos participes esse velle. Petit vt eos institua. Facio. Sic vniuersa familia vna cum illo cœtui nostro sese adiungit. Hæc tibi vir clarissime significanda duxi, quia tibi grata fore scio, mihi

sane gratissimum fuit, talem, tantumque virum, qualem non existimo habere Flandriam, Christo sese sponte subijcere, per eumque fore, vt multi intelligant, quid sit vere Euangelium profiteri. Vale, Antwerpiæ, XXIII Martij. Anno MDLXXX.

Tuus in Christo

LOS. VILLERIVS.

LX.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano vander Mylen, Rerum Status Ill. Ordinum Hollandiæ Consiliario. Dordrechtum.

Publica. DE Niuhovia hoc mane recepta per Lanouium, & capto Egmondano vna cum coniuge noua nupta, audies ex Tondorffio qui has tibi est redditurus. Lanouium hic diligenter & studiose expectamus, vt de nostris porro aliquid statuamus.

mus. Si vos non velitis deesse, video posse nos aliquid non pœnitendum præstare, præsertim si serio aliquid statuatur de negotio Gallico. Videtur enim hac ratione bellum breui posse confici. Sed mirifice, dicam quod res est, angit me, quod video Hollandiam suo deesse officio. Dum enim vitilitigatur, perduntur occasiones, præsidia deficiunt vel animo vel fide, postremũ, nihil agitur. Vos vero nihili tandẽ facietis hæc vobis ostia ac belli propugnacula esse obiecta? Neque tantulum dabitis operam, vt præsidia vestra tum Bruxellensia tum Viluordana stipendium recipiant? Dispeream, nisi male me hoc habet. Ego quidem vobis, vt scis, sum addictissimus, si quis alius; sed opus est his seria castigatione. Deinde in collectis vectigalium ecquid perpetuo disputabitur? & vos singularem vestram rem potius quam publicam facietis? Hic tu, quæso te, præsta talem qualis esse & soles & debes. Vale, meque tui

aman-

amantissimum esse tibi persuade. Antwerpia III Calend. Aprileis. Anno MDLXXX.

Tui studiosissimus

PH. MARNIXIVS.

LXI.

Ornatissimo viro, Dn. vander Myle. Illustrissimo Principi Arausino à consilijs, Dordrechtum.

S. P.

Politica. TVÆ literæ voluntatem erga me tuam etsi nullo indigente testimonio ita confirmarunt, vt me tibi vehementer obstrinxerint. Itaque rogo, me vtare, fruare, quoties se obtulerit occasio, meque tuum totum esse tibi persuadeas. Victoria Mechlinienſis prope male cedit, ita est importuna hominum & ambitio, & insolens auaritia. Ciuitas prædæ cessit contra datam fidem. Anglus Norreisius præfecturam Famarsio

datam

datam grauiter fert, neque vult ea plane excedere, nisi militi promissa quadrimestria stipendia exoluantur, quæ tamen me præsente ea sunt conditione promissa, vt esset ab omni deprædatione exactioneque militari libera ciuitas. Interea Lanouius vehementer vrget, vt in Flandriam mittantur auxilia, præsertim Anglorum, quæ ante fuerant destinata: offerunt enim se præclarissimæ occasiones cedendi hostem. Sed quicquid moliamur, nihil apud Norreisium promouemus. Omninò puto maturandum, imo accelerandum Principis aduentum, quem vnum censeo huic malo remedium afferre posse. De cæsis iis militibus, qui ad Villeij suppetias in agro Colonienſi parabantur, non dubito te audiisse. De rebus Lusitanis, quia pleraque incertis constant rumoribus, nihil scribo. Gallia videtur propè arsisse nouo bello; sed eius faces omnes in Vasconiam, & meridionalem Galliam prolatæ, vix

vllum

vllum alibi relinquere sui vestigium, ita vt in illa belli flamma tranquilla videatur esse Gallia. In meis rebus habeo tuæ sedulitati magnam gratiam: deuinxisti me profecto hoc beneficio. Quingentos illos florenos, quæso apud te tantisper retineas, donec isthuc certum hominẽ mittam, quem breui, excusis meis Psalmis Germanicis, qui propemodum ad vmbilicum producti sunt, sum missurus. Interea commendo tibi totum negotium, etsi scio & video tibi esse commendatissimum. Si putabis opus esse, vt eo nomine scribam ad Ordines, indica, & vale, meque tui esse studiosissimum tibi persuade: Libellos meos te quod non scribas accepisse demiror: itaq; rogo, vt me facias certiorẽ, an Theses illas meas acceperis, nec ne, vna cum eo libello quo tradebantur Colonienſis pacificationis acta. Antwerpia, XVI April. MDLXXX.

T. PHILIP. MARNIXIVS.

LXII.

LXII.

Ornatissimo viro Dn. Bonauenturæ Vulcanio, amico suo, Antverpiæ.

Commendatur filius.

LIteræ filij Iacobi fuere mihi valde gratæ: frequenter quæso, fac vt ad me scribat, & si nihil habet quod scribat, tamen scribat hoc ipsum. Non arbitror necesse esse vt eum tibi multis commendem, scis quam mihi erit iucundum, si profectum faciat in pietate & eruditione. Hac ego de causa eum tibi tradidi, & tradidi certe pignus quod habeo omnium charissimum, itaque rogo, vt sit tibi curæ. Et plane statue, haud fore me ingratum. Scio multum esse positum, ac prope dixerim, totum id quodcunque à me possit optari in tua voluntate, studio, diligẽtia. Non ego hic vulgare aliquid à te requiro, nec enim vt vulgari homini eum tibi tradidi, sed singulare aliquid, quod mihi tua ingenij atque eruditionis præstantia, meaque summa in

te vo-

te voluntas pollicetur. Hoc mihi vt præstes, etiam atque etiam te rogo. Valetudo mea belle satis habet, Deo sit gratia. Libēter proficiscor nos vna cum Duce Andegauēsi Regis fratre. Speramus nos crastino die Regi Nauarræ adfuturos, vt agamus de pace, quam spero huius optimi certe principis studio confectum iri, eaque confecta spero nos propediem isthuc redituros, aut saltem venturos propius, vt de summo rerum capite, quod ex vsu erit, statuamus, omninò enim cum eo, nomine Ordinum pepigimus, & pacta firmauimus, data vtrique syngrapha. De Regis voluntate speramus optime, & quidem iustis de causis, quas hîc longius commemorare non est necesse. Vale, & me tui amantissimum redama, tibique meum filium vnicum, vnice commendatum habeto. Ex fontibus Bedoni fluminis, à *Chefbodonne* in Pictonibus, III Octobris. Anno MDLXXX.

Tuus PH. MARNIXIVS

LXIII.

LXIII.

Amplissimo clarissimoq; viro, D. Adriano Mylio Senatori consilij Status Hollandiæ Curia.

S. P.

ET ego, & ambo illi viri optimi pro officio præstito quam maximas tibi gratias agimus, optamusque occasionem dari nobis, qua illud compensemus. A patria mea Dominus adhuc pro sua misericordia auertit hostium irruptionem nisi ad fines vsque: sed vicinæ prouinciæ miserrimè vastantur & depopulantur, non minus ab amicis, quam ab hostibus ipsis. Consilia non desunt nec nostris, nec illis, sed apud quos rerũ summa est, peccatur, non solum in idoneis præfectis constituendis, sed etiam in iis procurandis quæ tanto exercitui necessaria sunt. Quanquam non significes, non puto tamen ignorare te, in quanta damna & pericula leuitas ac securitas *Publica.*

ebrioſi iſtius iuuenis (à grauioribus verbis libenter abſtineo) partes noſtras adduxerit. Victoria aliquoties potiri potuit, ſed turpem fugam honeſtæ victoriæ prætulit. Quinimo non poteſt ſub tali duce Dei eſſe benedictio, qui porcis regendis vita & moribus magis eſt idoneus, quam bonis piiſque defendendis: vt taceam quam facile proditiones tam circa conſilia, quam circa facta ſub eiuſmodi duce exerceri queant. Et ſane res ipſa oſtendit, iam exercitas illas aliquoties eſſe, nec iis finem futurum, quam diu ſumma rei militaris ipſi ſoli committitur. Antequam in hunc ſtatum res adductæ fuerunt, grauiter de his ipſis, quæ nunc euenisſe videmus, noſtros præmonui: agnouerunt illa vnà mecum, ſed mederi iis haud potuerunt, nec adhuc poſſunt. Faciunt tamen omnia quæ fideli prouinciæ pro ſe & pro aliis defendendis facere conuenit. Sed videntur reliquæ vnitæ prouinciæ non parem animum & operam commu-

communibus neceſſitatibus adhibere. Vtque hoc apud te dicam, qui ex conſilio vnitarum Prouinciarum hactenus Dauentriæ, & in illis partibus rerum curam habuerunt, peſſime apud vulgus audiunt, quod in vita & moribus ipſorum nihil pietatis nec ſollicitudinis animaduerterint, ſed multum diſſolutionis & ſecuritatis. Calamitates illæ diuturnæ, tum Spiritus ſancti de peccatis redargutiones, plebem hoc tempore oculatiorem faciunt, & niſi allaboretur, vt neutiquam alij, quam viri iuſti & boni, quorum vita & ſtudia oſtendant ſe nihil quam Dei gloriam & vtilitatem Reipublicæ quærere, rebus gerendis præficiantur, futurum eſt vt plebs in rabiem tandem adigatur, omneſque qui in officiis ſunt, quiue potentia aliqua valent, ipſimet interficiant, vel priori Dominio & iugo ſe ſubijciant. Ne autem ignores quomodo ſe..... geſſerit, mitto tibi exemplar literarum, quas Præſes Friſiæ poſtremo ad me

dedit. Quid interea acciderit, nihil certi adhuc intellexi, verum in singulas horas nuncium inde expecto. Quod me admones vt eò me conferam, agnoscere tibi hic debeo naturæ meæ infirmitatem. Quoniam ea quæ nunc tractantur, pro maiori parte ad bellum pertinent, animaduerto, nõ posse me sine magnis animi perturbationibus & conscientiæ meæ scrupulis in negotijs illis versari, præsertim quũ particulariter ista tam in offensione, quam defensione pertractanda sunt. Tum etiam perfidia, leuitas, crudelitas, & auaritia hominum hoc tempore tanta est, vt rarissime bona consilia euentum suum consequantur: quæ res non potest non maximum quoque cruciatum ac dolorẽ bonorum animis adferre. Quare quamdiu de Dei voluntate incertus sum, an me ibi esse velit, videor saluti meæ melius consulturus, si me hic contineam: nec tamen desinam patriæ meæ consulere, quod conducere illi vllo modo existi-

existimem. Facilius commoueri possem ad eò proficiscendum, si præsenti bello finis impositus esset, & agendum foret de religione & republica recte constituenda, sed (proh dolor!) tempus illud nondum aduenisse videtur. Quod mors patris tui, viri optimi & præstantissimi, cui ex toto animo meo beatam resurrectionem precor, te extremo dolore afficiat, humanum est. Sed si in spiritu rem ipsam tecum perpenderis, plus materiæ ad gaudendum, quam ad dolendum inuenies. Quisnã pius hoc calamitosissimo & perditissimo tempore lõgam vitam expetat, nisi forte cupiditate & amore maioris lucis & gratiæ? sed pater tuus & vita satur, & in extrema senectute sua cognitione vnici redemptoris, mediatoris, & saluatoris nostri Christi Iesu illustratus, in eodem beate obdormiuit, quod tibi solatij satis est: sed nec ita à te discessit pater, quin spiritu adhuc tibi coniunctus maneat, in quo memoriam eius

ſuauiſſime tandem recolere poteris, donec idem ſpiritus animam noui tui hominis, depoſito infirmi corpuſculi tui onere, beatæ animæ ſpirituali patris tui in cœleſtibus vſque ad tempus reſurrectionis iterum coniunxerit: ad quod dico Amen. Quantum negotium illud cum Duce Alenzonio attinet, euentum vna tecum à Deo Optimo Maximo expectabo: metuo tamen non tam facilem & promptum, forte etiam non tam commodum, ſalutaremque piis futurum, atque multi exiſtimant. Quæ hic noua ſunt melius ex relatione Domini Iohannis Wtenhouij, qui has tibi literas adfert, quam ex ſcriptione mea intelliges. Comitia Norimbergica in VIII Octobr. reiecta ſunt: propter prædictum negotium arbitror Belgas noſtros nullos eò Legatos miſſuros. Habeo conterraneum quendam, virum eruditiſs. & modeſtiſs. qui ſcholam olim Duiſburgi habuit, ante quadriennium cum filio Dominæ

minæ de Prato, quæ & ipsa Duisburgi tum agebat profectus fuit Geneuam, adducta secum vxore sua & liberis. Nunc liberatus ab illius institutione, optaret aliam honestam conditionem, qua Deo ac Reipublicæ seruire, seque & familiam suam sustentare queat. Est adhuc Geneuæ, nec inde abire statuit, quam de tali conditione sibi prouisum fuerit. Cæterum cum intelligam Rectorem Scholæ Delphensis, Leouardiam, vbi ante eodem munere functus fuit, reuocatum esse, omittere nullo modo potui, quin eius apud te mentionem facerem, vt si non alterius eruditi operam conduxerint, per te illis commendetur. Vir est singulari doctrina, probitate, & diligentia præditus, & ad instituendam pueritiam prorsus natus. Scio gratias illos vtrique nostrûm acturos, si, quod spero, euenerit, vt in Rectorem illum eligant. Nomen eius est Lollius Epæus Adama, honestis apud nos parentibus

ortus si forte alterius opera iam conducta est, & alibi similis conditio se obtulerit, amanter te rogo, vt eius memor esse velis. Statueram hinc Duisburgum migrare, sed dum hoc ago, Parmẽsis ad Senatum contra me acerbissimas, plenasque calumniis literas scribit, quasi autor essem omnium earum seditionum & motuum, qui in partibus nostris orti sunt, & seminator pestilentissimarum opinionum : in fine rogans, vt me urbe eijciant. Senatui, qui mihi quoque est infensissimus, grata fuisse videtur hæc occasio, & per duos Consules literas illas mihi prælegi fecit, qui vna etiam adiecerunt, Senatui placere, vt alio me conferrem. Respondi ex tempore quæ videbantur necessaria, deinde petij exemplar earum literarum, cupere me in scriptis latius ad eas respondere. Accepto exemplo in scriptis ita respondi, vt ab eo tempore missum me fecerint. Ne videar ergo propter literas abiisse, honoris mei causa domicilium

micilium meum hic continuo. Bene vale, vir amantissime, in eo qui nos dilexit Christo Domino & Deo nostro. Vxori tuæ optimæ & piissimæ matronæ omnem à me salutem & reuerentiam. Quod me inuitas ad hospitium, pro eo amanter tibi gratiam habeo, nec repudio, si vnquam contingat me ad vos descendere. Coloniæ, 1 Octob. MDLXXX.

Tuus ex animo

AGGAEVS ALBADA.

LXIV.

Nobilissimo clarissimoq; viro D. Adriano Mylio, Senatori consilij Status Hollandiæ.

BInæ tuæ mihi fideliter sunt ac bene redditæ. Libellos tibi meos non ingratos esse, facit tuus erga me amor. Sed addit tamen calcar, vt scribam alacrius. De nummis habeo gratiam. Breui certum isthuc *Priuata. Publica.*

hominem ex mea familia missurus, qui Ordinibus Hollandiæ Psalmos meos exhibeat, & meos nummos huc mihi adportet. De reliquis septingentis probo equidem tuam sententiã, & rogo, vt ita cures, vt me à te amari scio. Mechlinienſis deprædatio mirificè rebus noſtris officit, & occaſiones pulcherrimas rei bene gerendæ eripit. Cæſus enim erat in Flandria hoſtis, ſi Norreyſius eo cum ſua legione, vti ſtatutum erat, perrexiſſet: ſed cum iam huc redierint nudiustertius intempeſta nocte Princeps, & ille A. adſit, ſperamus negotium breui confectum iri. Defert enim Principis dignitati non parum Norreyſius: interea Mechliniæ male eſt, ſed ſanè non ſine ſua (vt ſcis) culpa. Præſidiarij Herentalſij tumultuantur. Duces ſuos captiuos detinent. Electum crearunt: Stipendium exolui ſibi volunt. Nec tamen animo videntur à patriæ ſtudio eſſe alienato, niſi quod tribunũ equitum, Albanenſem, qui ad ſe defecerat

fecerat crearint, quod certe intelligis non esse sine periculo. De Tenremonda metuis nobis iniectus fuit, propterea, quod præfectus Ryhouius Tongerloïum vexillum eiecerat: sed audio inter eos simultatem interceſſiſſe: neque tamen vacat omni periculo res, sed prudenter & cautè tractãda est, donec præsidium in vrbe sit rebus nostris addictius vel certè constantius. Expecto te hic studioſe in comitiis Ordinum: & si omnino fieri potest, fac quæso vt venias. Nisi meæ tibi ædes incommodæ videntur, quod procul absint à comitiis, habeo cubiculum quod tibi vsui fore puto, & eris certe grauissimus si apud me diuertes, imò cumulaueris me beneficio. Vale, & me, vti facis, ama. Antwerpiæ, XXIII Iunij, MDLXXX.

Tuus quem nosti

PHILIP. MARNIXIVS.

LXV.

LXV.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano vander Mylen, Rerum Status Ill. Ordinum Hollandiæ Consiliario. Dordracum.

S. P.

De pacificatione Coloniēsi, aliaq; historica.

NON habeo quod argumentis tuis contradicam, nisi illud potissimùm, quod non possum, animo meo in suscipiendo munere illo satisfacere. Articuli super quibus Concilium illud cōclusum est, quos mihi nostri communicarunt, præcipuè ad defensionem directi sunt, & hanc præcipuè hoc tempore necessariam esse fateor: sed super negotiis bellicis non modo nihil intelligo, verum natura & instituto versari circa ea timeo. Res istas quæ in Cōcilio isto necessario tractabuntur, tales esse video, quæ requirunt versatile, alacre, & intrepidum ingenium, quod non facile querelis hominum, rumoribus, aduersitatibus,

bus permouetur; sed hic multum in me desidero, certoque scio, plures apud nos esse, qui istis rebus tractandis magis sunt idonei. Quamobrem serio apud nostros instо, vt me excusatum habeant, atque alium in locum meum surrogent. Nihilominus non propterea volo me rursus quieti dare, vel negotiis patriæ me subtrahere, verum vnà cum aliis allaborare, vt quam pijssime & optimè Respublica nostra paulatim constituatur. Imo ad media cogitare incipio, quibus res ita disponam, vt possim habitationem meam propius patriæ meæ accipere, vnde sine incommodo & periculo aliquo breui tempore liceat mihi ad eos excurrere, Comitiis eorum interesse, & quod bonum in commune est, præsens cum illis deliberare & decernere. Confido me plus boni patriæ meæ, si in libertate mea mansero allaturum, quam si me in Cõcilium istud dedero; forte etiam vicinis Prouinciis ad communem

munem concordiam aliquid seruire potero. Vtinam modo liberati essemus eo metu, qui nunc nobis incussus est, vel potius eo periculo, quod patriæ meæ modo imminet. Hostes enim nostri his diebus Rhenum traiecerunt, non pedites solum, sed & equites, quorum numerus tamen non tantus fuit, quantum ex rumore acceperamus. Qui hac transierunt partim Vallones, partim Albanesij, quingentos non excesserunt. Schenck qui præfectus est totius exercitus, ducentos apud se habuit. Peditum vexilla XIV fuerunt, trecentorum hominum vnumquodque; inter quæ vnum vexillum ex solis Sacerdotibus & Monachis constat, præter eos, qui sub aliis signis militant. Subsequentur quingenti, & eo amplius, sclopetarij Vallones, cū paucis equitibus, qui in traiectu Rheni singulis horis expectantur. His regimenta Domini de Houtepenne, is duo habuit, qui circa Bolsducum hæserūt, accessura affirmantur.

tur. Geldrensium Regimentum in Pago S. Viti paratum, an & id accessurum sit, affirmare non possum. Quantum vobis in salute istarum Prouinciarum situm sit, ignoratis: quare prompte nobis auxilium ferre debetis. Si sinant eos intra fines nostros peruenire, & non ante iis potenti manu occurrerint, valde metuo difficile nos & longum bellum habituros, eorumque vires per internos hostes incrementum accepturas. Consilium meum iam ante illis aliquoties communicaui, satisque temporis habuerunt de omnibus nessariis sibi prouidendi: sed si quid perdet nos, nihil aliud erit, quàm quod capite prudenti & forti destituimur. Mera apud nos omnium rerũ confusio est, & maior inter populares discordia, quàm imminens periculum ferre possit. Nisi ad causam ipsam respicerem, Deumq; pro nobis acturum crederem, nihil adeo firmum & validum video, quo spem aliquam victoriæ concipere

cipere possem. At causa ipsa in se considerata, vel potius Dei voluntas & ordinatio, quam ex verbo eius colligo, talem in animo meo fiduciam pariunt: Vtcumque detur iis grauiter nos affligere, extreme tamen spero, nostros victoria potituros, & paucos ex isto exercitu saluos euasuros. Id quæso Domine Iesu effice vt Amen sit. Cum offerret mihi se Dominus Betzius, dicens si quid in Belgium scribere vellem, se literas meas fideliter procuraturum, omittere non potui, quin hæc pauca ad te exararem. Bene vale vir amantissime. Vxori omnem à me salutem, & filiolo ab ea nomine meo osculum. Coloniæ, VIII Iunij. M D LXXX.

Tuus ex animo

AGGÆVS ALBADA.

LXV.

LXVI.

Nobili & clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Rerum Status Ill. Ordinum Hollandiæ Consiliario. Dordrechtum.

S. P.

REdditæ mihi sunt tuæ literæ, ex quibus gratum fuit intelligere, propediem te heic adfuturũ. Interea nolui nescires quid hic geratur. Audisti (nihil adhibito) Anglos post captam Mechliniam nullis aliis inde machinis retrahi potuisse nisi argenteis. Nam etsi plæraque ciuium bona prædæ cesserant, tamen quia nomen prædæ sortitæ non fuêre illæ stipulatoriæ exactiones, necesse fuit Anglis xxxvi flor. millia amplius polliceri, & decem millia in promptu numerare, cum nostratibus autem & Scotis ad viginti millia transigere. Ego illo missus omnem dedi operam vt sine tumultu vrbe quique discederent, atque alia præsidia in- *Vt Angli Mechliniæ pulsi.*

troducerentur, verum & odium ita fuit atrox & ambitio adeo ardens, vt post quater aut quinquies sopita classica, quibus ad arma proclamatum fuerat, cum iam plerique vrbe excessissent, nescio quo authore denuò ad arma concursum fuerit, & Angli à nostris vrbe eiecti, desideratis plus minus vigintiquatuor, præter saucios numero non exiguo. Inter hos etiam è nostris cecidere pauci aliquot. Posteaquam verò in Flandriam iissent Angli, eadem morositate qua Mechliniam tenuerant, renuerunt se Lanouio, & reliquis Gallis velleadiungere. Illi arcem Ingelmonasterium cingebant obsidione, Lanouius Gallos secum deduxerat Tornacum, atque inde vlterius ad nescio quam expeditionem. Sed concitato reuersus itinere, vt suis adesset hostis aduentum præstolantibus, non potuit Gallos de via fessos longius deducere. Itaque illis in Wackene relictis, ipse solus ad castra suorum abit: quo hora noctis

ra noctis nona cum veniſſet, & Gallos ſummo mane iuſſiſſet conſequi, ipſo diluculo aduentu hoſtis inopinato oppreſſus, non potuit à præcipiti fuga milites, & præſertim equites, continere. Ipſe cum centum quinquaginta Gallis impetum hoſtium aliquantiſper ſuſtinuit, illos enim in caſtris ad vexilla Gallorum aſſeruanda reliquerat. Tandem deſertus ab omnibus, (abierat enim, vt Scotos aliquot è fuga reduceret) ab hoſte captus, & Cortracum deductus eſt, magno certè rationum noſtrarum incõmodo, & dolore incomparabili. Ordines D. Metkerkium, & me Gandauum hodie aut vt ſummum cras, ablegant, vt res ibi quoad eius fieri poterit conſtituamus. Interea Ordines de rerum ſumma incipiunt deliberare. Quod meæ res priuatæ tibi curæ ſunt, habeo gratiam. Nummos illos ſi ipſe huc venies, per tuorum aliquem huc apportari gratum erit. Ego viciſſim ſi qua in re poſſum gratificari

paratum promptumque te præstabo. Vale, meque tui amantissimum, vt facis, amare perge. Antwerpiæ, XVII Maij, MDLXXX.

Tui studiosissimus

PHILIP. MARNIXIVS.
Sanct Aldegondius.

LXVII.

Ornatissimo viro, Dn. vander Myle, Illustrissimo Principi Arausino à consilijs, Dordrechtum.

S. D.

Multa de Duce Alenconio.

EX Illustriss. Domini Principis literis intellexi, frequentem Ordinum conuentum isthic in Hollandia agi, de summa rerum semel constituenda. Itaque nolui prætermittere, quin ad te meam sententiam perscriberem, & quid hic rerum gereretur, breuiter commemorarem. Cum Duce Alenconio à nobis transactum esse haud arbitror te ignora-

ignorare, & ſcio vidiſſe conditiones, vti eas Antwerpiam ad Ordines cum literis noſtris iamdudum dedimus. In eas niſi reliquæ omnes Prouinciæ confertim pedibus eant, plane ſtatuo, male illis eſſe & nobis omnibus ceſſurum. Nam de Hollandis, Zelandis, & Vltraiectinis πάντα πέπρακτ) κ̃ γνώμην, κ̃ καθό σοι πότε ἀπὸ τ̃ τ̃ ὀραγγίον εἰς τὴν πόλιν παρουσίας καταδῆλως ἔφασκον, εἰς ὃ κ̃ δίπλωμα ἱκανὸν ἐκομισάμην. ὥστε οὐδὲν πάνυ λείπεσθ ἀμφισβητήσιμον. Reſtat vt eum te hic nobis præſtes, qualem vniuerſa ſenſit hactenus Reſpublica. Habeo enim pro exploratiſſimo, te, ſi hunc Principem videris, haud aliter atq; ipſe ego ſenſurum. Eſt enim ingenio manſueto & ſuaui, iudicio acri, eloquentia non vulgari, fide, niſi me plane omnia fallunt τεκμήρια, integra ac ſyncera. Religionem profitetur Pontificiam, &, vt apparet, religioſe, ſed veram Euangelicam non auerſatur. Eos certe qui illam profitentur & amat & colit, peræque

atq; alios. τάχα καὶ τούτῳ τῷ κακῷ ἰαθήσεται ὁ πολλῶν παραίτιος χρόνος. ἐγὼ δὲ τοῖς παροῦσι πανταπασίγε χρηστέον οἶμαι. Ἐ μὴ ἐν τοῖς μέλλουσι μέλλοντας καὶ βραδύνοντας ἐπ' ἀπιοῦσι τὰ πράγματα καθαιρεῖν, ἵνα μὴ τὸ μὲν παρὸν ἀεὶ προιεμένους τὰ δὲ μέλλοντα αὐτόματα οἰομένους σχῆσειν καλῶς, καὶ αὐξήσωμεν, ὡς τοὺς ἑαυτοῦ ἀθηναίους προσαγορεύεται ὁ Δημοσθένης, φίλιππον ἡμεῖς, καὶ καταστήσωμεν τηλικοῦτον, ἡλίκος οὐδεὶς πω βασιλεὺς γέγονε. A comitatu Principis huius si quid metuendum est, hoc certe omne illud est, quod quis possit reformidare. Sed omnino mihi persuadeo, tum ipsius prudentiam atque animi æquitatem, tum & Ordinum diligentiam καὶ τῶν νόμων ἀκρίβειαν huic posse incommodo mederi. Itaque si qui sint, qui posthac aduersentur, non possum equidem aliter inducere in animum, nisi patriæ illos moliri perniciem. Multus fuit hic & satis diuturnus de Regis Hispaniarum obitu rumor: & fuit sane afflictus valetudine grauissima. Sed iam vndique illum conualuisse percrebrescit.

brescit: & nouas in Lusitanum Antonium, iam & milite, & commeatu, & hominum ab Hispano vehementer alienatorum studiis, & denique Gallicis auxiliis auctum, vires reparare. Hic si ei negotium opinione sua diuturnius facesseretur, vides mirum in modum id ex vsu nostro fore. Atqui est certe in nostra potestate: Rex enim Gallicus, si nos Alenconio nō defuerimus, omnino videtur non pœnitenda pro Lusitanis auxilia destinasse, ductore auctoreque Strozzio. Quamobrem plane vides, haud esse committendum, vt se huic occasioni tempus subterducat. Nunquam enim, vt ait ille, indipiscet quadrigis albis postea. Hac in re tua isthic authoritas, & tum pietatis, tum prudentiæ, ac virtutis existimatio, si quid aliud, multum certe potest. Itaque tu hic ne desis patriæ etiam atque etiam vehementer te rogo. Vale, & me, vt facis, ama. XIX Nouembr. Anno MDLXXX. Datum in Vico *Flesche*, prope oppi-

dulum Sanctæ fidei. Sed quod initio promisi, iam prope exciderat: itaque nouam exordiar epistolam. Posteaquam iis conditionibus, quæ tibi proculdubio notæ sunt, cum Alenconio Turonibus transegissemus, & ex rege accepissemus, omnia illum fratris causa velle, nec vllare, quæ ad huius dignitatem posset pertinere, se illi defuturum, & præsertim quandoquidem conditiones vtrinque pactæ satis illi probentur, in hoc instituto se illi omne studium operam atque auxilium esse libenter præstiturum, modo vt in suo primum regno, suis laribus, penatibus suis, deniq; visceribus, pax possit stabiliri, sine qua plane sibi decretum non esse glisscente domi bello foris experiri fortunam, & maxime cum Principe vsque adeo potente, & quum possit amicitiam & fidem, si velit, nullo suo incommodo facile tueri: nihil sibi prius aut potius esse duxit Alenconius, quam vt ipse sua fide, authoritate, atque existima-

tione

tione bellum hoc inteſtinum, tum vniuerſæ Gallæ pernicioſum, tum ſuis certe inſtitutis male oportunum, componeret. Itaque in has auſtraliores Galliæ partes propius ad Nauarræum veniendum ratus, ex vno in alium ſe locum paulatim adduci paſſus eſt, donec tandem in hoc vico, (ad quem ipſe Nauarræus venit cum coniuge & magna Galliæ nobilitate) conſtitit. Hîc multo tempore hæſimus otioſi, nequaquam certe vrgente Alenconio, quod Nauarræus nollet tantum & tam arduum negotium ſolus conficere, & initio quidem Vicecomitem Turonenſem, mox cum ille aduenisſet, alios Eccleſiarum legatos putaret eſſe operiendos. Magna tamen & ipſius Ducis Alenconij, & tum Anglici legati Stuffordij, tum mea importunitate, res agi ſerio cœpta eſt, & varijs altercationibus atque alternante indies ſpem pacis metu belli iterandi, quod iniquæ viderentur à Regis legatis afferri

conditiones, heri tandem, qui dies fuit viceſimus Nouembris, certis vtrinque conditionibus de ſumma rerum tranſactum eſt: ita tamen, ſi regi placuerint: in cuius arbitratu (propterea quod plus videtur Euangelicis largitum eſſe, quam rex procuratoribus ſuis dediſſet in mandatis) negotium nunc poſitum eſt. Interea hodie edicentur inducię, & armorum in decem dies ceſſatio, dum Rex ipſe, ſuam ſententiam interponat. Ego interea relictis meis collegis, in vrbem Turonum, Alenconium hucuſque comitatus ſum, partim, vt ſi qua poſſem, tam ſanctũ inſtitutum promouerem, partim vt principis noſtri mores penitius addiſcerem. Vtrumque ſucceſſit, ſatis ex ſententia noſta: interea qui Turonibus hærent moræ tam diuturnæ impatientes, poteſtatem in patriam redeundi flagitant. Sed Alenconius, qui Euangelicorũ precibus & flagitationibus induci ſe paſſus eſt vt menſem vnum aut alterum hic

hæreat

hæreat, ſuaque præſentia atque authoritate pacem initam firmet atque effectam reddat, cogitat illos ad ſe Burdigalam, quæ nouem, ni fallor, hinc abeſt Gaſconicis miliaribus accerſere, vrgetq; vt negotio noſtro, ſeu tranſactioni, quam ſcit iſthic ab Ordinibus probatam eſſe, extrema manus ſacramento à ſe præſtito imponatur. Id ego quidem plane comprobo. Sed videtur noſtra procuratio, quam ab Ordinibus habemus, haud eouſque ſeſe porrigere. Itaque cenſui potius iſthuc eſſe quempiam ablegandum, qui certum atque idoneum hac de re mandatum adferat, atque interea Alenconius Principi Daufineo, noſtræ Aurangiacæ (vt) ſcis fratri, mandet, cupere ſeſe, vt ille ſuo nomine iſthuc proficiſcatur, ſacramentum ab ipſis Ordinibus pro Duce Alenconio accepturus. Huic meæ ſententiæ videtur ipſe Dux nõ plane refragari: ſed tamen cupere omnino, vt mei collegæ huc propius ad

ſe ve-

se veniant, quod quidem ego illos satis ægrè facturos suspicor. Interea tamen vehemẽter te rogo, vt quando iam isthic apud vos Ordinum comitia instituta sunt, des operam, vt ab Ordinibus plena mandata accipiamus, pro se iurisiurandum Alenconij in manibus nostris accipiendi, eaque potestas vel plerisque nostrum detur, si qui volent abesse, (nec enim dubito quin ex eis nonnulli in patriam sint remigraturi) vel certe, si aliter isthic vobis videtur, alij pro nobis mittantur quibus hæc potestas detur. Tu si tuam nobis hic operam commodaris, nos certe tibi hoc beneficio non vulgariter obstrinxeris. Iterum vale, eodem die, vt supra.

Tui studiosiss. atq; amantissimus

PH. MARNIXIVS.

LXVIII.

LXVIII.

Ornatissimo viro Dn. Bonaventurae Vulcanio, amico suo, Antverpiae.

LIterae tuae, mi Vulcani, multis nominibus fuere iucundissimae. Hoc vno submolestiusculae, quod de rei tuae familiaris ἀμηχανίᾳ querulae. Scio equidem ita rem se habere, vt scribis: sed tua virtus, & quae plerunque comitatur fortuna, facit, vt optima quaeque & sperem, & tibi esse speranda ducam. Ego tibi certe quacunque potero in re commodare, haud vnquam deero. Quod de filio meo paulo speras luculentius, vehementer profecto gaudeo. Tua enim spes pluris mihi est, quam aliorum pollicitationes: etsi miror, nihil te de meis ad te datis literis: fortasse nondum erant redditae cum tuas exararet. Ego certe dedi III Octobris post quem diem 12. insequente tuae fuere scriptae. Iudicium tuum de praeceptis

Varia. Priuata. Publica.

præceptis Grammaticis nõ planè improbo: sed ita tamen, vt hoc nomine haud ediscendas censeam infinitas regulas, & nescio quæ magica carmina, quę in scholis solent ad nauseam, & verò ad mortẽ vsq; pueris sine vllo intellectu decantari, neque tamen percipi possunt, donec vsum linguæ Latinæ calleant: ac ne tum quidem sæpè possunt diuinare, quid illa tam portentosa sibi velint mysteria. Ego quidem puer didici permulta, quæ ne hoc quidem tempore quorsum prosint, omninò possum intelligere. Stylũ exerceri, scis quam mihi scit gratum. Quod illi tu Plutarchum prælegis, & Catechismum, volupe est, & gratiam tibi habeo. A te enim, à te, mi Vulcani, cupio illum erudiri. Tibi enim eum tradidi, & tibi dedo. Itaque rogo ne mihi aliena opera posse satisfieri de ea quam mihi tua existimatio excitauit opinione putes. Quod vis mihi persuaderi de tuo studio & voluntate, ita tu statue, nisi iamdudum mihi persua-

perſuaſiſſem, & quidem pro explorato, haud tibi chariſſimum rerum omnium pignus concredidiſſem: ſed planè nihil de te dubito. Tu modo candide mihi & ſincere tuum iudicium indices, & aperte mecum agas. Ego enim, ſi ſenſero ad literas non eſſe aptum eius ingenium, aliud mihi inducam in animum. Neque enim volo inuita illum Minerua ætatem in ſtudiis ſine fructu terere. Venio ad alterum epiſtolæ tuæ caput. Quod mihi hæ moleſtiæ Pſalmorum nomine excitantur, immerito certe fit: Ego enim velim ſemel iudicium fieri, pro futurine Eccleſiæ ſint nec ne. Nam ſi non ſunt, antiquentur: vel ego primus ero huius authoꝛ ſententiæ: ſin autem, miror equidem, Miniſtros verbi, quorum iudicium ac ſapientia à perturbationibus animi vacua, quod verum eſt, & videre debebat & iudicare, tamen hic hallucinari, & ad neſcio quos ſcrupulos offendere. Nam de ſynalœphis, quod ais, mihi etiam

videtur

videtur esse ridiculum, nulla enim plane est in toto volumine, quam non admittat communis & vulgatissimi sermonis ratio. Neq; vnquam hactenus versus editi fuerunt nostrate lingua, qui quidem decantarentur, qui non haberent eiusmodi synalœphas: neque omnino aliter patitur linguæ nostrę ratio, nisi tempora confusanè velimus & inconcinnè inter se permiscere, & hiatus fœdos in carmine (vti hactenus factitatum est ab iis, qui se syllabarum numeros obseruare professi sunt, cũ syllabarum tempora ignorarent) admittere. Id fecerit qui volet, ego certe nunquam patiar sub meo id fieri nomine. Potius deleuerim singularis numeri istis delicatulis auribus inauditi notas, quas non ignoras ab illis haberi prope portentosas. Sed tamen & hoc ego meo iudicio permitti cupio. Reliqua dabo libenter alienæ censuræ, si quæ rationem admittant. Sin autem, haud puto quenquã meritò mihi succensurum

rum si vulgi iudiciũ rationi postpo-
suero. Datheni iudicium metuo vt
non sit tam syncerũ atq; tibi fortasse
existimatur. Si enim ex factis verba
sunt æstimanda, vix video cur quic-
quã ὑγιὲς de hoc homine sperari de-
beat, qui videtur animum ad semel
temere susceptã insaniam obfirmas-
se. Sed nolim tamen hæc ita accipi,
quasi me certò quid iudicare de eo
existimes. Ipse enim arbitrio Domi-
ni sui stat & cadit. Sed certe eius a-
ctiones etiam recẽtiores, vehemens
animo fastidium cõmouent. Domi-
nus det meliora. Quod vis exemplar
Psalmorũ offerri Synodo, non impro-
batur. Sed menda librariorum facile
est emẽdare. Reliqua ego antequam
isthuc abirẽ, omnia, nisi me fallit ani-
mus, annotaui emendauiq;, tum illa
quorum tu me mones, tum ea quæ
attingit Rembertus noster in literis
quas ad Iustinũ Nassou. nuper dedit,
vno tãtum excepto: is est Psal. CXLV,
prima parte odes, in duobus postre-
mis versicul. Pro eo enim quod scri-

bitur, *Van geslacht tot geslacht καταλεκτικῶς*, debebat poni *ἀκαταλεκτικῶς geslachten*, & itidem in postremo, *met oorcont vry van dyner sterke macht*, scribendum fuit *van dyner stercker crachten*. Psalmo LXVII vbi desunt duo versiculi, emendaui ante meum discessum, & indicaui librario: quod si forte tamen oblitus fuerit, ita licebit emendes, vt initio noni versus qui sic incipit *VVant God heersching heeft*, hi præponantur:

All' die ghy sijt vvijs,
Geeft God lof ende prijs.

In quo error quem commisi ex euitatione Gallici erroris natus, qui versum sextum tautologia deturpauerunt, addẽtes nullo textus exemplo, *Voyons arriuant, Le grand Dieu viuant*. Quod cum fugerẽ vt Scyllam, videor mihi in Charybdim incidisse, illudque Horatij expertus esse, in vitiũ ducit culpæ fuga si caret arte. Reliqua menda omnia memini me ita indicare librario, vt non dubitem, quin possint ei venire in mentem,

tem, quippe quæ habeat à me descripta. Quod me ad versionem nouam hortaris, fuit gratum. Ego certe iam dudum antequam Antwerpia discederem, id facere, hoc itineris tam longi otio, & fastidio pellendo, constitueram. Sed nescio quo malo, dum fui oblitus librorum quos mecum debueram asportasse, etiam factus sum negligentior. Paulo tamen anteaquam tuas accepissem literas, me ad illud opus accinxeram, sed addidit calcar tua exhortatio, ita vt iam omnia absoluerim, nisi fortè hallucinor, etsi pleraque tumultuarie, propter librorum inopiam: nullam enim plane habeo versionem ad manum, nisi versutum Gallico, tũ nostrate, nec vllam plane interpretationem. Solummodo adfuit Hebraici textus enchiridiolum: sed tamen, si reuerso licuerit conferre cum interpretibus, spero non pœnitendam me posuisse operam. Cæterum dolet mihi ex animo te hoc tuo studio feciſſe ia-

cturam rei familiaris ob expensas grauiores quam vsus postulet. Sed non possum interea quin te moneam, id eo factum potius quod consilio meo vti renueris. Nec enim iudicabam è re tua esse, hoc in te onus, & per se graue, & tibi certe huius artis typographicæ ignaro, inprimis molestum suscipere: suasi potius, vt exemplar venderes librario. Ita enim & temporis magnum feciſſes lucrum, & rei: neque peccasses in vetus prouerbium, Quam quisq; nouit artem, in hac se exerceat. Sed spero facile hoc damnum posse resarciri: & si videam librarios, porro malignè agere, spero me posse tibi priuilegij prorogationem impetrare. Rerum nouarum, quas hinc possim describere, hoc est caput. Heri inter Alenconium & Nauarræum de pacis conditionibus consensum esse: ita tamen, si Regis accesserit arbitrium, de quo bene sperant omnes. Reditus meus vt non sit adeo breuis ac speraram, multa

sunt

sunt quæ vt verear faciunt. Quod si tamen isthinc breui acceperimus responsum de mandato quod ab Ordinibus per literas postulaui, non dubito, quin breui post simus redituri. Negotium certè hactenus successit ex sententia. De reliquo omnia optima speramus. Vtut sit, iam magnum fecimus operæpretium, quod nostrum hoc institutum dederit paci in Gallia componendæ occasionem. Illa vna non poterit, nisi in gloriæ Dei propagationem, & Ecclesiarum incrementum cedere. Reliqua erunt, vt spero, etiam certiora melioraque. De Hispani regis obitu rumor etsi multus ac diuturnus, tamen tandem euanuit: Bellum in Lusitania magno conatu reparatur. Vale, *Fleschij*, qui est vicus prope Sanctę fidei oppidum in agro Bigornitano ad XXI Nouemb. MDLXXX.

Tuus

PH. MARNIXIVS.

LXIX.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano Mylio, Provinciæ Hollandiæ à consilijs, Dordrechti.

S. P.

Politica. NOsti facilitatem naturæ meæ: sed multo magis nosti, quid per charitatem piis & bonis præstare obstricti simus. Quare non miraberis nullas tibi à me venire literas, quæ non simul commendationem alicuius contineant. Qui has tibi adfert, est is cuius hospitio hîc quondam multi eruditi viri propter veritatem exules vsi fuerunt, vt ego quoque suauiter per annum cum eo vixi. Illorum consuetudine & colloquio ipse quoq; in veritate institutus, eam promouere laborauit, à Magistratu autem officio suo honestissimo & quæstuosissimo, quo apud Consules vt scriba fungebatur ante multos annos, ob illam causam solum, in aliis quæ muneris sui erant

lauda-

laudatissimus, priuatus fuit. Postremò verò cum aliquando fassus fuisset, se cõcionibus reformatæ Ecclesiæ interfuisse, Sacramenta in eadem Ecclesia participasse, libertate eius in defendendo iure ciuium offensi, istinc occasione sumpta, voluerunt, vt nomina eorum, qui interfuissent, vna cum domibus & ministris indicaret. Paulo post à tuo hinc discessu in carcerem coniectus fuit, in quo eum duriter sine lecto & foco per XLVII hebdomadas tenuerunt. Sed Dei gratia nullo incommodo etsi senili ætate, ac infirma valetudine sit, commoueri potuit, vt vllius nomen deferret. Qua constantia tandem Magistratus aliqui etiam misericordia commoti, vnus & alter ex præcipuis alio modo inducti, non ita nuper è carcere eum dimiserunt, sub hac conditione, vt ciuitate exeat, nec huc nisi suo cõsensu redeat. Habet nunc optimus vir debitum aliquod, non quod adhuc disputari opus est, sed quod per sententiam

ipsi adiudicatum est, ex quo se ad tempus sustentare poterit. Et quia debitor mortuus est, & hæres eius Antwerpiæ habitat, vbi & bona defuncti debitoris sita sunt, quæ hæres occupauit, literas Requisitoriales impetrauit, quo executionem ibi impetret: sed opus habet singulari aliquo patrono, qui causam suam magistratui Antwerpiensi commodet, ne, quod res eius non ferunt, diu ibi permanere cogatur. Nec putat vllum gratiosiorem se habere posse, quam Illustriss. Principem Auraicum, cuius etiam Excellentiam aliquid sibi gratiæ facturam esse sperat, non solum in debito illo consequendo, sed etiam vt huc redire possit, quod in seruitio Excell. eius fuerit, atque in eo rerum suarum non exiguam iacturam, vitæque periculum subierit. Abs te vero hoc me petere voluit, vt per literas tuas aditum ad Excell. eius habere possit, quam etiam ipsius non esse oblitam, ostendunt literæ, quas admodum gratio-

sas

sas & graues, dum hic in carcere fuit, pro liberatione eius ad Magistratum scripsit. Habes petitionem meam, quam spero te mihi non esse denegaturum. Quæ circa me sunt, quæque noua hic habemus, melius ex ipso, quam ex meis literis cognosces, & sunt sane pauca adhuc læta. Dominus misereatur tandem nostri. Ad binas meas præcedentes literas auidissime tuum responsum expecto, vt quo in staru Respublicæ sint, certi aliquid per te intelligam. Bene vale honorande & amicissime Domine, vxori tuæ & fratribus omnem à me salutem & reuerentiam.

Dum hic vir procrastinat, accepi tuas literas, quæ valde mihi gratæ fuerunt, ex iis enim quod petebam abunde intellexi. Spes, metus: sed minor tamen quam si in priore statu permansissemus. Orandus est Dominus vt consilia nostra conuertat ad sui nominis gloriam, & ad piorum salutem. De patria mea nun-

quam dubitaui quin assentiretur, & ita etiam semper illis suasi, vt sua consilia ad vestra accommodarent. Si enim concordes fuerimus, & altera prouincia alteri fidem seruauerit, facile nos aduersus quoscunque hostes tueri poterimus. Gaudeo itaque sententias hîc vestras conueniisse, quanquam nondum sciam, quomodo hæc res apud nos acta sit. Super ea enim non puto Statuum consensum requisitum fuisse, nisi Deputatorum forte potestati iam ante commissa fuit: sed hoc sciam postea. De Steenwico iam pridem læta quædam noua habuimus: sed quæ rursus euanescere incipiunt. Sumus tamen adhuc in spe aliqua commeatum in illud inuectum esse. Multum in conseruatione istius Frisiæ nostræ positum est. Si enim occupetur, iam altera fere parte eius excidimus, quam etiam facile aduersus aliam tueri & munire poterunt. In Germania nihil noui est, quam quod Imperator grauiter adhuc

huc ægrotare dicatur. Missi etiam Legati ad Electores de nouo die pro Comitijs constituendo. Princeps Bauarus tandem aliquid in his partibus impetrauit : electus enim est in Episcopum Leodiensem : an Belgij nostri bono, euentus ostendet. Videntur Pontificij singulare aliquid cum hoc Principe moliri, sed durum est aduersus stimulos calcitrare. Iudicium Dei suum progressum accipiet, etiamsi totus mundus se opposuerit. Cætera noua quæ hic circumferuntur sunt de motibus Anglicis & Scoticis, de quibus certiora vos habere existimo. Hoc ferè omiseram : Consul Groningensis Obbema, homo malus huc venit ad colligendas pecunias pro exercitu Regio, sed noua, quæ huc de Steenwico aduenerunt, mercatores Italos timidos faciunt. Iterum vale vir clarissime. Addo hic literas, quarum nuper oblitus fui : quæso, vt istius eruditi & pij viri meminisse velis, neue graueris nonnunquam me

paucis

paucis verbis de statu rerum apud vos significare. Coloniæ, VII Febr. Anno MDLXXXI.

Tuus ex animo

AGGÆVS ALBADA.

LXX.

Illustri ac Generoso Domino Iohanni Comiti Nassauiæ, Catzenellebogæ, &c. Gubernatori Ducatus Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ, Domino nostro gratioso & colendissimo.

Fidē Pontificiū datam seruandam esse.

QVæstionem Epistola tua ad nos data propositam, Illustris, ac Generose D. Comes, tum ob varias ac sæpe dissentaneas rerum circumstantias, tum propter diuersa nonnullorum alioqui forsan bonorum hominum iudicia generatim atque in Thesi, & quidem accuratè, vt rei dignitas postulat expedire, & difficile est, & periculi plenum. Tamen quia

quia neque pio huic Tuæ dignitatis ſtudio deeſſe poſſumus, neque intelligimus tam generale à nobis pronunciatum requiri: dicemus ad ſingularem hypotheſin, quæ ad vnius Geldriæ rationem propriè pertinet, id quod & veritati & verbo Dei iudicamus eſſe conſentaneum. Iuriſiurandi formulam à Tua D. Ordinibus Geldriæ præſtitam, vt & ad eorum res rationeſq; peroportunè accommodatam, & maxime ad Prouinciam illam in tranquillitate & concordia, quæ vna certe ſalutis eſt anchora, retinendam, ſane quàm idoneam, & omni ſuperſtitionis nota penitus vacantem, non modo probamus, ſed laude etiam & ſingulari commendatione dignam eſſe iudicamus. Rationem porro illam quam T. Generoſa D. in pura religione primum quidem toleranda, & pro ſe ſuaque familia exercenda, deinde pro vniuerſo populo ſine tumultu ac cæde ab omni iniuria vindicanda ſequutam eſſe ſe ſcribit,

non

nõ minore certe cum pietate, quam prudentia, fide, & virtute coniunctam esse plane arbitramur: censemusq; hoc muneris inprimis à Deo Tuæ dignitati esse impositum, vt publicam, quoad eius fieri potest, pacem & concordiam inter ciues atque vniuersos præfecturæ suæ populares summo studio atque omni ope tueri pergat; omnem omnino vim, audaciam, cædem atque immanitatem propulset; atque alterutrius religionis sectatores, qui se modestè ac tranquille in officio continebunt, authoritate sua peræque tueatur, vt qui status est Prouinciæ cui præes, omnibus modis procuretur, & religionis pacificatio communibus subditorum votis constituatur. In eam rem rationes à dignitate Tua sigillatim per epistolam commemoratas firmum ac stabile pondus habere, neque aduersariis argumentis, vel tantillum labefactari, nedum euerti posse, iudicamus. ac proinde ne hîc quidem à nobis ea repetenda esse

esse ducimus: tamen vt nostram sententiam planius Gener. T.D. capiat, omninò statuimus, omnem potestatem esse quidem à Deo, & certo ac rato eiusdem nudu decretoque consistere, sed legitima certè vocatione apud homines patefactam debere sanciri; sine qua nullū sibi quisquam imperium, nullamque potestatem debet arrogare; nisi qui Deum violatæ suæ maiestatis & contemti decreti seueriſſimum vltorem volet experiri. Legitima autem vocatio est ea proculdubio, quam leges vel diserte præscribunt, vel tacita ac recepta apud populum consuetudine aut conuersione admittunt. Legem porro ex Dei volūtate, atque æquabili iustitiæ & æquitatis ratione hominum animis insculptā, natam, populi consensu, & communi reipub. sponsione approbationeque figi & sanciri, nemo non insaniſſimus vnquam dubitauit. Vult enim Deus populi consensione ac sponsione quantumuis ratum ac certum suum decre-

decretum quasi appositio quodam sigillo obsignari; vt omni excusationis præcisa ansa nemo sit qui se obsequium atque obseruantiam magistratui tanquam Dei legato debere nesciat. Quod etsi in his vocationibus quæ sunt in Republ. ordinariæ perpetuum esse ambigit nemo: tamen quos etiam extra ordinem vocauit Deus, eos communibus veluti populorum suffragijs vt eorum scilicet imperio nihil deesse videri posset, voluit comprobari: quod in Mose, Iosue, & Dauide factitatum esse sacra docet historia. At vt qui à Deo immediate vocantur ab eo sola iura legesque accipere certum est; ita qui populorum suffragiis ad Reipublicæ curam administrationemque immediate vocantur, illi vniuersa populi voce ac sponsione, id est, pactis conuentis, atque ictis fœderibus, & conditionibus vtrinque datis, acceptisque, quasi secundarijs, & ab æterno Dei decreto, tanquam ex primo causarum fonte manantibus

causis

cauſis ac firmamentis intermedi-
is, ordinariam omnem ac legiti-
mam imperij ac magiſtratus voca-
tionem accipiunt, eademq; qui te-
mere violarit, Dei certe decretum,
atque ordinationem, conſtitutio-
nemque, non ſine nefario ſcelere
violare, eiuſque ſeueram ac iuſtam
vltionem, & quidem ſæpe cum po-
puli pernicie in ſuum caput acceſ-
ſere. Et ſane videmus plerunque re-
gum ac populorum vel potentiſſi-
morum interitus hanc eſſe cauſam,
quod vel principes impotenti do-
minandi libidine, vel populi laſci-
uiente proteruia, hæc fœderum &
ſponſionum publicarum ſepta non
vereantur tranſilire, ita vt vel in im-
manem ac feram tyrannidem, vel in
fœdam atque deterrimam anarchi-
am & ſeditionem popularem legiti-
ma imperij adminiſtratio degene-
ret. Quod ſi ita eſt, vti certe eſſe ne-
mo ſanus ambigit, omnino ſtatuen-
dum eſt, ſacroſancta illa eſſe omni-
bus atq; adeo in hac Geldrica præ-

fectura Generosæ Tuæ Dignitatis augusta esse debere fœderum, pactorum, & stipulationis vincula; quibus abruptis nulla recta aut legitima imperij administratio ne intelligi quidem potest. Et quum nulla plane gens vsque adeo omnis humanitatis expers reperiatur, quæ se in voluntariam cuiusquam hominis seruitutem sponte coniiciat: omnino fit, vt qui se populus regi, principi, aut magistratui regendum ac moderandum tradit, quam illi concredit potestatem, certis eam ac ratis cancellis & quasi regionibus vel expressa lege, vel tacita certe consuetudine circumscribat. Habet enim potissimam suæ, id est, publicæ salutis ac tranquillitatis rationem populus, quam quidem supremam esse legem nemo vnquam dubitauit: ac propterea quia illam popularis multitudinis turba vix sentit posse conseruari, in vnius fide, prudentia ac vigilantia deponendam concredendamque sibi esse arbitratur: cui

deinde

deinde pro ratione suæ salutis ac tranquillitatis, in quem vnum ferè colineat scopum, eiusmodi conditiones præscribit, quas è republica maxime esse existimat. Ac proinde nemo debet existimare, maiorem sibi à Deo in populum aut ciuitatem vllam esse concreditam potestatem, quam sit ea quæ legitimæ huius vocationis formula & pactis iuratis, ac datis acceptisque vtrinque conditionibus exprimatur: à quibus neque Principi neque populo, nisi forte noua intercedēte sponsione aut consensu, fas est resilire. Ex quo fit perspicuum, quod si qua gens, populus, aut ciuitas, vel oraculo diuino monita, vel alioqui veritatis doctrina & pura religione imbuta pio se cuipiam principi commiserit, ab eoque inter cætera pacta conuenta, religionis puræ vindicias tuitionemque stipulata sit, princeps ille dubio procul sponsione teneatur, neque possit vllam in eo populo violati cultus diuini aut idolo-

latriæ labem sine periurij nota tolerare, quemadmodum Israelitici populi exemplo, qui fœdere & sponsione interposita, & se, & omnes seniores ac magistratus hoc nexu obstrinxerat, planissime liquet. At verò si qua se ciuitas vel prouincia, vel populi Ordines, Principi aut magistratui regendos tuendosque tradiderint, ea conditione, vt sibi sua maneat integra qualiscunque religio; atque ille interposito Dei nomine ac iurisiurandi sacramento huic se cõditioni obstrinxerit: haud potest existimari quandiu non aliam à Deo manifestam vocationem acceperit, vel nouam sponsionem cum populo inierit, ius habere, vel vi, vel armis illum ad suam religionem traducendi, cum certum sit, eius potestatem ratis limitibus circumscriptam hucusque non porrigi: ac proinde nullam eum ad hanc rem legitimam habere vocationem. Et tamen in eo Principe, cui merum ac summum sit imperium

perium, possit fortassis exoriri aliqua dubitatio, præsertim variis, vt antè diximus, incidentibus rerum circumstantiis; quæ hæc vincula interdum vel laxare possunt, vel arctius fortasse constringere. Verùm ei qui à summo magistratu, vel Ordinibus disertè ac manifestè limitatam acceperit iurisdictionem; mero imperio, ac summa potestate penes illos manente; nemo non videt à pactis illi ac iuratis conditionibus haud esse temerè resiliendũ. Quod verò nonnulli existimant; Pacem ac fœdus cum Pontificiis initum si conseruetur, impias eorum stabilire superstitiones; tantum abest, vt ita esse sentiamus, vt contrà doceamur experientia, nullam firmiorem esse rationem illos ad æquabilitatem reuocandi, ac proinde puri cultus diuini atq; Euangelicæ doctrinæ propagandæ, quàm si vtrinque iurata pax sarta tecta conseruetur, quemadmodum è diuerso nihil est quod veram pietatem ac doctrinam æquè

perdat, euertat, ac denique exstinguat, atque ciuilia & inteſtina diſſidia, quæ ex proculcata fide, & reſciſſis pactis, nata, in cædem, ſtrages, atque immanes tandem erumpit lanienas. Quas certè magiſtratuum eſt obuia vtrinque acri ac ſeuera in omnes quicunque pacis ſanctionem publicam violarint animaduerſione, prohibere, & æquabilitatem lege ac ſponſione publica conſtitutam, vi atque immanitate omni propulſata, diligenter ac ſedulò conſeruare. Nam ſi qui ſunt qui ſtatuant, omnino cum iis qui in religione à nobis diſcrepant nullum plane fœdus, nullamque pacis publicæ ſanctionem ſine impietatis nota firmari poſſe; ij certe non modo ratione ac legis diuinæ præſcripto atque exemplis, ſed communi ſenſu, & omnium ætatum ac ſeculorum experientia facilè conuincentur: cum nemo ſit qui non videat, hoc poſito axiomate, pios omnes cruentis ac perpetuis bellis & dimicationibus, atque omnium

mnium omnino gentium ac populorum odijs, direptionibus, ac vastationibus obiectos fore; qui ne de finibus quidem (vt infinitas alias omittamus controuersias) cum vicinis legitimè ac pacificè sint vnquam transacturi; & verò omnes etiam passim populos ac reges mutua inter se laniena discerpendos commissum iri. Abraham certè inter impios ac prophanos, legisque diuinæ penitus ignaros reges pacificè vitam traduxit, & suæ suorumque saluti, & incolumitati pactis ac fœderibus initis diligenter cauit, & ne terram quidem illam, quæ sibi à Domino certa promissione iam erat cõsignata, putauit sibi armis ac vi, obtento religionis vel introducendæ vel propagandæ prætextu, esse attentandam. Cuius exemplum imitatos esse eius liberos Isahacum & Iacobum, nemo est qui nesciat. Ioseph autem cum Ægyptiis omnium prope idololatrarum antesignanis, non modo pacem coluit, sed vitæ curri-

culum omne traduxit. Moſes deinde etſi grauiſſima tyrannide preſſum ab ingratiſſimo Ægypti rege populum Dei cerneret, nihil vnquam vi vel armis tentandum ratus, Dei quidem vocationi paruit, ac certè à Rege hoc vnum poſtulauit, vt ſibi liceret populum in deſerta ad certum temporis interuallum traducere, vbi is Deo ſuo ſacrificaret. Religionem interim Ægyptiacam neque immutauit, neque plane attigit. Quum verò iam extincto Pharaone populum in Arabiam deduxiſſet, cum omnibus obuiis populis, Moabitis, inquam, Edumæis, atque Ammonitis pacem diligenter colendam fœduſque ſanciendum duxit, & neminem ne laceſſitus quidem vel digito attingi paſſus eſt, præter eos quos diſerto Dei verbo ad internecionem delere iampridem erat iuſſus. Quod verò idem Moſes ex Dei præſcripto omni fœdere cum Ægyptiis, Babyloniis, aliisque impiis ac prophanis gentibus

bus ineundo, toties, tamque seuerè populo interdixit, non eo spectat, vt continuis ac sempiternis eos bellis ac dimicationibus vicinorum obijceret, pacemque ac finium constituendorum transactiones aliasque eiusmodi, quæ ad Reip. tranquillitatem pertinebant sponsiones omnes incideret: sed tantum ne quam cum illis inirent necessitudinem, quæ ad cultum Dei violandum vlla ratione posset pertinere: vel ne bello lacessiti, de Dei ope atque auxilio toties, & tam certis ac variis documentis explorato desperantes, Ægyptiorum aut Babyloniorum copias auxiliares, à quibus demum & religio & respublica pessundaretur, aduocarent. Alioqui certum est, cum gentibus ac populis vicinis pacem diligenter coluisse, & finibus non modo Dei lege, sed mutua cum vicinis transactione sponsioneque præscriptis sese continuisse: ad exteros Principes & populos misisse legationes, qui pacem ac fœdera

inita firmarent ſtabilirentq; : quemadmodum Dauidis, Solomonis, atque omnium prope populi Iudaici regum exemplis manifeſtè doceri poteſt. Poſtea verò quàm eorum poſteri inanibus pſeudoprophetarum præſtigiis deliniti, fœdera & pacta iurata cœperunt reſcindere; grauis atque horrenda diuinæ iræ vltio confeſtim eos eſt conſecuta, quæ primùm quidem Iſraëliticarum tribuum triſtem ac funeſtam diſperſionem, paulo poſt Iudaici populi captiuitatem, ac duram ſub Babyloniis ſeruitutem, & denique vniuerſam propè totius gentis internecionem ſub Veſpaſiano peperit. Quibus certè exemplis docemur, nihil ferre Deum grauius, quàm ſacroſancti ſui nominis in fœderibus publicis adhibiti temerariam violationem. Quòd ſi vero cum prophânis ac iuratis Dei Chriſtianiq; nominis hoſtibus tranſigi poteſt, quæque ſemel tranſacta fuerunt, ea ſine flagitioſa periurij nota & diuinæ vltionis prouocatio-

uocatione infringi rescindique nequeunt: facile erit statuere, quid de iis sentiendum sit, quæ cum iis populis ineuntur, cum quibus non modo communis patriæ, agnationis, affinitatis, vicinitatis, atq; infinitorum vinculorum necessitudine coniuncti sumus: sed etiã apud quos Dei Ecclesiæ ac sacramentorum vestigia etiamnum supereſſe non possumus ire inficias: ita vt iam non debeant nobis haberi pro paganis aut infidelibus (vti habebantur ab Israele Babylonij, Ægyptij, atque aliæ prophanæ gentes:) sed eorum loco, qui à puritate doctrinæ ita receſſerunt, vt tamen haud sit dubitandum, quin inter eos sua septem millia, quæ Baali haud flexerint genua, Deus sibi reseruarit. Est igitur ea inter nos neceſſitudinis ratio, quæ fuit olim Iudæ tribui cum Ephraimitis, ac reliquo Israele: cum quo non modo fœdera illi inierunt, sed firmam sæpe societatem ac neceſſitudinem inculpatè retinuerunt. Quan-

quam

quam certè nobis eo maior etiam atque arctior intercedit cum Pontificiis copulatio, quod ab iis, neque rege, neque finibus, (vt olim ab Israële Iudæi) seiuncti, vna sæpe ciuitate, vno pomœrio, vnis parietibus, & verò etiam vno nonnunquam cubili claudimur. Quod sæpius in regno accidit Iuda, vbi qui Iohouæ sacrificarunt, nõ tantum ab illis, quantum ad Reipub. communem administrationem discesserunt, qui in excelsis litabant. Ad hæc verò hoc ab illis beneficij accepimus, quod illi nos exules in patriam reuocarunt, nosque suis armis aduersus exteram vim ac tyrannidem tuendos ea conditione susceperunt, vt ne nos vicissim quicquam vi vel armis vel illegitima tatione contra eorum religionem tentaremus. Quæ certè, nisi propulsata ab eorum capitibus ac fortunis omni vi, cæde, ac sicariorum audacia, nos illis diligenter &, bona fide præstiterimus; non videmus quomodo perfidiæ ac violati

nominis

nominis diuini crimen ſimus à nobis deriuaturi. Vt pleriſque omnibus qui rem diligentius examinant ſit notum, ei quidem qui legitime gladium gerit vindicandum eſſe ab hoſtium iniuriis veram religionem: ſed illam armis amplificandam aut prouehendam vix eſt vt aliquis exiſtimet. Quibus omnibus recte intellectis & ad veritatis trutinam expenſis, facile eſt ad reliqua eorum qui contra ſentiunt argumenta reſpondere. Quod enim aiunt, Magiſtratui haud eſſe integrum idololatricum cultum tolerare, propugnareque, libenter damus: neq; id quidem fieri omuino volumus, ſi vlla ad eum eliminandum legitima magiſtratui data ſit poteſtas. Sed hoc vnum contendimus, vt non modo non intentet vim in eos in quos poteſtatem nullam habet; ſed vt etiam iniuriam & violentam tum militum, tum ſicariorum manum ab iis propulſet, ad quorum incolumitatem ac ſalutem tuendam propugnandamque

damque omne ius atque imperium quod habet accepit: & ne legitimæ suæ vocationis ac pactorum conuentorum, iuratorumq; fines transiliens, patiatur vel militum vel ciuium iniuriæ quenquam patêre, sed omnibus peræque iuris æquabilitatem administret. Quod si autem propulsata vi atque iniuria, quæ illis tumultuose ac per seditionem nullo magistratus imperio, aut edicto, neque legitima vocatione erepta sunt templa sponte ciues deseruerint, haud certe arbitramur magistratus eos ad idololatrici cultus instaurationem debere incitare: sed si qui quæ sua sunt sibi vindicent, meminerit magistratus haud sibi esse hoc à Deo iniunctum munus, vt vi & armis quos tuendos susceperit, opprimat: sed Dei misericordiæ clementissimæ illos ad veram religionem per Euangelij prædicationem adducendos permittat. Nemo est enim qui non intelligat, haud posse censeri abrogatum esse idololatri-

cum

cum cultum, quem vel præsidiariorum militum vi & armis, vel plebis tumultuantis cæco impetu oppressum, restituta denuo iuris inter ciues æquabilitate magna ciuitatis pars quasi postliminio repetit; nisi forte pro legitimo iure vim ac tumultum militarem libeat subrogare. Quanquam ne hoc est quisquam qui non fateatur; per vim ac tumultum neque idololatriam abrogari, nec veram religionem posse constitui, cum certum sit, quos eiusmodi ratione coêgeris, eos vel omnem pietatem abiurare, vel certè in veræ religionis sectatores multo acerbius odium concipere; quod prima quacunque oblata occasione in optimum quenque atque innocentissimum cum atroci contumelia inflectunt. Ac proinde, quod hîc nobis periculum obiiciũt, fore, vt Pontificij fidem nobis datam violent, idq; ea ratione nobis esse anteuertendum existimant; quod nos, vt se istic res habent, sine perfidia fieri non

non credimus, nihil habeat momenti. Nam primum quidem cum altero ipsorum axiomate ex diametro pugnat. Etenim si volunt propter nullum bellorum ciuilium vel aliorum periculorum metum, idololatriam tolerari; propterea, quod non sint facienda mala vt eueniant bona: sciant, ne nos quidem intelligere, cur propter obiectum à se periculi metum perfidiæ sit crimen subeundum, & ciuibus nostris iniusta vis inferenda. Imo vero, quia non sunt facienda mala vt eueniant bona, ideo fit, vt religionem periurio ac fraude minime stabiliendam esse censeamus. Deinde facile cuiuis est perspicere, quod metuunt periculum, id eos sibi ipsos tam periculoso hoc suo axiomate accersere. Quod enim dubia Pontificiorum in fœderibus conseruandis hoc tempore facta sit fides; nonnullorum certe insolentiæ tribui potest, qui vel immoderato zelo, vel forte animi impotentia, vel denique cupiditate aut

rerum

rerum nouarum ſtudio commoti, omnem iis occaſionem cur nobis fidem ſeruandam ducerent videntur præripuiſſe. Quos enim contra pacta ſacramento ſolenni toties firmata ſuis ſedibus & aris ac focis eiecerunt; eos vix eſt vt non & vltionis cupidos, & ad fidem datam viciſſim reſcindendum promptos paratoſque reddiderint. Quod ſi itaque fidem nobis ſeruari, & axioma illud, Hæreticis nõ eſſe ſeruandam fidem apud Pontificios aboleri cupimus; omnino neceſſe eſt, vt & ipſi viciſſim fidem datam ſancte tueamur, & eorum axioma qui vel periurio religionem putant pie poſſe ſtabiliri, vel cum impiis aut idololatris pacem ac fœdus poſſe coli negant, reijciamus; & denique pacta iurata ac fœdera publica vita ipſa nobis eſſe antiquiora ſtatuamus. Inprimis autem magiſtratus iuris æquabilitatem inter ciues tueatur, & vim omnem atque iniuriam ab eorum capitibus ac fortunis propulſet; ani-

maduertatque sine vllo discrimine in eos omnes quicunque pacem publicam turbarint, aut fœdera violarint. Atque ita facile erit hisce periculis, quæ proponuntur, occurrere. Nam quod addunt, si nostræ vires sint inferiores, in Dei virtute nobis esse recumbendum: pie sane & prudenter diceretur, siquidem niti nos legitima vocatione certum esset: nam qui à Dei pendere videri volunt auxilio, vbi de vocatione vera & legitima persuasi non sunt, eos Deum tentare omnibus vere Theologis est notissimum, cum autem Christianis omnibus debeat esse exploratum, Deum haud esse tentandum, neque quicquam sine legitima eiusdem vocatione auspicandum, vt ne à quo mandatum non habemus ab eodem deserti stultitiæ nostræ ac temeritatis meritas pœnas demus, omni studio operaque cauendum est, ne extra metas vocationis nostræ excurramus. Exemplis Hellandorum, Zelandorum, ac

Magde-

Magdeburgenſium, Argentinenſiumque, quos aiunt omnem religionis tranſactionem excluſiſſe, poſſemus omnium Gallicarum, Germanicarum, ac Polonicarum Eccleſiarum exempla opponere, quarum certè apud pios omnes ea vt minimum debet eſſe authoritas, vt ne præcipiti ac temerario præiudicio damnentur: ſed non eſt neceſſe: quæ enim producunt exempla cauſam etiam noſtram iuuant. Hollandi enim & Zelandi pacificationem ac iuris æquabilitatem inter eos qui diuerſam profiterentur religionem indubitatè conſtituerunt: & vero etiam Comitem à Marchia D. de Lumey, quod exiſtimaretur eiuſdem iuris ac pacti violati author fuiſſe, capitis iudicio arceſſiuerunt; eiuſque œconomum, quod ſe crudelitatis erga Pontificios perpetratæ adminiſtrum geſſiſſet, laqueo vitam claudere coëgerunt. Sed quum viderent, propterea quod à reliquis omnibus prouinciis atroci bello im-

petebantur; omnes prope Ecclesiasticos, & plerosq; etiam Pontificios ad hostes quotidie parare defectionem, omniq; conatu adniti, vt arces ac ciuitates munitissimæ illis proderentur: communi Ordinum sanctione decretũ est, vt paucorum eorum, qui religionem Pontificiam profitentes ibi mansissent, in tanto reip. periculo ratio minime haberetur: sed ad commune periculum propulsandum vnius tantum religionis vsu publice permisso, nefarijs cõspirationibus, quoad fieri posset, ansæ omnes præciderentur. Quod quidem exemplum si in his regionibus communi consensu Ordines sequi velent; nemo esset nostrum qui improbaret; modò vt id legitima ratione & communi Reipublicæ sponsione fieret, & non paucorum militum, vel tumultuantium ciuium impetu & armata manu sine vlla legitima vocatione per vim obtruderetur. De Argentinensibus quidem secus se res habet quam illi affir-

mant,

mant, vt ex historia satis est notum. At vero de Magdeburgensibus prope idem quod de Hollandis est iudicium. Quod enim est ab eis factum, id in ciuitate libera, quæ magistratui eam potestatem communi ciuium consensu permisisset, factum est. Neque est quod vlla fœdera cum ciuibus inita fuisse ab illis violata quisquam possit suspicari. Quare nihil ad rem præsentem ea exempla facere posse certum est: Quin potius libelli illius supplicis debebant meminisse, qui communi Synodi Dordracenæ sanctione, atque omnium, qui tum religionem profitebantur approbatione Archiduci Domino Matthiæ ac vniuerso Ordinum Senatui XXII Iunij superiore anno fuit oblatus. Quod si enim, quid ibi postulent Ecclesiæ, quidque viciſſim polliceantur diligenter fuerit expensum; facile erit intelligere, quid in hac sit sequendum controuersia. Neque enim quenquam existimamus tantum sibi esse

arrogaturum, vt Synodi atque Ecclesiarum illud iudicium ac factum (quod Dei certe benignitate ac munere ad propagandam veram religionem felicissimè cessit) temerario decreto damnare velit. Hæc est nostra, Illustris ac Generose Domine Comes, de proposita quæstione sententia; quam etsi verbo Dei ac veritate subnixam esse non dubitamus; haud velimus tamen ad generalem aliquam thesin, nisi probe expensis atque examinatis omnibus circumstantiis, deflecti. Ad hanc vero quæ nobis proposita fuit hypothesin non inepte accomodari posse speramus. In quo si Generosæ Dignitati Tuæ satisfactum erit, est quod gaudeamus. Sin minus, haud dubitamus tamen illam pro sua benignitate atque animi æquitate voluntatem nostram sibi addictissimam boni esse consulturam. Vale.

Hæc Epistola conscripta est à præstantiss. Theologis reformatæ Rel. in Belgio.

LXXI.

LXXI.

Præstantissimo viro, Dn. Bon. Vulcanio Brugensi Flandro, domino & amico suo, plurimum obseruando, Wormatiæ.

S. P.

BInas tuas nonnullo interiecto interuallo accepi literas, vtræque Psalmorum mentionem faciunt. In quibus scio multa esse quæ limam desiderẽt, & annotaui emendauique nonnulla: sed, vt verum fatear, sæpe vereor vt magis peccem, si manum de tabula non sustulero. Nam quod ad frequentes illas synalœphas attinet, quo penitius eas expendo, eò mihi videntur propius ad vulgatissimam loquendi rationem accedere, & etiam à poëtico more non abscedere. Reliquos certe video multas vsurpare, quas itidem aures meæ indicãt esse paulò duriores; & tamen sustuli nõ paucas. Versio reliqua dudum parata est, sed puto me Suburgi reliquisse, Inquiram tamen

De Psalterio, deque Republica.

tamen diligentius. Tu si quid voles vel in Synodo, vel aliâs ad eos divulgandos recipiendosque præstare, per me quidem poteris. Ego certe neminem vnquam hoc nomine vnquam interpellabo. Etsi tuum erga me studium mihi gratum esse non possum dissimulare, & maxime quod plurimi faciam tuum iudicium: & puto nonnullorum maleuolentiam obstare, quominus in Ecclesiis admittantur, quanquam ego id certe fero leuiter, præsertim quum videam eos probari plerisq; viris doctis. Biduum est, quod Duci Andegauensi decreto Senatus populique scito concessa sit Michaelis ædes ad solennia Pontificio more celebranda: id varij variè interpretantur. Ego certe exrstimo iure pacti initi haud potuisse denegari, neque statuo nos propterea esse in noxa, cum nos vocationem legitimam ad eam rem haud habuisse mihi persuaserim. Noui etiam ingeniũ optimum Principis, qui eam rem non tam sua

quam

quam eorum apud quos cupit suam dignitatem amplificari causa postularit, impetraritq; tam æquis conditionibus, vt eam concessionem ego potius ex vsu Ecclesiæ putarim fore. Itaque si quid isthic aliter iudicari senseris, da quæso operam ne indicta causâ temere damnemur. Vale Antwerpiæ x Martij. M D LXXX.

Tui amantissimus

PH. MARNIXIVS.

LXXII.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano Mylio, Prouinciæ Hollandiæ à consilijs, Dordrechti.

S. P.

IN negotio isto nihil certi affirmare audeo: sed tamen nescio, quo instinctu animo meo aduersetur. Semper mihi persuasi, in qua opinione adhuc sum, nullum inter Reges huius seculi esse, cuius potentia amplifi- *De Repub.*

plificabitur, sed omnes imminui oportere: non vno tamen genere & modo, sed prout Deo visum fuerit. Euentus in quibusdam iam manifestus est. Deinde, multa ostendunt euidentissime, Deum mirabiliter nobiscum agere, incipere nostra stabilire, aduersaria imminuere: quo fauore metuo ne excidamus, si rursus ad externa capita & auxilia confugiamus, quibus tam sæpe delusi & frustrati sumus. Tertio, traditi sumus in manus Regis duri, & alij in aliorum manus: sed hæc pœna eousque iam processit, vt finis eius apparere incipiat: sin vero personarum fiat mutatio, valde anxius sum, ne pœna ista prolongetur. Quarto, dubito, an Deus eum ordinatum velit, qui aduersarij filij sui (in Cyro aliud fuit etsi infidelis) partes, pro se saltem & suis sustinet, præsertim hoc tempore, quo bellum ei à filio Dei indictum est: Sed longius progredior quam volebam. Mallem coràm de hac re tecum quam per literas agere.

re. Hæc & plura alia sæpe me sollicitum reddunt, quamquam è contrario quædã sint, quæ me iterum, si res eo perueniant, consolentur. Nihil tamen adeo solidè, quam quod fortassis Dominus Deus hoc medio Hispaniam, Hannoniã & Artesiam, punire velit. Quod ad vlteriorẽ successum attinet, subsisto & Dominum pro fœlicitate eius inuocabo. Is potest etiam aberrationes nostras ad bonum finem dirigere. Quapropter si vllo modo in hoc negotio progredi vultis, mallem vos in protectionis titulo & iure permanere, quam Domini titulum & ius vsurpare. Per hunc titulum non solum multis calumniis & obtrectationibus ansa præscidetur, sed & nos in iure nostro conseruabimur, Deiq; voluntatem successu rerum certius colligemus. Venio ad curam quæ meipsum concernit, in qua tuum consilium postulo. His diebus deputati patriæ meæ litteris mihi suis significarunt, me à Statibus nostris proximis Comitiis

mitiis cunctis suffragiis primo loco nominatum esse ad Consilium xxx virorum, quod de nouo in Belgio instituitur, & super eo mentem & voluntatem meã amicè requisiuerunt: sed considerato instituto meo, qui libenter quod reliquũ est vitæ meæ in quiete & studiis pietatis trãsigerem, deinde natura mea, quæ in negotiis istis publicis, præsertim quæ ad bellum pertinent, nimis timida & sollicita est, Tertio, quod nihil adhuc de statu istius Consilij, in quẽ modum, sub quibus conditionib. congregabitur, & quod firmamẽtum in eo præstandum erit: ob has causas nondum me resoluere potui, nec absolute illis ad litteras eorũ responsum dedi, sed petij longius tempus ad deliberandum, hoc respectu, vt interea & amicos meos super hac re consulere possem, & præcipuè Deum instanter inuocarem, vt aliquid mihi aperire, & in mentem dare dignetur, ex quo de ipsius vocatione ac voluntate certus reddar; quandoquidẽ nihil per ipsius

gratiam petam, quàm in quo gloriam eius promouere, & proximo meo vtilis esse possim. Cùm autẽ ex amicis meis, qui hic mihi fidelius cõsilium dare queãt, nullos quam te & D. Meetkerkium habeam, quoniam ambo & statum prædicti Concilij, & meum quoque statum qualis in hoc loco sit, deinde mentẽ, studiaq; mea, & libertatem, qua in votis meis vti soleo, quæ non vbiq; grata est, cognita & perspecta habeatis: propterea ad vtrumq; seorsum scribere volui, vtrumque etiã his literis fraterne rogare, vt quam citissime fieri poterit, me de Concilio isto instruas, quid mihi faciendũ ducas, qua in re nihil mihi facere poteris gratius. Magni enim iudicium tuum facio. In simili officio & quouis alio semper me inuenies vicissim paratissimum. Quod cum Gubernatore nostro accidit, id à multo tempore timuisse me non ignoras: sed tamen respectu patriæ meæ non adeo super facto eius dolere possum, nam perpetuo in timore

versati

versati fuissemus, nec vnquam Deo suum honorem vindicare & restituere, nec seruitute nos liberare potuissemus, quorum nunc egregia principia iacta sunt, vt de fine non nisi optima quæque, præsertim circa ea quæ ad honorem Dei & salutem animarum nostrarum pertinent, sperare queam. At postquam nunc exercitus qui hîc collectus fuit, pro maiori parte dissipatus sit, multis etiam ex iis cæsis, arbitror nos breui Groningæ mutationem aliquam visuros. Ad quam rem, vt & ipse aliquid iuuarem, misi hodie proprium nuntium ad Senatum cum litteris, quibus quæ hic acciderunt, illis significo, & grauiter eos aberrationis suæ admoneo, & ad saniora consilia inducere conor. Quid futurum sit, Deo committere nos oportebit. Ego tamen in bona spe sum, & quieto animo, nihil nos mali à ciuitate ista perpessuros. Bene vale, vir prudentissime & amantissime. Vxori tuæ optimæ matronæ

omnem

omnem quæso à me salutem, & filiolo ab ea nomine meo osculum. Colon. IX April. MDLXXX.

Tuus ex animo

AGGAEVS ALBADA.

LXXIII.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano vander Mylen, Rerum Status Ill. Ordinum Hollandiæ Consiliario. Dordrechtum.

S. D.

LIteras tuas auidissime expecto, præcipue vt cognoscam, quid spei habeas de Duce Alenconio. Scripsi tibi aliquoties de metu & spe mea, sed nunc liberius tibi significare debeo, me ob moram eius, qua putantur non exiguæ occasiones rei bene gerendæ elabi, in priores meas difficultates, quas ab initio habui, recidere: Metus iterum crescere, spes vero mea imminui occipit, *Publica.*

cipit. Audi etiam vanam, vt ſpero, cuiuſdam diuinationem: Res ſeriò ab Alenconio cum conſilio Pontificis, & confœderatorum eius agi prætenditur, vt eo facilius Arteſia & Hannonia in reditum Hiſpanorum conſentiant. Hoc autem iam factum eſt. Moram porro inijcit, vt ſe illi magis præparare poſſint. Eodem circiter tempore poſtea & Hiſpanus & Gallus in Belgium venient. Aderit quoque Rex Nauarræ cum ſuis, ſed imparibus viribus. Hic tum primum laborabitur, vt illi ſubdolè opprimantur: deinde quærentur occaſiones, vt Gallus in ciuitates aliquot intromittatur: quod variis modis practicari poſſe putat, & vno conuenientiſſimo, ſi Gallicus exercitus ſe nonnunquam vinci & profligari patiatur. Futuras inter hæc etiam Illuſtriſs. Principi inſidias, quibus vel viuus vel mortuus in poteſtatem ipſorum veniat. Quid multis? Conſilia eò tendere exiſtimat, vt & Rex Galliæ à ſuis hæreticis, ac hoſti-

hostibus liberetur, & apud nos Rex Hispaniæ tandem superior euadat. Præmia quæ Alenconio ex hac simulatione decreta sint, cuique cogitanda relinquit. Ac licet non talis succeſſus, quia Dei consilio aduersatur, omnino metuendus sit: tamen hoc ipsum inter Pontificios agi sibi imaginatur, vel eo tandem negotium hoc adductum iri conijcit: addens, sicut iam per Gallum Illustriss. Princeps deceptus est, ita hac vltima vice Excell. eius extrema vna cum Belgio & amicis ipsius in Gallia subituram, propterea quod adhuc eam familiam extollere, & Religionis concordiam, vt vocant, cum illis paciſci velint, de quibus Deum aliter disposuisse arbitratur. Habes viri non mali diuinationem, vel potius nimiam sollicitudinem, à qua siue metu huius facti, siue similis, nec ego prorsus, nec multi alij haud imprudentes viri mecum, tum illustrissimi Principis, tum Patriæ amantissimi, liberi sumus.

Sed hæc ad te solum, ea spe, vt me sollicitudine ista, quæ nonnunquam cessat, nonnunquam recurrit, liberes. Quod exspectaueram de Steenwico, Dei gratia tandem euenit: adeo autem me huius liberatio recreauit, tantoque perfudit gaudio, vt aliquot noctibus præ admiratione misericordiæ Dei, vix dormire potuerim, semper victoria Steenwicensi in animum meum recurrente, meque ad agendas Domino gratias incitante. Indies iam expectabo, reliquos etiam ex aliis partibus patriæ meæ eiectos esse. Hac hyeme confusio & luctus nobis hic fuit, nunc ista in aduersarios nostros retorta sunt: mirareris quam dispar facies & incessus vtriusque partis hic appareat. Vos ibi armis, nos hic animis & votis, lætis tristibusque gestibus bellum gerimus. Laus & gratia sit Domino nostro Iesu Christo in æternum, Amen. In eo etiam, vir optime & amantissime, viue & vale,

cum

eum omnibus tuis. Coloniæ, XXIII Martij. Anno MDLXXXI.

Tuus ex animo

AGG. ALBADA.

LXXIV.

Nobili & clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Sereniss. Ducis Brabantiæ, & Ordinum Belgij Consiliario &c. Antvverpiæ.

S. P.

HAbes, vir Clarissime, secundo literas, quas Comes Iohannes ad me misit. Sollicitus est de euentu casus illius, qui Illustriss. Principi fratri suo accidit. Nuncios audit sicut & ego, sed varios & incertos: quo magis sollicitus est. Aliquoties à me aliquid certi scire postulat, verũ cum & ipse cogar mercatorum literis credere, præter vulgi rumores nihil illi scribere queo. Rogaueram te ab initio, vt tuæ me spei de salute *Publica.*

eius certiorem redderes, hoc quia non fit, suspicor nondum Excell. eius extra periculum constitutam esse. Itaque nec Comitem, nec meipsum contentum reddere possum: vellem eam Dei esse voluntatem, ne ex hoc casu moreretur, propter hostes ipsius & nostros: vbi talis spes affulserit, rogo iterum, ne id me celes, & quicquid boni amplius acciderit communicare non graueris. Quod nuper suspicabar in Aquisgranensi negotio, id accidit. Quamdiu legati Protestantium adfuerunt, tamdiu Commissarij quieuerunt: postquam vero domum reuersi sunt, libenter commissionem suam exequerentur, sed ex cõsilio Legatorum Aquisgranenses comparere coram illis, his iam absentibus recusant, & causam ad Comitia reijci petunt. Nouus hîc miles colligitur, quẽ Præfecto Werdugho mittant. Metuo ne iterum aliquid contra patriam meam moliantur. Quomodo Schenk captus sit, puto iampridem te audiuisse.

Admo-

Admonitione multorum non modo extra vrbem, sed ne in mœnibus quidem ambulare audeo, quod mihi valde molestum est. Necessitas tandem coget me vel in Germaniam rursus ascendere, vel in partes nostras redire. Bene vale, amantissime Domine, & amice. Literas tuas auidè in singulas horas expectabo. Vxori, optimæ matronę, omnem à me salutem & reuerentiam. Colon. ipso die Paschat. M D LXXXII.

Dign. T. addictiss.

AGGÆVS ALBADA.

LXXV.

Nobili ac clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen Ser. Ducis Brabantiæ & Ordinum Belgij Consiliario, Antwerpiæ.

SPero binas meas literas quas XXVIII & XXIX mensis proximè lapsi scripsi, fideliter modo ad manus tuas perueniisse. Quibus non *Publicæ.*

habeo quod quicquam in præsenti addam, nec mea opus est admonitione vt diligenter ista à vobis considerentur. Hoc memini, me tum omisisse querelas istas Hansiaticarum ciuitatum, quæ circa finẽ commemorantur ad Ser. Reginam Angliæ similiter pertinere: Istius fortè occasione Maiestas eius commoueri posset, vt Legatos suos Legatis Ser. Ducis nostri coniungeret. Non possumus Deo Opt. Max. satis magnas gratias agere quod in his tantæ mutationis initiis Illustriss. Principem Auriacum nobis superstitem conseruauerit. Ego licet corpore absens sim, spiritu tamen vnà cum omnibus piis qui in Ecclesia vestra sunt, Psalmos aliquot vobiscum Domino Iesu meo canã & meditabor, vt hæc Excellentiæ ipsius ex tanto periculo & morbo euasio cedat veris membris suis ad maiorem gratiam & tranquillitatem, hostibus autem impœnitentibus ad confusionem & perditionem. Quod ad munus

nus legationis attinet, cur eam subite nequeam, in vltimis literis meis paulo clarius quam ante expoſui, præter cauſam iſtam quam ſpero non leuiter te æſtimaturum: nam ſcis, me hîc quaſi domicilium meum conſtituiſſe, magnaſque rationes habeo, cur in hoc loco & quiete, vbi abunde mihi omnia Deus ſuppeditat, manere cupiam, ac propterea non expedire, vt ei negotio me immiſceam, quam plurimis aliis ad id idoneis exiſtentibus, ex quo in offenſionem eorum quibus hîc ſeruitio obſtrictus ſum, incurſurus ſum: præter, inquam, cauſam iſtam eſt & alia, valetudinis ſcilicet meæ infirmitas, quæ nunc grauior eſt quã vnquam ante fuit, faciuntque dolores iſti vt ad itinera facienda prorſus impotens fiam. Accedit tertia, nominis mei, quod in Germania integrum ac illæſum ſemper conſeruare ſtudui, non parua, vt metuo, detractio & imminutio. Nam cum plerique ſciant me hîc non in patria mu-

nere aliquo fungi, habebunt me in re tanti momenti tanquam mercenarium aliquem, qui operam meam non patriæ meæ præstem, sed locare eam ad quamuis occasionem studeam. Quin etiam quarta euenire poterit, vt nimirum institutioni aliquid inseratur, quod conscientiæ meæ aduersum sit. Ego iam ad senectutem vergere incipio, tantoque magis mihi cauendum est, ne quid faciam, quod animum meum coram Deo grauare queat, id quod in hoc arduo, lubrico, & incerto, quod ad eiusdem Dei voluntatem attinet, negocio, facile accidere potest. Quid multis? si hæc nondum moueant te, quæ tamen apud me maxima sunt, tum rogo tranquillitatis saltem meæ, cui me rursus restitui, rationem habeas. Cupio quod reliquum est temporis, in rebus quæ ad regnum Dei pertinent, transigere, memor eius dicti: vos non estis de hoc mundo. Quare quod proxime petij idem adhuc synceriſſimo & amantiſſi-

amantissimo animo postulo, vt si forte mei mentio incidat, excusare me non graueris. Sunt & alia incõmoda in me, timiditas in dicendo; exigua, vbi opus est extẽporali oratione, facultas; Germanicæ linguæ non expedita cognitio & pronunciatio; & cætera quæ referre omitto, quia satis tibi nota sunt. Quod mihi scribis de Domino Danæo, libenter intellexi. Literæ meæ confectæ sunt, sed nondum, quia prolixiores sunt, descriptæ. Collatio nostra forte pijs conferre poterit. Bene vale, clariss. Domine, & amice synceriss-ime. Honestissimæ & pijs. matronæ vxori tuæ omnem à me salutem & reuerentiam. Liberis ab illa meo nomine osculum. Coloniæ, 11 Maij, MDLXXXII.

Dign. T.

obseruantiss.

AG. ALBADA.

LXXVI.

Nobilissimo clarissimoq; viro D. Adriano vander Mylen, Ill. Ordinum Belgij Consiliario. Antwerpiæ.

S. P.

Publica. NImis mihi, vir clarissime, erga veterem amicum durus videris, qui tanto interuallo ad binas ternasue meas literas nihil respondeas, aut sane nō omnes tibi redditas esse oportet: præsertim quas proxime scripsi, ex quibus mecum desiderium eorum, quæ circa nouum Principem sunt cognoscendi animaduertisti, cui ob sollicitudinem meam quam de salute communis Patriæ nostræ habeo, satisfacere æquum erat. Vt magnæ sint in initio huius mutationis occupationes vestræ, arbitror tamen tantum temporis superesse vnicuique, vt si velit, pauca verba exarare ad amicum queat. Sed desino conqueri, ne, si forte alia silentij, vel moræ tuæ causa sit, in-

iustè

iustè tecum expostulasse videar. Patieris me solum hoc rursus à te obnixissime postulare, vbi opportunitas scribendi tibi data fuerit, vt tum me de omnibus, quæ & ad Principis noui naturam ac indolem & ad emendationem præsentis regiminis pertinent, instruere non graueris. Maximopere etiam scire aueo, quid de mea patria actum sit, an vestræ Prouinciæ accessura sit, an vero vna cum Brabantia & Flandria in potestatem Ducis Alenconij veniet? Si ita est, quibus tum conditionibus nostræ inter se Prouinciæ mutuo obstrictæ erunt, ne hæc separatio in posterum alterutri Prouinciæ aliquid incommodi pariat? Quid Geltria? quid Traiectum? Transisulania, vt audio, ad Comitia vocata est, an ex veteri more, an autem nouo quodam consilio, nescio. Hoc scio, magis eam ad Imperium quam ad Gallum inclinare: sed hæc diuisio si contigerit, grauissima incommoda & damnosa ambabus Prouincijs nostris

cum omnibus tuis. Coloniæ, XXIII Martij. Anno MDLXXXI.

Tuus ex animo

AGG. ALBADA.

LXXIV.

Nobili & clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Sereniss. Ducis Brabantiæ, & Ordinum Belgij Consiliario &c. Antvverpiæ.

S. P.

HAbes, vir Clarissime, secundo literas, quas Comes Iohannes ad me misit. Sollicitus est de euentu casus illius, qui Illustriss. Principi fratri suo accidit. Nuncios audit sicut & ego, sed varios & incertos: quo magis sollicitus est. Aliquoties à me aliquid certi scire postulat, verũ cum & ipse cogar mercatorum literis credere, præter vulgi rumores nihil illi scribere queo. Rogaueram te ab initio, vt tuæ me spei de salute *Publica.*

Admonitione multorum non modo extra vrbem, sed ne in mœnibus quidem ambulare audeo, quod mihi valde molestum est. Necessitas tandem coget me vel in Germaniam rursus ascendere, vel in partes nostras redire. Bene vale, amantissime Domine, & amice. Literas tuas auidè in singulas horas expectabo. Vxori, optimæ matronę, omnem à me salutem & reuerentiam. Colon. ipso die Paschat. M D LXXXII.

Dign. T. addictiss.

AGGÆVS ALBADA.

LXXV.

Nobili ac clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen Ser. Ducis Brabantiæ & Ordinum Belgij Consiliario, Antwerpiæ.

SPero binas meas literas quas XXVIII & XXIX mensis proximè lapsi scripsi, fideliter modo ad manus tuas peruenisse. Quibus non *Publica.*

nus legationis attinet, cur eam subite nequeam, in vltimis literis meis paulo clarius quam ante expoſui, præter cauſam iſtam quam ſpero non leuiter te æſtimaturum: nam ſcis, me hîc quaſi domicilium meum conſtituiſſe, magnaſque rationes habeo, cur in hoc loco & quiete, vbi abunde mihi omnia Deus ſuppeditat, manere cupiam, ac propterea non expedire, vt ei negotio me immiſceam, quam plurimis aliis ad id idoneis exiſtentibus, ex quo in offenſionem eorum quibus hîc ſeruitio obſtrictus ſum, incurſurus ſum: præter, inquam, cauſam iſtam eſt & alia, valetudinis ſcilicet meæ infirmitas, quæ nunc grauior eſt quã vnquam ante fuit, faciuntque dolores iſti vt ad itinera facienda prorſus impotens fiam. Accedit tertia, nominis mei, quod in Germania integrum ac illæſum ſemper conſeruare ſtudui, non parua, vt metuo, detractio & imminutio. Nam cum plerique ſciant me hîc non in patria mu-

nere aliquo fungi, habebunt me in re tanti momenti tanquam mercenarium aliquem, qui operam meam non patriæ meæ præstem, sed locare eam ad quamuis occasionem studeam. Quin etiam quarta euenire poterit, vt nimirum instructioni aliquid inseratur, quod conscientiæ meæ aduersum sit. Ego iam ad senectutem vergere incipio, tantoque magis mihi cauendum est, ne quid faciam, quod animum meum coram Deo grauare queat, id quod in hoc arduo, lubrico, & incerto, quod ad eiusdem Dei voluntatem attinet, negocio, facile accidere potest. Quid multis? si hæc nondum moueant te, quæ tamen apud me maxima sunt, tum rogo tranquillitatis saltem meæ, cui me rursus restitui, rationem habeas. Cupio quod reliquum est temporis, in rebus quæ ad regnum Dei pertinent, transigere, memor eius dicti: vos non estis de hoc mundo. Quare quod proxime petij idem adhuc synceriſſimo & amantiſſi-

amantissimo animo postulo, vt si forte mei mentio incidat, excusare me non graueris. Sunt & alia incõmoda in me, timiditas in dicendo; exigua, vbi opus est extẽporali oratione, facultas; Germanicæ linguæ non expedita cognitio & pronunciatio; & cætera quæ referre omitto, quia satis tibi nota sunt. Quod mihi scribis de Domino Danæo, libenter intellexi. Literæ meæ confectæ sunt, sed nondum, quia prolixiores sunt, descriptæ. Collatio nostra forte pijs conferre poterit. Bene vale, clariss. Domine, & amice syncerissime. Honestissimæ & pijs. matronæ vxori tuæ omnem à me salutem & reuerentiam. Liberis ab illa meo nomine osculum. Coloniæ, 11 Maij, MDLXXXII.

Dign. T.

obseruantiss.

AG. ALBADA.

LXXVI.

Nobilissimo clarissimoq; viro D. Adriano vander Mylen, Ill. Ordinum Belgij Consiliario. Antwerpiæ.

S. P.

Publica. NImis mihi, vir clarissime, erga veterem amicum durus videris, qui tanto interuallo ad binas ternasue meas literas nihil respondeas, aut sane nō omnes tibi redditas esse oportet: præsertim quas proxime scripsi, ex quibus mecum desiderium eorum, quæ circa nouum Principem sunt cognoscendi animaduertisti, cui ob sollicitudinem meam quam de salute communis Patriæ nostræ habeo, satisfacere æquum erat. Vt magnæ sint in initio huius mutationis occupationes vestræ, arbitror tamen tantum temporis superesse vnicuique, vt si velit, pauca verba exarare ad amicum queat. Sed desino conqueri, ne, si forte alia silentij, vel moræ tuæ causa sit, iniustè

iustè tecum expostulasse videar. Patieris me solum hoc rursus à te obnixissime postulare, vbi opportunitas scribendi tibi data fuerit, vt tum me de omnibus, quæ & ad Principis noui naturam ac indolem & ad emendationem præsentis regiminis pertinent, instruere non graueris. Maximopere etiam scire aueo, quid de mea patria actum sit, an vestræ Prouinciæ accessura sit, an vero vna cum Brabantia & Flandria in potestatem Ducis Alenconij veniet? Si ita est, quibus tum conditionibus nostræ inter se Prouinciæ mutuo obstrictæ erunt, ne hæc separatio in posterum alterutri Prouinciæ aliquid incommodi pariat? Quid Geltria? quid Traiectum? Transisulania, vt audio, ad Comitia vocata est, an ex veteri more, an autem nouo quodam consilio, nescio. Hoc scio, magis eam ad Imperium quam ad Gallum inclinare: sed hæc diuisio si contigerit, grauissima incommoda & damnosa ambabus Prouincijs nostris

nostris atque aliis etiam vicinis adferet. Admonui super hac re quosdam ibi ex præcipuis, sed præstaret per consilium Ordinum prouideri, ne ne quid separatim Prouincia illa cum imperio agere incipiat. Territant nos quidam hîc propter aquarum inundationem quæ apud vos accidit, & vim ventorum incredibilem, qua dicitur etiam turricula quædam in tectum cubiculi, in quo Dux agit, collapsa esse, præter damna alia quæ vis illa & publice & priuatim in ciuitate illa, tum etiam in mari attulit; Omen nescio quod inde colligam. De religione quoque diuersus hîc sermo est. Scribitur mihi ex Germania, Vlmæ conuentum Principum & ciuitatum protestantium habitum esse, in quo de exilio Aquisgranensibus ferendo actum est: hoc videtur intellexisse ac metuisse Iuliacensis, vel consilium eius, atque ideo his diebus mandauit Præfectis suis, vt itinera iterum ciuitati aperiant, quæque velint inferre

ferre & euehere ciuibus facultatem permittant. Hactenus nec per mandatum Cameræ nec cuiusquam Principis literis & legatione induci ad id potuit. Existimant quidam, Cels. suam per status suos, quorum cõuentum Duysseldorpij ante paucos dies habuit, coactum esse. Nihilominus aduentant Legati Commissariorum Cæsaris, qui de nouo super causa cognituri sunt. Commissarij autem illi sunt tres Electores Ecclesiastici, Comes de Wineberg, & Nobilis quidam ex Nassaw. Quid ab his illis qui religioni addicti sunt expectãdum sit, Belgij malo, ambo hîc cognouimus. Quare suasum ciuitati est, ne quid coram illis agant, nisi præsentibus & assistentibus Protestantium, qui causam hanc communẽ sibi cum ipsis fecerunt, legatis. Quis euentus futurus sit, auidè expectamus. Quomodocunq; enim res cadat, non potest non magnũ aliquid aduersariis veritatis discedere. Deniq; an Parmensis idem facturus

sit

sit quod Iuliacensis, vt equites & milites suos inde reuocet, adhuc ignoratur. Porro hoc etiam ex Germania mihi scriptum est: visam de nouo esse ad occidentem illustrem stellam aliquandiu, quam quidam pro Cometa habent, alij non absimilem ei iudicant quæ in Cassiopeia iam ante apparuit: nulli tamen hîc loquutus sum qui eam obseruauerit. Est hîc Gallus quidam nomine Combiis, homo fidelis & diligens in explorandis, intercipiendis, & perscribendis nouis hostium, sed conqueritur non dignam se pro laboribus suis accipere remunerationem, & inopia pecuniæ cogi se multas egregias occasiones, quæ aliquoties offeruntur ad hostium secreta cognoscenda, prætermittere. Rogauit me vt hac de re secundo non solum ad te, sed simul etiam ad Dominum de Aldegonda scriberem, quò vtriusq; interceſſione, pro labore & fide quam Belgio præstitit, præmium tandem aliquod ab Ordinibus obtineat.

neat. Simulaui me ad vtrumq; scribere velle, sed satis mihi est si à te solo impetrem, ne hoc officij genus quod notis denegare non audeo in malam partem à me accipias. Optarem tamen iustæ petitioni ipsius locum dari. Plura non occurrunt. Bene vale honorande & amantissime Domine: vxori, si adest tibi, omnem à me salutem & reuerentiam. Coloniæ XVII Martij, MDLXXX.

Dignit. T.

addictissimus

AGG. ALBADA.

LXXVII.

Virtute & eruditione præstantiß. viro, Dn. Bon. Vulcanio Brugensi, amico suo obseruando.

S. P.

LIteræ tuæ datæ XXIV Martij fuere mihi valde gratæ, quod tuam in me voluntatem proderent, ecquis *De Principe vulnerato.*

amantissimo animo postulo, vt si forte mei mentio incidat, excusare me non graueris. Sunt & alia incõmoda in me, timiditas in dicendo; exigua, vbi opus est extẽporali oratione, facultas; Germanicæ linguæ non expedita cognitio & pronunciatio; & cætera quæ referre omitto, quia satis tibi nota sunt. Quod mihi scribis de Domino Danæo, libenter intellexi. Literæ meæ confectæ sunt, sed nondum, quia prolixiores sunt, descriptæ. Collatio nostra forte pijs conferre poterit. Bene vale, clariss. Domine, & amice synceriss-ime. Honestissimæ & pijs. matronæ vxori tuæ omnem à me salutem & reuerentiam. Liberis ab illa meo nomine osculum. Coloniæ, 11 Maij, MDLXXXII.

Dign. T.

obseruantiss.

AG. ALBADA.

iustè tecum expostulasse videar. Patieris me solum hoc rursus à te obnixissime postulare, vbi opportunitas scribendi tibi data fuerit, vt tum me de omnibus, quæ & ad Principis noui naturam ac indolem & ad emendationem præsentis regiminis pertinent, instruere non graueris. Maximopere etiam scire aueo, quid de mea patria actum sit, an vestræ Prouinciæ accessura sit, an vero vna cum Brabantia & Flandria in potestatem Ducis Alenconij veniet? Si ita est, quibus tum conditionibus nostræ inter se Prouinciæ mutuo obstrictæ erunt, ne hæc separatio in posterum alterutri Prouinciæ aliquid incommodi pariat? Quid Geltria? quid Traiectum? Transisulania, vt audio, ad Comitia vocata est, an ex veteri more, an autem nouo quodam consilio, nescio. Hoc scio, magis eam ad Imperium quam ad Gallum inclinare: sed hæc diuisio si contigerit, grauissima incommoda & damnosa ambabus Prouincijs

nostris

ferre & euehere ciuibus facultatem permittant. Hactenus nec per mandatum Cameræ nec cuiusquam Principis literis & legatione induci ad id potuit. Existimant quidam, Cels. suam per status suos, quorum cõuentum Duysseldorpij ante paucos dies habuit, coactum esse. Nihilominus aduentant Legati Commissariorum Cæsaris, qui de nouo super causa cognituri sunt. Commissarij autem illi sunt tres Electores Ecclesiastici, Comes de Wineberg, & Nobilis quidam ex Nassaw. Quid ab his illis qui religioni addicti sunt expectãdum sit, Belgij malo, ambo hîc cognouimus. Quare suasum ciuitati est, ne quid coram illis agant, nisi præsentibus & assistentibus Protestantium, qui causam hanc communẽ sibi cum ipsis fecerunt, legatis. Quis euentus futurus sit, auidè expectamus. Quomodocunq; enim res cadat, non potest non magnũ aliquid aduersariis veritatis discedere. Deniq; an Parmensis idem facturus

sit

neat. Simulaui me ad vtrumq; scribere velle, sed satis mihi est si à te solo impetrem, ne hoc officij genus quod notis denegare non audeo in malam partem à me accipias. Optarem tamen iustæ petitioni ipsius locum dari. Plura non occurrunt. Bene vale honorande & amantissime Domine: vxori, si adest tibi, omnem à me salutem & reuerentiam. Coloniæ XVII Martij, MDLXXX.

Dignit. T.

addictissimus

AGG. ALBADA.

LXXVII.

Virtute & eruditione præstantiß. viro, Dn. Bon. Vulcanio Brugensi, amico suo obseruando.

S. P.

LIteræ tuæ datæ XXIV Martij fuere mihi valde gratæ, quod tuam in me voluntatem proderent, ecquis *De Principe vulnerato.*

ecquis esset isthic rerum status declararet. De illo etsi nunquam dubitaui, tamen gratum fuit, hac se offerente occasione commonefieri. Postremum hoc est certe acerbum, & tamen si æquus vtrinque animus adferatur, puto non fore plane deploratum. Quod Principi optimo multi obtrectant, graue quidem est, & tamen non insolens. Puto hunc postremum casum, qui fuit omnibus piis sane quam luctuosus, multorum acerbitatem esse paululum mitigaturum. Sin minus id eueniat, Deo erit committendum negotium: cui certe debemus omnes gratias immortales, quod *in tanto* periculo eum conseruarit, quo neq; Respublica neque Ecclesia carere, sine summo dolore & incredibili iactura, non poterat. Declarat profecto optimus ille rerum pater, vnum se esse illum qui sauciet, & vnum eundem qui sanitati restituat. De me quod calumniantur haud magnopere moror. Didici equidem

cum

eum Paulo & dignitatem nominis tueri, & infamiam negligere, modo vt Ecclesia Dei ædificetur. Et scio, ne Iouem quidem, quod aiunt, omnibus se posse probare. Nec tamen desino admirari tam improbam hominum male feriatorum insolentiam. Ecclesiæ negotium peruelim rectius se habere: sed spero vbi plane conualuerit Princeps, serio eum aliquid esse constituturum quod ad concordiam ineundam spectet. Ego si quid hac in re possem, meam operam libens præstiterim. In Psalmis recognoscendis admodū paulum est otij, tamen si posses his feriis Paschatis ad nos excurrere, cuperem tecum quæcunque restituta sunt communicare coram: sin minus erit integrum, dabo operam vt primo quoque tempore ad te mittantur. Filium meum iussi huc venire in proximas ferias, si sensero illum proficere, breui post remittam, sin minus, ex re consilium capiam.

piam. Vale, Antwerpiæ XXVIII Martij, Anno MDLXXXII.

Tui amantissimus

PH. MARNIXIVS.

LXXVIII.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano van-der Mylen, Rerum Status Ill. Ordinum Hollandiæ Consiliario. Antwerpiam.

S. P.

Commonefactio pro Principe.

NON erat quod nunc scriberem: sed cum Generosus Comes Iohannes ad me hesterno die inclusas miserit literas, & à me gratiose petierit, vt eas fideliter ad Illustriss. Principem fratrem suum procurarem, non sciui medium expeditius & tutius quam vt illas mercatori, hospiti quondam tuo traderem, perque eum alteri illi qui Antwerpiæ est

est tibi reddendæ commendarentur. Porrò, si has literas tuipse Excellentiæ ipsius porrigas, tum oro vt eidem humile meum seruitium meis verbis omni animi demissione deferas, moneasq; , vt hoc casu edoctus Deum magis ac magis reuereri, atque ad ipsius honorem, miserorumq; hominum conseruationem, omne suum studium & consilium propius collimare incipiat. Nisi id ita fecerit, etsi respectu negotij illius cui seruit, pepercerit ei Dominus, ne ad libidinem hostium cum contumelia ipsius bonorumque omnium periret: metuendum tamen est, ne tandem ipse Deus manum suam in illum injiciat, quam euitare poterit, si liberum cursum verbi Dei apud omnes permiserit, iustitiam vbique reformet & restituat, miseros subditos non solum aduersus hostes, sed etiam aduersus amicos defendat & tueatur. Expecto magno desiderio tuas literas. Bene vale, vir clarissime & amantissime,

vxori omnem à me salutem. Coloniæ, Cal. April. M D LXXXII.

Tuus ex animo

AGGÆVS ALBADA.

LXXIX.

Nobili & clarissimo viro D. Adriano Mylio, Provinciæ Hollandiæ à consilijs, Antverpiam.

S. P.

Publica. AGitur hîc conuentus huius circuli, sed & adsunt Legati ex vicinis circulis. A diuersis eiusmodi moueri & proponi audio, vt cogar sententiam meam, qua alterutrum, vt vel legatio, vel literæ mittantur suasi, mutare. Nam literæ in quemcunque casum, siue firmior siue infirmior sit defensio, non sufficient: verum opus erit legationis missione, vtque ea sit splendida & honorifica. Argumenta vndecunq; quæri debent, & spero non defu-

tura

tura, vt factum nostrum ita excuse-
mus, ne communi consensu aliquid
aduersus nos per imperiũ decerna-
tur: oblationes in omnibus tales fie-
ri poterunt, vt cognoscant nihil nos
mutatione ista imperio detrahere
voluisse. Rem etiam sic inspicio, vt
putem expedire à Serenis. Duce
nostro iam nunc præparationes ali-
quas fieri: & doleo, non ante me
de hoc conuentu intellexisse, alio-
quin & hîc similis præparatio fie-
ri potuisset: nimirum, vt antequam
status imperij conuenerint, non so-
lum vicinis Principibus, sed etiam
aliis remotioribus, qui coronæ Gal-
liæ hactenus addicti fuerunt, suum
amorem & beneuolentiam offe-
rat: milites suos quantum fieri
possit ab iniuriis subditis imperij
inferendis contineat. Animi vici-
norum Principum nonnihil laba-
scere incipiunt: nec se videntur post-
hac tam alienos à nobis exhibituros:
poteruntque non parum ratione
ista demulceri. Subit quoque illud

misi, si Illustri & Generoso Comiti Iohanni de Nassau secretum à Sereniss. Duce mandatum detur, quo ille ante Comitia Principes quosdam conueniat, immunitates nostras ijs proponat, studium & reuerentiam Sereniss. Celsitudinis ipsius erga imperium & ipsos declaret, obseruationem omnium quæ ante pacta & conuenta fuerunt offerat. Hoc, inquam, quamplurimum causam nostram adiuuaret. Sumus nunc in principiis, nec vllis mediis & sumptibus parcendum est, vt aliquot saltem Principum Germanorum fauor, per quos Imperatoris cum suis conatus impediri queat, erga nos conseruetur. Nihil addo nunc amplius, sed scribam latius, vbi finis huic conuentui impositus fuerit, daboque operam, vt exemplum eius quod conclusum fuerit (*den Abscheid*) ab amico aliquo impetrem, vobiscum communicem. Hæc raptim significare volui, propter literas quas Combisio tradidi, in quibus magis

magis ad literas quam ad legationem mittendam inclinaui. Imo adeo nunc mihi legatio necessaria esse videtur, vt optarem impetrari posse, vt Rex Galliæ & Regina Angliæ suos Legatos Seren. Ducis Legatis ad maiorem autoritatem ipsi conciliandum vel timorem vicinis Principibus inijciendum coniungerent. Quod de me ibidem scripsi, verum est, & amanter te rogo, si mei mentio inciderit, vt me excusatum habeas. Hodie diuersis literis mercatorum, quæ omnes Illustr. Principem Arausinũ extra mortis periculum constituunt, supra modum recreati sumus. Bene vale, vir clariss. Coloniæ, XXVI Apr. MDLXXXII.

Tuus AGG. ALBADA.

LXXX.

Ornatiss. viro, D. vander Myle, Illustriss. Principi Arausino à consilijs.

HEri à prandio Sereniss. Ducis Brabantiæ ac Illustrissimi Principis Auraici literas demississimo ani- *Varia de Republ.*

mo vna cum tuis accepi, quibus magna tristitia & perturbatione affectus sum, quod nescio quomodo ad Legationem istam & imparem me & timidiorem, non externe tantum, sed magis interne, quod grauius mihi est, inueniam. Expectaueram pro nostra amicitia te sic propositurum fuisse rationabiles illas causas meas, ne in hunc statum res deueniret, atq; eò magis, quod facile animaduertisti residere aliquid in animo meo quod me vna premeret. Quis enim hoc tempore omnia animi sui cogitata literis cõmittere audet? Nunc quid acturus sim supra modum perplexus hæreo. Scio quantum Ser. Cels. ipsius, quem patria mea pro suo Domino elegit, debeam. Nihil etiam est quod Excellen. eius iniungere mihi posset, quod non prompte & demisse facere paratus sum: sed postpositis omnibus aliis causis externis, cõflictor cum duplici infirmitate, quarum vna est corporis maior nunc quam antea, altera est animi aliò respiciens,

ſpiciens. Sunt in conſilio veſtro qui & res Germanicas, & linguam melius norunt quam ego, qui omnibus negotiis iſtis eorum ſemper interfuerunt, in aliis etiam longe me ſunt præſtantiores, quibus hoc munus iniungi æquius fuiſſet, & adhuc eſt. Non deſtitiſſem tamen nec vnquam deſiſtere cupio, quin hoc exiguum quod ad authoritatem Seren. Ducis noſtri & ſalutem communis Patriæ conducere exiſtimem, tum in hac cauſa, tum in aliis, vobiſcum communicem. Quid multis? ita me anxium & ſollicitum inuenio, vt hoc die ad literas gratioſiſſime ad me datas reſpondere non audeam, ſed faciam hoc per primum nuncium. Hanc moram vt apud Serenitatem & Excellentiam eorum humillime meis verbis excuſes, ſummopere rogo. Oro Dominum DEVM meum, vt hæc mala quæ tum in animo tum in corpore meo me impediunt ac turbant, clementer mihi auferat,

aut efficiat in corde vtriusque Principis, ne excusationem meam cum mala gratia accipiant. Redeo nonnihil ad ea, de quibus proxime tecum conferre cœpi. Inprimis quod scripsi de præmittendo vno aut altero Germanicæ linguæ perito Augustam, ob causas ibidem commemoratas, id adhuc necessarium esse duco, nisi forte sit ibi aliquis, per quem hæc res commodè procurari possit: alioquin difficulter legati nostri hospitium ibi inuenient. Elector Colonienſis non videtur in persona iturus: prætexuntur multæ causæ, sed vera est pecuniæ inopia. Legati tamen eius, atque etiam Legati Iuliæ, non ante duas vel tres hebdomadas abituri dicuntur. Treuirensis circa idem tempus proficiscetur. Moguntinus ad fines suæ ditionis concessit, non procul Herbipoli, omnibus ad iter paratis: vt intellecto Cæsaris aduentu citiùs eo peruenire queat. Nam cum sit Cancellarius Imperij, eodem tempore

quo

quo Imperator, se sistere ex more solet. Episcopum Leodiensem his feriis aiunt iter ingredi, sed statuit prius fratrem suum Bauarum conuenire. De Funckio quidam dicunt eum hac transiisse, sed id verum esse non puto: alij Augustæ iam esse, alii cum aliis Legatis ex Hispanijs breui eò peruenturum, quod verum esse ex literis quas huc scripsit, cognoui: eodem hinc abijt noster Doctor Roerda: in quem finem, nescio, nisi forte vt Funckio assistat. Ambo ambitione & stultitia pari. Secundo quod scripsi de Ordinibus Sereniss. Celsitud. eius coniungendis, etsi non dubitem Imp. cum suis omnes occasiones captaturum quibus legationem vestram eleuet & impediat, tamen metus iste ne Legati sub nomine isto solo Ducis Brabantiæ admittantur, non tantus forte erit, vt reliqui status propter dignitatem personæ Ser. Ducis permissuri sint, vt non ea quæ in mandatis habent proponant. Nihilomi-

hilominus ob ea quæ necessario dicenda esse arbitror, maneo adhuc in ea sententia, expedire vt Seren. Celsitud. ipsius Ordines Belgij coniungantur, non vt consiliarij tantum, vel ex consilio eorum, vt fieri conuenit vbi nullum impedimentum metuitur: sed simul etiam vt principales. Contrarium tamen statuisse vos ex ordinatis Legatis animaduerto, alioquin si hæc mea sententia non displicet vobis, tum requiri mihi videtur, vt vnus adhuc ex nostris Dominis, qui antiqua nobilitate & virtute illustris est, iam electis & nominatis Legatis adiungatur: & ne numerus & sumptus maiores fiant, poterunt aliqui ex famulis & domesticis domi relinqui. Cur autem adiungendos Ordines nostros sentiam, causa præcipua est, ne in instructione omittantur illa quæ puto plurimum nobis apud Principes protestantes opitulatura: atque ea talia sunt quæ non expediunt sub nomine Sereniſſimi

Apud Illustriſs. Principem Auraicum si hoc consilium non displicet tibi, poteris injicere mentionẽ Domini de Boxtel, qui vir mihi videtur gravis & honestus.

nissimi Ducis nostri, ob religionem & conditionem suam, proponi: nec etiam Seren. Celsit. ipsius feret, instructioni à se solo datæ ea inseri. Breuiter ita sentio: ex vna parte vrgebit Imperium cum suis, vt communi consensu & decreto omnes Belgæ in Bannum imperij condemnentur, ac pro hostibus eiusdem proclamentur, & auxilium si impetrare possit, aduersus nos decernatur. Conabitur ostendere, etiamsi Rex Hispaniæ promeritus fuerit remoueri, se, qui eiusdem familiæ est, non extraneum in eius locum debuisse eligi. Ex altera parte vrgebit Sereniss. Dux noster, vt in sua persona, tanquam à subditis legitime electi, fœdera quæ hactenus inter imperium & Belgium obseruata sunt renouentur, sessiones & iura quæ Principi Belgij in imperio competunt, Serenitati suæ concedantur. Hoc vltimum nihil certius est quam imperium cum suis & ecclesiasticis Principibus impe-

diturum,

diturum, ne hoc Sereniſs. Dux noſter à ſtatibus Imperij communi conſenſu ac decreto Imperij obtineat. Ergo nihil reſtat, quam vt ex parte noſtra ſimiliter laboretur, ne primum illud Imperator quoque à ſtatibus Imperij communi conſenſu ac decreto Imperij obtineat, ad quod ſeruire capita illa, quæ breuiter proximis literis annotaui, exiſtimo. Conijcio quoque ex his, & aliis multis quæ tacite in Imperio geruntur, hunc effectum cum vtroque fore, vt nec Imperator, nec Ser. Dux noſter ſui voti compos futurus ſit, qua re Imp. & Regi multum, ſed nihil ſingulare adhuc Duci diſcedit. Obuenient illa Deo volente ſuo tempore, vbi hoſtes noſtri è Belgio eiecti fuerint. Capita iſta obiter tantum attigi, inter concipiendam inſtructionem plura atq; etiam meliora vobis in mentem venient, quędam etiam ex his omitti forte poterũt. Ego, neſcio, quomodo fiat, quod in hoc negotio ſic me affectum perpetuo

petuo sentiam, vt ad iudicium Dei magis quam ad vllam rem aliam respiciam: ac proinde nihil vtilius arbitrer esse ad iram Dei mitigandam, quam circa omnia, & coram omnibus ipsius honorem & gloriam vindicare & conseruare: At hæc non tam liberè in persona Ser. Ducis nostri, quam Ordinum dici queunt. Quæ syncero & fideli animo tecum communico, ea scio tibi non posse displicere, aliis verò non plura quam quæ probas, quæq; mihi fauorem, ac non odium adferant, communicabis. Vides me multa in sinum tuum effundere, quæ ad alios peruenire nollem. Scribam proxime iterum. Dominus Iesus gratiam mihi det in animis vestris, vt seruitio meo quod hîc præsto ex solo patriæ amore, si aliud præstare non potero, contenti esse velitis. Bene vale, clariss. & amantiss. Domine. Colon. ipso die Pentecostes, MD LXXXII.

Tuus ACC. ALBADA.

LXXXI.

LXXXI.

Nobilissimo clarissimoq; viro D. Adriano vander Mylen, Ill. Ordinum Belgij Consiliario. Antwerpiæ.

S. P.

Publica. GRatissimæ mihi fuere tuæ literæ, in hoc tam tristi ac luctuoso otio languescenti. Studium illustrissimi D. Principis ad res instaurandas omnibus notum est. Plane autem danda est opera, vt primo quoque tempore coëant comitia, & seriò de rebus omnibus aliquid constituatur. Ego hîc omnem moueo lapidem, quo Ser. Ducem Andegauensem eo deducam, vt dato acceptoque sacramento nostrorum animos confirmet. Id si impetraro, spero non paruum fore ad res nostras stabiliendas operæpretium. Habeo multos aduersarios, & verò prope omnes quotquot illi adsunt. Vnus ipse videtur in eam sententiam inclinare, ita tamen vt sæpe titubet.

Nam

Nam, vt scis, dum in dubio est animus. Inter cætera autem videtur eum vel maxime nauigationis periculum ac molestia absterrere. Matrimonij certe negotium ita est obscurum, vt quid iudicare possim, plane nesciam: videntur se inter se propemodum perdite amare: vera ne an simulata sint hæc omnia, dictu difficile est. Ego tamen haud puto (si quid possum conijcere) veras futuras nuptias. Dies indicabit. Ex Galliis non plane optimi adferuntur nuntij: Legatus Pontificius Marchio Malespinæ, à rege beneuole acceptus auditusque remotis arbitris, videtur monstri aliquid moliri. Plerique suspicantur fœdus inter Pontificem regesque Gallum & Hispanum esse ineundum: sed video omnia vsque adeo plena esse simulationibus, fucis, imposturis, vt nihil sit difficilius, quam de regum consiliis quidquam certi statuere. Aula certe Gallica scatet huiusmodi artibus, & metuo vt ad nostrum non-

nihil huius aliquando perrepat contagionis. Est enim ingenio acri, ac perspicaci, atque inprimis prompto, quod nisi virtutis freno cohibeatur, facilè fiat vt ad alias artes se conferat: Nobilitas vna cum plebe Gallicana videtur perægrè ferre noua exactionum inusitatarum grauamina, quæ quotidie excogitantur ad saturandam paucorum hominum (vt aiunt) libidinem. Mirum, ni fumus hic in flammam erumpat denique: vtut sit, ego omni studio enitar, vt hunc principem isthuc possim breui deducere. Sin autem id conficere nequeam, velim me à vobis isthuc reuocari; nec enim potero abesse diutius, si sine fructu hic hærendum sit. Vale, & me, vt facis, ama. Londini, Calendis Ianuarij, M D LXXXII.

Tui studiosissimus

PH. MARNIXIVS.

LXXXII.

LXXXII.

Nobili ac clarissimo viro Dn. Adriano van der Myle, Ser. Ducis Brabantiæ, &c. ac Ordinum Belgij consiliario, &c. Antverpiæ.

S. P.

HERI Sereniss. Ducis Brabantiæ & Illustrissimi Principis Auraici, secundas literas demisso animo vnà cum tuis accepi, quæ mihi longè adhuc maiorem tristitiam & perturbationem quàm priores attulerunt, nisi fortè Deus pro sua erga me misericordia in vtriusque animo hoc effecerit, vt iam accepto & lecto humillimo responso meo contenti redditi sint. Ab iis ipsis malis meis, cum nondum liberatus sim, sed indies maiora & grauiora fiant, etsi pudor & facilitas naturæ meæ, deinde obedientia ac reuerentia quam vtrique debeo, plurimum me disrucient ac sollicitum reddant: tamen non is sum, qui hoc quod *Publica.*

Deus mihi immittit, pro meo arbitrio tollere ac emendare queam. Negotium etiam non tale est, quod non æquè bene per alium, quàm per me expedietur. Imò sic noui Dominum de Plessis ex scriptis eius, quod is maiori cum laude & gratia hanc causam aget, quàm ego, poteritque ei qualiscunque linguæ Germanicæ peritus adiungi. Quod ad me attinet, paratissimus sum consilium meum ad ea quæ incidere poterunt, singulis hebdomadis hinc cum eo communicare. Quanquam præuideam, post orationem publicè habitam, quam solidis argumentis informari expedit, parum postea cum Legatis nostris actum iri: sed, vt quàm optime res succedat, oblationem & petitionem Sereniss. Principis nostri suo loco tacite relinquent: satis effectum erit, si Imper. & Regis Hispaniæ consilia & conatus impediri poterunt. Ad quod præcipuè conferent priuatæ Sereniss. Celsitud. ipsius literæ, multo-

multoque magis Regis Francorum, si haberi queant, tum priuata Illustris. Ducis de Bouillon colloquia, & prensationes. Ab iis qui Sereniss. Principi nostro addicti sunt, meliora consilia Legatis nostris secreto ibi suggerentur, quàm quæ modò à nobis cogitari queunt. In summa, legatio non tam difficilis erit, modo ab insidiis hostium sibi vbique bene caueant, quàm odiosa, & talis, cui publicè pauci communicare, & fauorem suum præbere audebunt. At parum in hoc positum est, modò priuatim & clàm id auertamus, cuius gratia legatio mittitur: & auersum iri omnino spero. Imò conijcio ex multis grauissimis causis, hæc Comitia sine vllo effectu, alienatione animorum maiori, quam qualis vnquam fuit, dissoluta iri. Hæc satis. Redeo vnde digressus sum. Ad secundas Seren. & Excellent. eorum literas non audeo quicquam amplius respondere: nam non suppetit

aliud, quàm quod proximè respondi: quàm graue mihi tamen illud sit, non possum vllis verbis satis exprimere. Verùm quamdiu Deo non placet me meis liberare malis, tamdiu muneri illi obeundo, & corpore & animo impar sum; cuius rei nomine non offensionem, sed commiserationem mereor. Hanc ergo à te & Domino de Plessis amicissimè postulo, in eum finem, vt apud vtrunque Principem sic causam meam agatis, ne ob infirmitatem meam, quæ per se satis mihi grauis & molesta est, in indignationem alterutrius incurram; vt verè dicam, non est mihi possibile munus istud legationis exequi. Libenter ipsemet secundo ad prædictas literas humillime respondissem, sed reuerentia & timor, quia eadem quæ prius scribere cogor, prohibent me. Dominus Deus gratiam mihi conseruet in oculis eorum. Bene vale, vir clarissime & amantissime, Domino de

Plessis

Plesſis & vxori omnem à me salutem & reuerentiam. Iterum vale. Coloniæ, XVIII Iunij, Anno MD. LXXXII.

Dign. T.

obſeruantiſſ.

AGGÆVS ALBADA.

LXXXIII.

Nobili & clariſſimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Sereniſſimi Ducis Brabantiæ, & Ordinum Belgiæ conſiliario, &c. Antvverpiæ.

S. P.

POst reditum meum ab acidulis quaternas tibi literas ſcripſi, cum ergo non niſi ternarum mentionem facias, arbitror vnas te abſente Se- *De Repub.*

reniſſimum Ducem, cuius literis quas Combiſius ei ſcripſerat adiunctæ erant, iuſſiſſe aperiri. Datæ fuerunt XVIII Sept. Malum meum nonnihil recurrere incipit, radice eius nondum ſublata prorſus, ſed non tam vehemens eſt dolor, quin facile eum perferre adhuc queam. Conuentus progreſſum ſuum habiturus videtur. Sed de die nihil dum certi cognoſcere potui. Quod addis de me, verum eſt, niſi in aliquam ſiniſtram ſuſpicionem grauemque offenſionem incurrere velim, attamen cum non ignores meas cogitationes non per omnia prorſus cogitationibus veſtris reſpondere, circa pleraque quæ paſſim aguntur, hodie timidus ſum, ne lædam conſcientiam meam, Deumque offendam. Itaque vellem Seren. Ducem & vos Conſiliarios eius, qualicunque meo officio, quod in libertate præſto, gratioſe & beneuole contentos eſſe. Idque vt ita fiat Chriſtum Dominum meum ſupplex rogo: facile enim

enim fieri posset in instructione aliquid poni, quod ego eloqui & proponere ita non auderem, vel dictum & propositum postea me contristaret & perderet. Audio libenter quod scribis res nostras bono esse loco: sed quam diu talis doctrina est, talis iustitia & vita, qualis adhuc perspicitur & exercetur, tamdiu nullam ego melioris status spem habeo. Sed vt olim in Præfatione ad Acta scripsi, vnum malum semper aliud excitabit, inijciente Deo nouas semper occasiones, quibus vtrinque nunc animi deijciuntur, nunc rursus eriguntur. Exemplum hodie Steenwicum nobis præbet. Videbatur misera mea Patria à malis suis quodammodo liberata, sed nunc per eius occupationem in priora mala, inque nouos sumptus & noua præsidia recidit: vtinam non tota hac hyeme deuastetur! Quid multis? impletur hodie quod Propheta inquit: Vastator super vastatorē, &c. Item alius: Et residuum

erucæ comedit locusta, residuum verò locustæ comedit bruchus, ac residuum bruchi comedit rubigo. Nec finis erit quamdiu non id fiat, quod ibidem in Præfatione fieri oportere ostendi & declaraui. A quo sane longissime abest ea doctrina, quam homo iste Danæus nobis obtrudere & persuadere conatur. In his locis magna quoque mutatio præ foribus esse videtur. Res diu inter Comites & Nobiles qui sunt August. Confessionis, tractata est, vt rationem quærerent, qua sibi quoque, salua sua religione, fructibus beneficiorum ecclesiasticorum frui permitteretur. Ditescunt enim illi qui sunt Catholici, & pauperes fiunt alij, quod præsidiis istis ecclesiasticis destituantur. Hoc ipsis iam in animo erat in comitiis proponere, sed ex multis animaduertentes, se nihil ab Imp. impetraturos, arbitror inter se ipsos concluisse, vt ipso facto id quod æquum censent, apprehendant, & obtineant. Illorum

rum caput apparet Electorem Colon. futurum, quem & matrimonium cum Comitissa Mansfeldiæ contraxisse suspicio est: nec obscure præ se fert, quod defectionē à Pontificia religione facere proposuerit: & iam arma in manu habet, multaque agit quæ huic ciuitati non paruum timorem inijciant: adeo vt iam catenis ferreis plateæ hic occlusæ sint. Nos auide expectamus quis exitus futurus sit. Combisio communicauimus literas, quas dicuntur tres Electores seculares ad tres Catholicos perscripsisse, sed ego arbitror à Politico quodam sub eorum nomine confictas esse. Bene vale, vir amantissime. Vxori omnem à me salutem & reuerentiam. Colon. Cal. Decemb. MD LXXXII.

Dignit. T.

obseruantiss.

AG. ALBADA.

LXXXIV.

LXXXIV.

Nobili & clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Sereniß. Ducis Brabantiæ, & Ordinum Belgij Consiliario, &c. Antverpiæ.

S. P.

De Truchsesij ad protestantes defectione.

IActa est alea. Elector enim palam suam sententiam Bonnæ edicto propositit. Eandem per Ducem Bipontinum, Principem non indoctum, qui tertiam filiam Iuliacensis in matrimonio habet, Capitulo indicauit. Idem fecit apud Senatum huius vrbis, simulque exercitium alterius religionis, nomine, vt appareret, omnium Protestantium qui in Comitijs congregati fuerunt, postulauit. Sed neutrobi arbitror quicquam eum impetraturum, vt nimirum vel Capitulum vnanimiter approbet hoc factum Electoris, & nihilominus Elector maneat, vel vt Senatus aliam religionem publice admittat. Ex constitutione imperij cuilibet Principi Ecclesiastico religio-

ligionem ſuam mutare licet, ſaluo ſuo honore & bonis: ſed Eccleſiaſtica dignitate & bonis abdicare ſeſe poſtea cogitur. Id in animo non habet Elector: videturque velle exemplum Epiſcopi Magdeburgenſis ſequi: attamen ne hūc quidem proxime in comitiis morem ſub eo nomine concedere voluerunt, & eſt diſparitas in multis, quæ tibi æque atq; mihi nota eſt, & ſingularis hæc; quod ille nihil ſine conſenſu Capituli egerit. Quamobrem ex hoc facto nihil aliud quam bellum præuideo, primaque fronte Proteſtantes aliquid contra conſtitutionem quæ ſuper religione facta eſt, acturi videntur: niſi hoc verū ſit, quod quoſdam aliquando aſſerere audiui, cum hæc conſtitutio ferretur, aduerſus hoc punctum præſertim quod ad Electoratus Eccleſiaſticos & Epiſcopatus attinet, Proteſtantes Principes palam excepiſſe, & proteſtatos fuiſſe: ſed nihil de hac re certi habeo. Suppetunt tamen ex altera

parte

parte plura, in quibus illi se intra eiusdem limites iamdiu nō continuerunt, Ergo, &c. De me cogitare incipio, quò me conferam: nam persuasum illis de me est, quasi plura in mandatis habeam, pluraque exequar, quam reuera est. Nam præter quietem hoc tempore nihil quæro. Cum hic esset Arenburgicus, tota vrbe, tam ab ipsomet, quam ab aliis sparsum erat, me Bonnæ apud Electorem fuisse, eumque nihil sine consilio meo agere: quod tamen nunquam Celsitud. eius à me rogauit. Quid multis? in eiusmodi rebus nihil fere fit, cuius ego non pars sim: ita humanus nonnunquam metus inuadit me, ne semel subornent aliquos, vel clam permittant, qui apprehensum extra vrbem abducant, quod pluris, quam si occiderent, facio. Numerum militum suorum qui nunc c. esse possunt, vsque ad D c. augere statuunt: sed non sic tamen iram Dei à se auertent, quæ certò hanc ciuitatem manere vide-

videtur, vnde sæpe mihi diuinum illud, supra humanum metum, in animum meum occurrit : Exite. Sed hæreo an ascendere rursum, an descendere debeam. Ascendendo pristinum statum conseruare potero: si descendero, praxi quam habeo renunciare cogor, nec satis scio vbinam præstet vt domicilium meum eligam. In patriam proficiscei multa me deterrent, & præsertim odia & simultates, quibus plus quam aliæ nationes, nostri obnoxij sunt, quibusque perpetuo sibiipsis nocere solent. Vtinam ipse Dominus mihi viam ostendat, quam ingredi & sequi debeam. Rarius tibi noua scribo, quod hoc munus diligenter Combisius obeat, cui etiam, si quid amplius nobis patefactum fuerit, communicamus. Optarent causam se iustam inuenire posse, qua illum vrbe eijciant, & iam de nouo illi minantur: sed an sint executuri, nescio. Ob negotium Electoris indictus conuentus in aliud tempus reiectus est,

necdum

necdum scitur, quando celebrabitur. Bene vale, chariſſime ac amantiſſime Domine: vxori cum liberis omnem à me ſalutem & gratiam à Domino Ieſu. Coloniæ, 11 Ianuar. Anno M D LXXXIII.

Dignit. Tuæ obſeruantiſſ.

AGGÆVS ALBADA.

LXXXV.

Nobili ac clariſſimo viro Dn. Adriano vander Mylen Ser. Ducis Brabantiæ & Ordinum Belgij Conſiliario, Antwerpiæ.

S. in Chriſto.

Publica. MIraris quid hîc tandiu hæream, & forte mearum epiſtolarum quas do ad Dominum Principem, inconſtantiam etiam reprehendis. Ego vero certe nulla in culpa ſum. Cum enim quæcunque in dies ſingulos occurrunt ſcribere officij mei eſſe putem, non poſſum niſi

nisi eius generis literas dare, quo sunt res ipsæ. Meum certe iudicium hactenus nunquam fluctuauit: eo enim ipso die quo isthuc ad vos famulum meum ablegabam, habeo testes idoneos quibus me vel quouis pignore decertaturum dixerim, eam sententiam haud in crastinum diem fore ἀμεταπόητον. Cur igitur ita temere scripsisti? inquies. Nolebam aliunde ad vos tantam rem perferri: vt sunt enim res humanæ, si aliter cecidisset, ego cum prouidente illo silentio culpa vacare non poteram. Itaque futilis ego loquacitatis, aut certe fidelis atque officiosæ notam incurrere malui. Ex eo tempore hactenus hæreo. Plerique rati sunt matrimonij causam denuo excitatam: ego nihil minus, etsi viderem multa esse ab illis luculenta indicia: sed Reginæ animus, consuetudo, natura, & gentis mores aliter persuadebant, & tamen nihilo segnius, & vero etiam fortasse acrius quam vnquam ante hac vrgetur matrimo-

nium. Ita est, ex quo enim huc venit à Rege Pinardus, eiusque voluntatem ac sententiam aperuit, dixeris negotium illud reuixisse: Etiam ad Regem miserunt de vna tantummodo, & quidem illa non præcipua controuersia sententiam eius percontatum, ea si referatur prout Angli desiderant, rem confectam plerique arbitrantur: ego tamen æque obstinato animo priorem meam sententiam tuebor, donec hisce oculis falsus fuisse vates conuincar. Interea haud facile dixerim quã me hæc mora male habeat: video enim nostram omnem rem per cuniculos maleuolorum hominum hac occasione tantum non penitus euerti: qui enim ante hac se continuerunt, iam aperte in sententiæ dictionem prorumpunt. Aiunt, tantuli temporis vsuram quæ inter brumam & imminens ver intercedat, ad copias in Gallia conscribendas, potius quam ad ciuitates inuisendas, quæ nihil nisi armorum auxilium postulent,

esse

esse conferendam. A quo equidem certe haud magnopere abhorrerē, nisi multorum animos intelligerem à nobis nostrisque rebus alienatissimos, ea occasione quam studiosissime esse in nostræ reipub. perniciem abusuros: in quo, nisi nouo vinculo hunc Principem obstrinxerimus; habebunt Regem, Reginam matrem, atque vniuersam Galliam simul atq; Angliam adiutores. Omitto Hispani technas, quæque hinc & pollicitationes, munera, aliaq; illicia, illinc minæ ac pericula obijcientur, & Guisianorum molitiones, quæ hactenus vel acerrimi stimuli fuere loco, mirum ni contra nos posthac facturæ sint magnum operæ precium. Itaq; omnino est adnitendum, vt hinc illū istuc deducamus. Hoc enim videtur vnicum restare remedium tot machinationibus rescindēdis. Sed nosti tui Homeri aurem mihi vellicantis γνώμῳ, Αἰχρὸν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι. Quod cum vehementer timere incipiam;

nescio quid consilij mihi capiendum sit: vrgere enim acrius per se satis incitatum, non modo importuni esse videbitur, sed illius etiam qui tantum & tam optatum Reip. Christianæ beneficium, quantum omnes augurantur fore hoc coniugium, orbi terrarum inuideat. Itaque expectandus est omnino è Gallia nuncius qui regis responsionem adferat. Sed vehementer equidem hallucinor, nisi post eius aduentum omnia futura sint multò incertiora quam dudum. Itaq; iterum hic hæreo. Velim à vobis mihi præscribi, quid me hic agere velitis: ego ad Dominum Principem nonnihil occultis characteribus commisi, quod sperem haud fore inutile: vos id si probatis, est cur primo quoque tempore confectum reddatis. Tu quæso pro tuo in me amore, (amicitię enim nomen etsi gratissimum, in nobis tamen etiam leue duco) quæso ad me crebro literas dato, quæ me de tua valetudine, rebus domesticis, publicis

cis; sigillatim faciant certiorem: & præbe saltem in hoc animi mei languore ac stomacho amuletũ, quod nullo tuo incommodo potes, quodque me vehementer reficiet ac recreabit. Vidi hic nuper apud Bibliopolam, in codicem nouorum librorum Francofurto aduehendorum, Michaelis Baij ad meas Theses atque epistolas responsionem esse relatam, ita mihi non satis occupato nouum negotium adornatur: sed nondum aduenêre libri, quod me male habet: velim enim in hoc otio dari tam gratum negotium. Res Gallicæ satis videntur ire ex sententia, Rege pacem tuente, reliquis etiam studiose amplexantibus: sed vt nosti ingenia Gallica, haud videtur constans posse perdurare, nisi aliò arma conuertantur. Itaque allaborandum est, ne tam præclara elabatur occasio. Andegauensis certe totus ardet eo studio, & quo magis eius animum ac mores perspicio, eo mihi probantur magis, quod si

dum Dominus dignetur conseruare, non dubito, quin maiorum suorum gloriam, non modo sit rebus gerendis æquaturus sed longe etiam superaturus. Vale, meque tui amantissimum quo soles amore prosequi perge καὶ ἀμετέλε. Londini, v Decemb. Anno M D LXXXI.

Tui amantissimus

PH. MARNIXIVS.

LXXXVI.

Dn. Adriano Mylio, Curiæ Hollandiæ Præsidi, viro amplissimo,

S.

ROGAS *me, imò iubes, Vir amplissime, vt meam sententiam, seu potius quod sæpe inter nos actitatum fuit de libero arbitrio, paucis explicem. Parebo, idque me consecuturum arbitror apud pios & moderatos, vt potius verbis quam reipsa, Thomæ Aquinatis & Doctorum Pontificiorum in hac quæstione iudicium,*

iudicium ab iis qui principem inter Euangelicos locum obtinent, discrepare, manifestum faciam: hancque controuersiam, si modo controuertendi libido tollatur, & æquiuocationes à disputatione excludantur, facile componi posse. Quamuis enim in Ecclesiam Dei abusus multi & errores grauissimi irrepserint, quos vi veritatis corrigere est necesse, nil tamen dubito, quin multa sint huius generis, quæ charitate (vero Christianorum symbolo) duce, conciliari possint. Atque vt in quæstione de Ecclesia aliquando me feciſſe in memoriam reuocas, sic in hac controuersia me effecturum confido, paucis, & ni fallor perspicuis Thesibus. Vale, Hagæ Comitis, Kalend. Februar. MDLXXXVII.

Tibi addict. VILLERIVS.

DE LIBERO ARBITRIO

THESIS I.

LIberum arbitrium est facultas eligendi vel reijciendi actionem ab intellectu voluntati obiectam.

II.

Ea facultate quiuis mortalium, (amens modo non sit) est præditus, nullaque est actio seu virtutis seu vitij, in qua non libere agat voluntas.

III.

Aliter autem atque aliter ea facultate homines vtuntur: id vero ex diuerso & vario hominum statu & conditione accidit.

IV.

Primus homo intellectu puro & voluntate recta ornatus fuit, eiusque animi partes omnes ad imaginem Dei conditæ fuerunt, atque adeo iustitia, sanctitate, & veritate fuit præditus, eluxitque in eo consensus omnium animi partium eum inter se, tum vero hominis cum creatore.

V.

Facultas liberi arbitrij in eo talis fuit, vt libere & motu proprio siue intrinseco seipsum inclinare posset

ad

ad vtrumque extremorum, seu virtutis seu vitij : eaque facultas soli Adamo concessa fuit, qua poterat peccare & non peccare: lapsus autem tantus fuit, vt hic omnibus donis plane exciderit; in eorumque locum successerunt iniustitia & mentis cæcitas: libertateque illa priuatus, mansit tamen facultas eligendi, sed tantum inter mala.

VI.

Primo homini secundus opponitur, Dominus Iesus in secula benedictus, cui libera agendi facultas concessa fuit, qua sponte & motu proprio siue intrinseco semper eligeret bonum: hoc itaque illi proprium fuit, vt non posset peccare: Adamo vero vt posset non peccare.

VII.

Ex hoc veluti duplici fonte fluunt duo hominum genera: prius quidem ad imaginem primi hominis genitorum: alterum eorum, qui per

ſpiritum ex ſecundo propagantur.

VIII.

Prius illud hominum genus ſuum parentem refert, non qualis fuit ante caſum, ſed qualis extitit poſtquam & ſe, & tale illud arbitrium liberum, quo ornatus fuerat, & vniuerſam poſteritatem perdidit: vnde naſcuntur iræ filij in peccato geniti, adulti, & educati.

IX.

Quemadmodum autem Adamus priuatus illa natiua ſanctitate, iuſtitia, & veritate, priuatus tamen non fuit intellectu naturali atque voluntate: ſic etiam in homine naturali, & non regenito remanent intellectus & voluntas, quibus illi intelligere & velle proprio motu & intrinſeco licet.

X.

Illis inſtrumentis ornati homines artes & diſciplinas ad vſum humanæ vitæ

vitę accommodas consequi possunt, aliaque multa præstare, quæ humanæ voluntati Deus subiecit. quæ quidem faciunt, vt homo longe præstet reliquis animantibus.

XI.

Manet itaque in Adamo post casum atque adeo in vniuersa posteritate eadem natura seu substantia intellectus & voluntatis, at qualitates longe diuersæ. ante casum etenim eluxit in Adamo iustitia, at post casum iniustitia & error intellectum & voluntatem occuparunt.

XII.

Ex quibus efficitur, hominem naturalem reliquis in rebus aliquid posse, sed illi minime licere bonum simpliciter, id est, cum lege Dei conueniens obedientia spiritus eligere, imo ne cogitare quidem, & ad illud aspirare: nec tamen inde

inde sequitur hominem naturalem libero carere arbitrio.

XIII.

Libere etenim inter actiones propositas eligit: sed quia intellectus est corruptus, nunquam puram & sinceram actionem voluntati offert, sed semper malas obijcit, inter quas eligit voluntas: manet itaque nihilominus libertas eligendi, sed semper inter duo mala.

XIV.

Naturalis enim homo, siue scortetur siue non scortetur, semper male facit: deterius quidem facit si scortetur, sed si non scortetur, non vtique bene facit: non enim vt obtemperet legi Dei interna obedientia mouetur, sed alterum quendam finem sibi proponit, hominum fortassis iudicio laudabilem, sed Deus est qui renes & occulta cordium inspicit.

XV. Nec

XV.

Nec iis obstat quod illa libertas aliquando vocatur seruitus peccati: est enim diligenter distinguendum inter libertatem à miseria & à coactione. hic enim agitur de illa libertate quæ coactioni opponitur, & quæ proprio motu agit, alioquin miseriæ & peccato est obnoxia illa agendi & volendi facultas quæ homines natura peccatores sunt præditi.

XVI.

Alterum autem est hominum genus quos regenitos in Christo dixi: qui quidem nouam veluti naturam nanciscuntur per spiritum Christi regenerantem & viuificantem: intellectus etenim antea & ipsa voluntas corrupti, ad imaginem Dei reformantur, restituunturque in sanctitatem, & veritatem, & iustitiam. sic fit vt intellectus & voluntas antea mali, nunc boni fiant & iusti.

XVII. Istud

XVII.

Istud vero hominum genus est duplex, aut enim à contagione omnino sunt immunes, aut adhuc sentiunt habitantis in se peccati reliquias, & militant in hoc mundo aduersus carnem.

XVIII.

Illi quidem cum Christo regnant, & agnum sequuntur, non coacte sed liberrime, votisque liberis & vocibus summum & omnipotentem Deum adorant, & celebrant liberrima voluntate, quam ex Christi spiritu viuificante & sanctificante sunt consecuti.

XIX.

Hi vero in hoc stadio vitæ militant, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, libereque eligunt fructus spiritus à spiritu ducti, eiusque gratia comitante voluntatem, sicut à gratia præueniente inclinata fuit voluntas

voluntas ad bonum cogitandum & volendum, & illustratus intellectus, qui antea erroris caligine & iniustitiæ obscuratus fuerat, fit sæpe, vt inter duas actiones bonas sponte & libere alteram eligant, vt interesse sacris aut inuisere ægrotum. Hæc vero fiunt per interiorem hominem.

XX.

Quoniam autem in hoc mundo nondum plane exutus est ille vetus homo, sed supersunt reliquiæ carnis quæ legi Dei resistunt, fit aliquando infirmitate nostra, vt ad malum declinemus: quod quidem libere fit & motu proprio.

XXI.

Quod quidam ignoranter de Dei Prouidentia obijciunt, quæ (vt illi putant) vim affert voluntati non regenitorum, ineptum est, & abunde ipsi Philosophi saniores respondent, vbi de causis externis disputant

tant & de futuro cõtigente. vt enim libertatem Adami non fustulit Dei Prouidentia, ita nemini vim illa infert: non enim Prouidentia Dei tollit liberum arbitrium, quod etiam in Angelis videtur, qui *libere* agunt, nihilominus tamen Prouidentiæ Dei sunt subiecti.

XXII.

Quæ omnia quiuis mediocriter in Theologia versatus, & in lucta carnis & spiritus exercitatus facile confirmare potest, cum scripturæ sanctæ authoritate, tum experientia vtriusque status in quo viximus ante donum spiritus, & ex eo quod sensimus, postquam illuminati fuimus voce Euangelij.

Sapere ad sobrietatem.

LXXXVII.

Nobilissimo clarissimoq; viro D. Adriano vander Mylen, Ill. Ordinum Belgij Consiliario. Antwerpiæ.

S. D.

DIE Iouis præterito cum tyrannicum illud factum intellexissem, in hunc modum ad te scripseram; Vos vehementer contristatos & perturbatos esse non dubito, at quia hoc iam ante vel simile quiddam ex gratia Dei præuidi, non solum id æquo animo fero, sed etiam lætor tam cito patefactum esse. Longe nunc maiorem spem habeo, vt malis nostris Deus finem imponat, quam antea. Nam in eo persuasus semper fui, non esse Dei voluntatem, vt illa famila exaltaretur, nobisque imperaret: & tamen ob hunc Principem quam infinitas calamitates pati debuimus? imo quam non ipsimet alij aliis hostes fuimus, victorias volentes sæpe amisimus, vt

De Alenconio & Truchsesio.

extrema necessitate tandem coacti ad egregium illum Ducem confugeremus. Quod ignoscat Deus ijs, qui eò scopum suorum consiliorum direxerunt, quique auctoritate præditi, aliorum saniora, Deoque gratiora consilia superarunt. Sed de his frustra iam conqueror: Vtinam Ordines nostri posthac magis ad Deum, quam ad homines respicere discant: vel si omnino homines negligendi non sunt, placeant illis potius, qui sunt ex suo proprio sanguine, quam qui ex alieno: qui pij & virtute præditi sunt, quam qui Athei & improbi: etiamsi potentia & Nobilitate omnino impares existant. Et scriptura ostendit, & astra significant tempus instare, quo pietas & iustitia regnabunt. Quapropter solos reuerentes sui respiciet posthac Dominus, alios vero omnes è medio tolli oportet. Exsiccabitur magnum illud flumen Euphrates (bello, peste, fame) vt præparetur via regibus ab ortu solis, hoc est, piis & Christianis

stianis magistratibus, & ministris Ecclesiæ Dei. Id vnum vos nunc admonitos & rogatos velim, ne vlla promissione, vel vllius periculi metu induci vos sinatis ad eum recipiendum: nam si hoc factum fuerit, omnino metuo Illustrissimo Principi Auraico, quem iam quartò Deus admonuit, suum, non hominum negotium agi: deinde vobis omnibus, qui rerum gubernacula obtinetis exitiosum finem à Deo imminere, nec tamen ille vel ei aliquis similis Dominus noster mansurus est, modo non prorsus à Deo reiecti simus. Non sum quidem Propheta, nec Prophetæ filius, attamen si opus est, ex sacra scriptura sane intellecta & ex conditione temporis in quo sumus, manifeste id quod dico, ostendere potero. Præstaret nos quasi in interregno aliquo permanere, & sub consilio insignium & proborum aliquot virorum regi, donec Deus ipse viam monstraret ad aliam formam Reipub. suscipiendam, & nunc

per hunc Electorem, si ipsi, vt dicitur, tres alij seculares Electores subsidio adesse volũt, occasio offertur, tum cum illis, tum etiam cum aliis Principibus Protestantibus fœdus ineundi, salua nostra gubernatione & libertate. Has literas, vt supra indicaui, iam ante conceperam, atque etiam occluseram: sed postea à mittendo me continui, donec certius quid cognoscerem. Nunc vero ad tuas literas responsi loco eas transmittere volui. Expectabo iam auide secundas tuas, vt intelligam ex iis, quid consilij capturi sitis, & in quo statu negocium illud nunc consistat: An etiam Herodes & Pilatus in idem sint conuenturi. Dissipet Dominus gentium consilia, nostrique tandem misereatur ad magni nominis sui gloriam, Amen. Quod hîc cœptum est, non potest sisti: nam iam Saxo de Lauenburg Chori Episcopus, nomine Capituli hostilia multa agere incipit, sed ab Electore expectatur dies conuentus Statuum

huius

huius Diœceſeos, qui XXVII ſeq. agetur. Circulorum conuentum dicunt propter hunc in Feb. reiectum eſſe: Conuentus ille Statuum poterit vel bellum vel pacem dare, de quo tibi plura proxime ſcripſi. Ego hinc breui abire ſtatui, & præſertim ſi quid in conuetu iſto contra Electorē decernatur, vti metuo, & maxime propter id quod apud vos accidit. Varij Legati adfuturi ſunt, inter quos etiam Legatus Pontificis, & Cæſaris, qui Bonnæ apud Electorem agunt. Combiſius valde triſtis & perturbatus eſt, & cuperet ſe in Ordinum gratia permanere poſſe, quam fidem hactenus illis præſtitit, paratus eſt adhuc illis præſtare, velletque de hac re aliquid abs te mihi reſponderi. Bene vale, clariſſime & amantiſſime Myli, in eo qui nos dilexit Chriſto Domino & Deo noſtro, cuius miſericordiæ & protectioni te vna cum vxore & liberis veſtris ſupplex commendo. Magnum periculum eius gratia euaſi-

ſtis, quod indicio eſt, nos Deo curæ eſſe: ſed male nos ipſi nobis conſulimus, quod credere ei nolumus, & fiduciam noſtram in arundinibus Ægypti collocemus. Iterum vale. Domine Ieſu veni citò, Amen. Coloniæ, XIX Ian. M D LXXXIII.

Dignit. Tuæ obſeruantiſs.

Tuus quem noſti

AGGÆVS ALBADA.

LXXXVIII.

Ornatiſs. & Nobiliſs. viro, Dn. Adriano vander Myle, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæq; Præſidi, &c.

S. P.

Iuridica. ORnatiſſime Præſes. Mouet me tuum & Duareni iudicium ac authoritas, & ab vtroque obſeruata veterum loquendi conſuetudo: ſed non conquieſco propter præpoſitionis *ante* ſignificationem, quæ præſcindit, referturq; & coarctatur

(vt

(vt videtur) ad præteritum tempus, quod kalendas antecedit: sicut particula post, futurum tempus respicit, quod sequitur kalendas. Adeo quod Paulus *a* verba hæc, *ante decimum diem kalendarum*; *post decimum diem kalendarum*, duisa, non continua iudicet, propter interuallum & medium interueniens, quod neutro (vt ipse ait) sermone continetur: & alius scribat *b* inter hos sermones anno duodecimo, & post annum duodecimum multum interesse, quod & Gellius diserte explicat, *c* negans intra kalendas fieri, quod fit ante vel post kalendas, aut kalēdis contineri tempus, quod est citra vel vltra kalendas. Accursius & alij veteres non insciteuidentur comparationem stipulationis ante kalendas, cum stipulatione kalendis facta, referre ad petendi seu agendi facultatem, non ad natiuitatem actionis, vt videlicet similitudo in eo sit, quod in neutra specie ante inchoatas kalendas agi possit, licet

a *in l. anniculus amittitur, §. ante diem, ff. de verborum signif.*

b *in l. si ita in pr. ff. de manumiss. test.*

c *lib. 12. c. 13.*

ex stipulatione ante kalendas citius nascatur actio, quam ex ea quæ kalendis facta est. Accursius quoque, qui fere nihil non odoratus est, distinguit, vtrum in genere, an in specie, per determinationem certi diei aut alterius temporis adiecti kalendarum mentio facta sit, vt priore casu veterum illa consuetudo obtineat, non posteriore. Duarenum tuum inspicere cupio. Gellium remitto, vt videas, & me dubitatione liberes, cum per otium his vacare licebit. Vale. Leidæ, Anno MDLXXXV.

D. T.

deditiss.

ELBERT. LEONINVS.

LXXXIX.

LXXXIX.

Nobili ac clarissimo viro Dn. Adriano van der Myle, Ser. Ducis Brabantiæ, &c. ac Ordinum Belgij consiliario, &c. Antvverpiæ.

S. P.

QVod in hoc conuentu Statuum futurum metuebam, ita euenit. Nam maior pars contra Electorem concluserunt. Propositio constitit octo fere Articulis, quibus à Capitulo accusatus & grauatus fuit. Ex his duo sunt, qui religionem concernunt, primum, quod publicatis scriptis à Catholica Ecclesia se recessisse profiteatur. Alterum, quod iam vel duxerit vxorem, vel ducere certissimo proposuerit. Recitatus fuit *deß Reichs Abscheidt*, quid hoc casu fieri debeat, de quo ante tibi significaui. Alij articuli facta quædam Politica continebant, quibus transactioni olim inter Capitulum & Status initæ (vocant *die Landvereinigung*)

Quomodo Truchsesius Episcopatu motus.

einigung) contraueniſſet. Concluſio & petitio, an Status vna ſecum eandem tranſactionem ſartam tectam conſeruare vellent, & in eadem permanere. Concluſione abſoluta inprimis ſe accuſationi Capituli Epiſcopus Bremenſis oppoſuit. Sequuntur tres alij Comites Solm, Weineberg, & Kreichenheim, licet hic ſit catholicus: omnes capitulares, contra eandem accuſationem proteſtati ſunt. Altero die Electoris Legati egregie & prolixe, vt mihi relatum eſt, cauſam Celſ. ipſius defenderunt, & quod ad mutationem religionis attinet, vtcunque *die Abſcheidt* priuationem dignitatis exigat: nunquam tamen Proteſtantes Principes priuationem illam approbaſſe. Profertur Proteſtationis inſtrumentum, contra eundem receſſum quoad hoc membrum factum. A prandio eodem die, audiuntur Legati diuerſorum Principum, & primus Dux Bipontinus, non ſolum ſuo proprio nomine, ſed

& Ele-

& Electoris Palatini Casimiri, & fratrum suorum, Richardi Palatini nomine. Deinde Legati Landgraiorum Hassiæ, Ducis Wirtenbergensis, diuersorum Comitum, & ciuitatum Imperialium. Electoris Saxoniæ, & Brandeburgici Legati non adfuerunt, quod dicuntur serius vocati esse, alioquin fouere eos partes Episcopi certum est. Nihilominus absentia eorum audaciores Pontificios reddidit. Omnium legatio eo tendebat, vt Status religionis libertatem tum ipsi Episcopo, tum subditis huius Diœceseos permitterent. Inter Status aliquot diebus magna fuit controuersia, & maxime inter Legatos Comitis de Nienaer, & Comitem Rifferscheid: resque semel eo perducta erat, atque etiam Capitulo responsum datum, ne religionis nomine quicquam aduersus Electorem agerent: sed Capitulo simplex respõsum vrgente, an transactioni stare vellent, tandem maior pars superueniente etiam Arenburgico,

gico,& nescio quæ nõ cum Hispanis suis, qui in propinquo sunt, minante, Capituli petitioni subscripserunt. Alij aduersus hoc factum protestati sunt, solutusque est conuentus. Nihil porrò nunc expecto, quam quod nouo legato Pontificis aduenientе, qui dicitur in itinere esse, solenniter Electore depositо, ad electionem alterius Capitulum sit processurum. Hinc certissimum bellum: sed timent quidam, ne imparato adhuc Electore, eiusque sociis omnes munitiones huius Diœceseos ab aduersariis occupentur. Id fiat siue non fiat, euentus tamen alius erit quam Pontificij putant. Habes breuiter nostra, quæ humano iudicio nunquam processissent eousque, si Galli in fide data permansissent. Sed sic voluit Deus, quia melius aliquid de Belgio præuidit & statuit, cui consequendo hoc bellum occasionem dabit etiam cum periculo nostrorum capitum, si Dei voluntati resistere perstiterint. Qua de re

iam ante tibi scripsi. Circulorum conuentus putatur XV vel XVI huius celebrandus esse. Bene vale, clariss. & amantiss. Domine. Coloniæ, III Febr. M D LXXXIII.

D. T. obseruantiss.

AG. ALBADA.

XC.

Amplissimo ac prudentissimo viro, Domino Adriano vander Mylen, Præsidi Hollandiæ, ac Ordinum Belgij Consiliario, Domino & amico suo obseruando.

S. P.

AMplissime Præses. Iampridem literas tuas accepi: interea varia acciderunt, quæ etiam ostendunt Dei iudicium. Nos homines secundum carnem non nisi humana intelligimus, hoc est, mala. Quare vt bonum aliquod statuatur, id à Deo, qui solus bonus existit, petendum est.

Iudicia de præteritis: de futuris liberæ deliberationes piæ.

est. Non potuit ab initio electio mihi probari, & causas quibus motus fui, frequentibus literis meis, tum ad te, tum ad alios amicos declaraui. Modus etiam agendi, cui omnia bona semper optaui, mihi displicuit; & erat Dei voluntati & consilio, quantum ego iudicare potui, contrarius: sed quia Propheta non sum, nec etiam in auctoritate aliqua constitutus, non minus consiliis & factis aduersari debui. Quanquam nescio quomodo mihi dictaret animus meus eum euentum. Eratque ea causa sola, licet morbum prætexerem, qui aliquis erat sed non tantus, denegatæ à me legationis ad Comitia. Sed hæc iam facta sunt, nec emendari possunt. Vtinam Dominus posthac Ordinibus nostris meliora consilia suggerat, melioremque regendi modum in omni pietate & iustitia ad communem salutem & prosperitatem clementer ostendat! Tradidit nos Deus in manus Regis duri.

Idem

Idem rogandus est, vt animum ipsius ita leniat, vt pacem nobis restituat, & sinat vnumquemque pro sua conscientia Deo seruire. Quamdiu armis res agitur, lux diuina paucis exorietur, & sine illa ad veram Dei & Domini nostri Iesu Christi cognitionem non perueniemus. Quicquid nobis hîc in contrarium persuademus in cognitione DEI & Christi, hæremus adhuc in mediis Antichristi tenebris & sordibus. Ita patem etiam nostram cum illis accipimus, nec meliores, sed deteriores indies simus: quin etiam frustra iugū eius excutere conamur, quamdiu aliquid ipsius retinemus. Sed quis credit auditui nostro? Inde etiam accidit frustra nos auxilia apud homines quærere, qui succurrendo & sibi & nobis iram & pœnam Dei augent. De vera pietate & iustitia restituenda nulla prorsus cura est. Imo etiam vestri prohibent, ne vlli libri in lucem veniant, per quos veritas, quam reliquæ virtutes consequuntur,

quuntur, melius cognoſci poſſit. Ex altera parte agnoſcimus Antichriſtum, ſed in noſtra nondum ita notus eſt, & eſt tamen. Quid igitur boni ſperari poteſt? Incidit in mentem meam ſæpius, an non præſtaret Ordines inter hæc mala ſuper pace ineunda cogitare: veſtræ ſane Prouinciæ magnum onus incumbit. Nam ab ea vicinæ omnes dependent: & tamen perditis nobis vos ſalui eſſe non poteſtis, qui intus æque diſcordiis & factionibus, quam nos laboratis. In commune vero æquiores conditiones obtenturi eſſemus. Quid multis? Quod ad me attinet, indies magis abhorrere incipio ab eo bello, in quo nos perdere ſemper plus, quam vincere neceſſe eſt. Præuidit aliquid boni de nobis Dominus, ſed Spiritus oris Domini, non arma conficient Antichriſtum. Hic ſub cruce & pace piorum opus ſuum peragit. Cum in gratiam viduæ Siegens iterum mihi ſcribendum eſſet, hæc prius mihi in

mentem

mentem venerunt, quæ in bonam à me partem accipias rogo. Sollicitus enim sum de communi nostra salute, sed in mediis eligendis vtinam ex Deo aliquid certi haberemus! Pro fideli opera viduæ præstita quam maximas gratias habeo, & vt pergas causam eius, donec effectum suum sortiatur, promouere, officiosè & amanter postulo. Bene vale, obseruande Domine, & amice integerrime. Honestissimæ ac piissimæ matronæ vxori tuæ vna cum liberis vestris omnem à me salutem, reuerentiam, & amorem. Coloniæ, Calend. Sept. MDLXXXIV.

Dign. T.

obseruantiſs.

AGG. ALBADA.

XCI.

Ornatissimo Domino, D. Adriano vander Mylen, Præsidi Hollandiæ, & consiliario Status Ordinum Generalium dignissimo, Traiecti.

S. P.

De Geldriæ statu.

AMplissime Præses. Equidem timui exhorruique semper pignorationes, & certamina ista naualia quæ contra Geldros exercentur: nam in hac mala concordia, & dissensionibus prouinciarum hostis spem victoriæ suæ collocat. Etiam propter nostram ignauiam, & belli curam negligenter habitam, vastato omnium fere prouinciarum agro multas vrbes & totas ditiones in suam potestatem redegit, atque ex ista occasione maiorem spem concepit, & acerbitatem facti & diuturnam calamitatem per epistolas apud Geldros exaggerat, atque popularium animos vacillantes ad se trahere conatur, non sine euidenti discrimine totius ditionis, cum quo collatum

collatum emolumentum istarum pignorationum nullius momenti est. Imo in contrarium molitiones huiusmodi nobis ipsis obsunt, & nostras vires exhauriunt, & propria corpora velut phthisi tabescentia cõficiunt: & proinde semper optaui, suasi, & etiamnum opto & suadeo, humaniter agendum, & derelicta via facti, per beneuolam communicationem controuersiarum materiam tollendam extinguendamque esse, præpositis bonis viris, & ordine constituto recipiendorum publicorum prouentuum, qui ex inuectionibus & euectionibus percipiuntur: nam stationem illarum sibi eripi & parecto & similibus in nauibus bellicis committi, Geldri, secundum conclusionem pluribus conuentibus iam olim confirmatam, nunquam patientur, dum vastatis agris suis aduersus hostem, propugnaculum & arcisinium præstant reliquis quietis prouinciis, multis exemplis & periculis edocti ad subitas inua-

siones, hostilis exercitus, ac seditiones militares, neminem extrinsecus apparere, aut auxilia ferre. Illud probo, & summopere conandum existimo, ne auaritię aut malitię cuiuspiam in abutendis publicis pecuniis indulgeatur: quod facile caueri potest, si aliqui ex his qui regimini præsint ad proximum locum belli accedant, & Gubernatori ac Duci belli in re præsenti adsint, consilia eius dirigant, & cum publicis personis cuiusque ditionis vbi bellum incidit, communicato consilio omnibus casibus ac momentis ad omnia necessaria prouideant: quod si iamdiu factum fuisset, Geldria vicinæque ditiones meliorem habitum & qualitatem haberent. Ideoque denuo rogo, vt id fiat citissime, deposita excusatione & prætextu, quod Geldri videantur extra territorium regiminis cui se nondum subiecerunt: nam præterquam quod hæc excusatio damnosa est Reipublicæ, secum trahit confessionem exercitæ iurisdictionis,

dictionis & imperij extra territoriū, per noxias illas pignorationes, in quare D. T. (cui salutem publicam curæ esse scio) non fore difficilem confido, eiq; domum meam (de qua etiā antea vxori scripsi) & quicquid à me præstari potest, offero. Gallica legatio diu retardata est, tum propter naturalem illam facilitatem ad dissentiendum inter homines, tum propter aduersantē (magna pro parte temporis) ventum, cuius clementiā expectant legati, parati omni hora discedere. Ego præter mortem filiæ, & vxoris affectam valitudinem, ex cruris læsione iam multis diebus domi detentus desideo, dubius adhuc, an ad Gallici itineris confectionem satis validus futurus sim, propter lęsionem illam in graui ætate, & corpore etiam ex senectutis debilitate afflicto. Vale, ex Haga comitis, XXVIII Nouemb. M D LXXXIV.

Dign. T. didiciß.

ELBERT. LEONINVS.

XCII.

Nobili ac clarissimo viro Dn. Adriano vander Mylen, Præsidi Hollandiæ dignissimo, Hagam.

S. P.

D. Marnixij purgatio.

MItto ad te commentariolum de rebus Antwerpianis, quo tempore nos extremæ angustiæ vndique ad pactionem cum hoste incundam adegerunt. Statueram equidem nihil in lucem edere, quod scirem, temporis filiam veritatem sua sponte facile emersuram: sed cum viderem, necdum rabiem, & maledicentiam meorum maleuolorum posse conquiescere, & iam optimos quosque, & magna etiam authoritate viros fidem illis adhibere, omnino putaui rumpendum esse silentium: itaque scripsi quod mea existimatio & dignitas prope inuito extorsit. Miratus certe istorum Ordinum iudicium, qui vna

cum

cum Zelandis iudicarent, sese isthuc vt veniam minime perpessuros. Quid ego illos offenderim, haud equidem possum cogitare: nisi fideliter eorum commodis studere, id vero est offendere: sed committo Domino Deo hoc negotium, spero illum meam esse causam acturum. Interea grauiter doleo patriæ casum, quam misere video interire, & tam præclare iacta religionis ac veræ pietatis fundamenta penitus collabi. Ego sane sæpenumero animo reuoluo, vtrum ne consultius fuerit, rebus etiamnum isthic integris, de transactionis cum hoste commoda quapiam ratione cogitare: video enim sensim ciuitates omnes in eius venire potestatem, quod ego certe cum internecione miseræ nostræ patriæ coniunctum esse existimo: omnino enim danda est opera, vt generalis ineatur aliqua pacificatio, quâ religio conseruetur: quandoquidem hæ singulares pactiones ciuitatum rerum o-

mnium statum penitus euertunt. Vos vero rectius perspicitis quo loco sint res vestræ. Atque si non aliter posthac geretur bellum quam hactenus gestum est, ego omnino censeo alia esse rationem ineundum. Scripsi in hoc argumentum paulo fusius ad D. Meetkerkium: is si non abest procul, tecum meas, credo, communicabit literas. Cogita quæso non iam nostram tantum, sed Christi rem agi. Ego in exilium concedens (statui enim nescio quò in Germaniam vel forte in Sarmatiam contendere) eminus patriæ calamitatem, mœstus contuebor. Quod neque opera, neque consilio, neque opere quicquam auxilij adferre queo, vehementer est molestum. Magnopere hic laboraui apud Parmensem, & eos qui authoritate apud illum valent, vt religionis aliquam libertatem concedant, vt minimum in Hollandia & Zelandia: à quo non videntur penitus abhorrere, modo vt per regem liceat, de cuius voluntate

tate nihil dum habent certi: quod autem pollicebitur Parmẽsis, id ego plane statuo ipsum ad vnguẽ esse obseruaturum. Sacrifici nihilominus antiquum obtinent, & odio plusquam Vatiniano in eos qui religionem profitentur flagrant. De illorum conatibus nihil sperandum est moderati: quare putarim omnino aliquid expresse cauendum esse. Quod si abiecta omni paciscẽdi cogitatione armis res geritur, rogabo Deum optimũ maximum, vt quod Ecclesiæ suæ futurum est salutare, benigne largiatur: ego certe armis vix quicquid video nos proficere. Vos cogitabitis: ego si qua in re prodesse potero ad omnes ero occasiones intentus. Vale, & me vt soles ama, meq; nihil de meo in te studio & amore remisisse cogita: pietatis etiam & veræ religionis studium multo quam ante colere religiosius, eò enim adlaboro, vt & mundus mihi sit crucifixus, & ego mundo, ἵνα οὐκ ἐγὼ ἀλλ' ὁ χριστὸς ζῇ ἐν ἐμοι. Iterum

vale, Antwerpiæ, XV Octobr. Anno MDLXXXV.

Tuus PH. MARNIXIVS.

XCIII.

Amplissimo Domino, Domino Hadriano vander Mylen Præsidi Hollandiæ dignissimo.

S. D.

Publica. AMplissime Præses. Quuoniã propter impedita itinera & grassationes hostiles tuto Arnhemium reuerti, & relationem actorum in Galliis præsenti sermone Ordinibus Gelriæ facere non potui, transmisi omnia scripto cõprehensa, consentitque & Gubernator & Senatus vt hoc loco mihi morari liceat, donec producto exercitu, nostra itinera reddantur tutiora: ea tamen lege, vt interim sollicitem milites ad conficiendum exercitum necessarium, cum commeatu & stipendio, quod diligenter egi & etiamnũ ago apud Dn. Co-

Dn. Comitem Mauritium, apud Ordines Hollandiæ,& Consiliarios Ordinum Generalium,tum per me, tum per filium præfectum in Bergis, qui hac de causa denuo profectus est in Zelandiam ad Dom. Comites Mauritium & Holachium. Et quia publica est causa quæ Hollandos ac Traiectenses ex æquo respicit,rogo, dominatio tua felici dextra rem promouere dignetur, & me, quid sperare possim, aut fieri debeat, admonere ; Ego interim per otium quod suffurari potero, hic prælo committam emendationes quasdam iuris. Vale, ex Lugduno Batau. XIX Apr. Anno M D LXXXV.

Tuus ex animo

ELBERT. LEONINVS.

XCIV.

XCIV.

Ampliss. & Nobili viro, D. Adriano vander Myle Præsidi Curiæ Haganæ integerrimo, Domino & amico inprimis obseruando, Hagam.

Priuata Giphanij.

VEllem tempora ferrent, V. C. & amicissime, vt coram potius quam literis agere inter nos liceret: nam & tu me ope, consilio, melius iuuare, & ego meum in te studium atque obseruantiam verius declarare possem. Nunc quia potiorem viam tempora nobis intercludunt, literis velut κατὰ δεύτερον πλοῦν vtamur: quamuis ne his quidem viæ interdum satis tutæ aut expeditæ esse solent, licet innocentibus, τοιαῦτα τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. Hic Dei beneficio satis commode mecum agitur: nam & munus in docendo iure gratum esse sentio, tam auditoribus, quam Senatui Norico: & tribus me liberis Deus iam locupletauit. Sed in patria Buræ, iniquè mecum agitur

agitur, & quidem ab adfinibus & propinquis, quibus equidem cum propter difficilia hæc tempora, tum ob neceſſitudinem multa conceſſi: Sed iam x x x fere ſunt anni, cum patrimonio illi meo incumbentes, id quod ſolidum ad me pertinet, eius ne partem quidem tot iam annos ad me redire patiuntur. Egi hac de re cum iis, tam literis, quam per amicos: tam precibus, quam minis: Quid profecerim, ex hoc iam tertio procuratore meo intelliges: quem priorum hæredes duorum curatorum & adfinium meorum, peſſime habent, quod ab illis & rationes, & reliqua amice primum, deinde iure ac iudicio poſtulet. Quare ad ipſam Comitem Buranam, eiuſque conſilium confugiendum mihi fuit: literaſque dedi huic procuratori (qui vtinam eſſet iunior & πραχικώτερος) ad conſiliarios duos, Dn. Iacobum *Vlas*, & D. Martum à *Steelandt*, eoſque rogaui, vt quantum fides illorum patietur, mihi & procuratori meo

meo adesse velint. Verum quia cum iis nulla fere mihi est notitia, recte facturus mihi videor, si procuratorem prius ad te allegem, cuius in me studium & apud omnes auctoritas merito est magna, & cum his viris clarissimis familiaritas, vti spero, & necessitudo. Huic igitur procuratori meo, tua vt grata auctoritate, ope, & consilio vt assis, meque & eum, causamque & negotia mea, vt consilio Comitis nostræ commendes, & ipse tibi commendata habeas, vehementer rogo. Memorem & gratum toto vitæ tempore me reperies, etiam iam ante tibi deuinctum. Vale vir Nobilissime & salue. Domino Nicolao Camerlingo, officiose à me salutem. Altorphio, vltima Iulij.

T. omni studio, totoq; pectore

HVBERTVS GIPHANIVS.

XCV.

XCV.

Ornatißimo viro, Dn. Adriano à Mylen, in aula Batauiæ Præſidi ſapientißimo, Domino ſummè obſeruando. Hagæ.

AMaui præſentem apud nos veſtratem Petrum Cornelium Brederodum. Quidni enim iuuenem amarem, cuiuſmodi pauciſſimi ſenes mihi cogniti? ſuauiſſimis præditum moribus, doctrinæ non vulgaris, pietatis ſingularis, & modeſtiæ profecto ſummæ, quam noſti cęterarum eſſe virtutum condimentum. Itaque mihi religio fuit illum ad ſuos reuertentem abſque literis meis dimittere, quamuis re ipſa, ſat ſcio, cumulatè probatum, quod hiſce paucis apud te verbis teſtor. Vt autem eum tibi potiſſimum commendarem, partim ipſius voluntas ac deſiderium, partim ea ſingularis humanitas fecit, qua dignitatem & amplitudinem ipſe tuam exornas. Cęterùm, quia ſicut de rebus veſtris aſſiduè

Commendatio Dn. Petri Brederodi, & Reip. Geneuenſis.

assiduè laboramus, ita vos vicissim mihi persuasi de nostris cogitare, vt iis accidere solet, quibus iidem planè sunt hostes & eadem communia pericula. Idcirco Cornelium nostrum rogaui, vt, quando ad vos peruenerit, plenissimè vobis omnem huius Ecclesiæ, & ciuitatis statum exponat, mediocrem nunc quidem illum, & haud paullo quàm nunc sit vester tranquilliorem, sed in ancipiti positum, nisi Leonis, in cuius faucibus & unguibus ipsis versamur, cruentos conatus ille infregerit à cuius vnius præsidio toti pendemus. Adsit idem ille vobis indignissime diu vexatis, & pro aris ac focis certantes inuicto suo robore tueatur. Bene vale, vir amplissime. Dominus Iesus, Seruator ille noster sancto suo spiritu magis ac magis adsit tibi, pro ipsius tuenda gloria, & patriæ salute laboranti, teque & tuos feliciter conseruet. Geneuæ, XXV Ianuarij, An. MDLXXXVI.

Ampl. T. addict. THEOD. BEZA.

XCVI.

XCVI.

Ampliſ. & Nobiliſ. viro, Dn. Adriano vander Myle, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæq; Præſidi, &c.

S. in Chriſto.

FIlium meum iſthuc animi gratia & viſendorum amicorum proficiſcentem, ſeu potius excurrentem, nolui ſine meis ad te literis venire, vir ampliſſime, quo ſcires, me tui eſſe peræque ſtudioſum atque amantem ac vnquam antehac. Quid in communi calumniandi, prope dixerim, rabie, ad meam tuendam dignitatem præſtiteris, multis & ſermonibus & teſtimoniis ad me relatum eſt. Feciſti nempe ad tua in me merita ſingularia & innumerabilia grandem acceſſionem. Itaque ſcito, me tibi nominibus iam infinitis eſſe obſtrictum, ac proinde ſi quâ in re gratitudinem teſtari poſſim, vtere, fruere amico ſane quam tui ſtudioſo: Ego ſi quæris, valeo, vxore & le- *Familiaria.*

ctiſſimâ & ſuauiſſimâ orbatus, in luctu ita viuo, vt me Chriſtianum eſſe cogitem, & Chriſtum peccatis tot & tam aſperis atque aduerſis opponam rebus, & me in Domino, ac in reſurrectionis ſpe mirifice conſoler. Fuit ſane, & eſt etiamnum vulnus graue, acerbum, ac prope lethale: ſed Chriſti medici manus mali vim longe ſuperat. Quo nomine ago Deo Patri gratias infinitas, qui me hac percuſſum, illac manu curat, refouet, reficit. Publicæ res habent me anxium, ſed alia ratione, quam antehac: ſollicitudo enim omnis cum animi coniuncta tranquillitate, in vnius Dei arbitrio conquieſcit, ab eius nutu tota dependens, in eius ſinum ſeſe exonerat; quod hactenus non licuit. Ita qui me lædere ſtuduerunt, magno affecerunt commodo. Domino ſit laus & gloria: eius ego te curæ ex animo commendatum eſſe cupio. Vale, mi Myli, & me amare perge, tuique eſſe amantiſſimum ſtatue.

Sub-

Suburgo, secunda Aprilis, Anno MDLXXXVI.

Tui studiosissimus

PHILIP. MARNIXIVS
Aldegondius.

XCVII.

Nobili ac clarissimo viro Dn. Adriano vander Myle, Hollandiæ Senatus Præsidi.

REuertentem isthuc ad vos Vulcanium nostrum, nolui sine meis ad te literis dimittere, quæ mei erga te amoris & voluntatis testes essent: Scito itaque, mi Myli, totum me tuum esse, omninoque optare, vt vnà possimus de rebus omnibus & libere, & pro veteri nostra amicitia conferre. Quid hic ciuitate Axellana confectum sit, iam, non dubito, intellexisti: si negotium isthîc habebitis cordi, magnum secum indubie momentum trahet: hostis certe *Varia.*

non negliget, iam enim se Mondragonius ad expeditionem accingit, &, vt qui Antwerpia venêre nunciant, obsidionem cogitat. Facile hac ratione diuertetis belli molem isthinc. Ego lubens dederim consilium, si consilio sano locus sit: sed malo cessare, ne aliquid satagens iterum impingam. De Synodi decreto, respondi ad Kymedontium; ex illo intelliges meam sententiam. De Psalmis statuetis quod vobis videbitur: ego Ecclesiæ vel cessans, vel agens inseruiam: etsi hactenus animus, si verum licet fateri, fuit plus æquo turbatus, & iusta fortasse nemesi correptus, colligam tamen me, si potero, & nomen Domini inuocabo. Vale, mi Myli, & me tui esse amantissimum, quæso tibi persuade. Domino Præsidi Nicolai, multam quæso ex me salutem precare. Ex nostro prædio Suburgano, ad XIX Iulij, M D LXXXVI.

T. PHIL. MARNIXIVS.

XCVIII.

XCVIII.

Amplissimo viro Dn. Adriano vander Myle, Hollandicæ Curiæ Præsidi vigilantissimo, Hagæ comitis.

LIteras tuas, vir amplissime amicissimeque, iampridem ad me datas, legi lubens. Perspexi enim tantâ frigidâ suffusâ amorem erga me tuum haud extingui, quod quidem tuæ acceptum fero constantiæ. A me enim nullum est in te profectum officium hoc tuo iudicio dignum. Sed amabunt boni bonos ringentibus malis. De me, sic habe: me totum esse Mylij, vt ante hac semper fui. De Republ. sum sollicitus: sed prudens abstineo, ob causas grauissimas, etsi nunquam serio vocatus. Non est quod vltro me ingeram, atque ne vocari quidem exopto maximopere, omnino enim abnuendum fuerit: & ita stat sententia, quamdiu stabit certe illa in tabulis pacti cum Regina initi nota. Manum à clauo abstinere ita me non

habet male, vt hoc vno me beatum prædicem. Quid enim hoc vitæ genere quod hîc duco, vel cogitari queat beatius? quod ego votis omnibus multos iam annos ambij perflagranter, id se mihi sua sponte offert. Agricola, inter meos, in meo viuo. Sed velim tamen notam illam inductam, qua nihil vnquam fuit iniquius. Ego ne pro tantis exantlatis laboribus, pro tam fideli opera nauata meis ciuibus, qui mihi certe post Deum, & vitam & salutem debent, hanc refero tam iniustam mercedem? Sed regium est cum benefeceris, male audire. Audio & assentior, modo vt post fata non hæreat hæc in nomine macula, quod tamen aliter vix potest sperari, ἀλλὰ ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς Χριστοῦ. In hoc mihi gratulor, Deumque meum ac patrem ex animo laude immortali concelebro: Et vero ἐν τῇ θλίψεσιν καυχώμεθα, εἰδότες ὅτι ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν, nosti reliqua. Vale vir

vir ampliſſime, & me, quod hactenus feciſti, ama, tuique eſſe amantiſſimum ſtatue. Ex prædio Suburgano, poſtridie Kalend. Octob. Anno MDLXXXVI.

Tui amantiſſimus

PHILIP. MARNIXIVS
Aldegondius.

XCIX.

Viro ampliſſimo Domino vander Myle Senatus Hollandiæ Præſidi, Hagam.

VIR Illuſtriſſime: vt in hanc vrbem veni, mihi narratum eſt à quodam qui ſe intra biduum Caletio profectum affirmat, die lunæ nouiſſimo, terribile admodum fuiſſe prœlium inter ſuæ Maieſtatis claſſem atque Hiſpanienſem, in quo Galiaſſam vnam grandem captam ipſe viderit, quanquam nauē ipſam ibi perijſſe arbitretur, ſed bona *De claſſe Hiſpanic.*

omnia auecta: gestum hoc fuisse dicit intra tormenti iactum ab vrbe Caletio. Die Mercurij suæ Maiestatis Commissarios Caletium venisse omnes incolumes testatur: Quo nomine te obtestor, vir Illustrissime, vt literarum illarum ad maiestatem suam missiones omni studio festines, quæ sunt hoc ipso mane in concilio perlectæ. Addit etiam, copias omnes quæ Dunckercæ naues conscenderant, à Duce Parmensi iam denuo subductas in littus fuisse eodem Mercurij die: quæ res, nihil dubito, quin te commonefaciat, quã necesse sit vt Ostendæ & Berghen quam ocyssimè prouideatur; ideoque te rogo vehementer, atque oro, vt Excellentiam suam, Comitem Mauritium ad sollicitãdos Zelandiæ Ordines persuadere velis, quo illis vrbibus in tempore commeatus aliæque res necessariæ subsidio mittantur. Quibus in rebus vt ego tuam confidenter operam industriamque postulo, ita velim persuasum

suasum habeas, in simili causa nunquam me tibi defuturum. Vale, Lugduni Batauorum, III Aug. Anno MDLXXXVIII.

D. T. studiosissimus

H. KYLLYGRÆVS.

C.

Clarissimo doctissimoq; viro Dn. Bonauenturæ Vulcanio, Græcæ linguæ in Academ. Leydanâ Professori.

ARistotelem tuum, vir Clarissime, vnà cum tuis literis accepi, cum tanta animi voluptate quantam haud facile literis expressérim. Maximam eius partem perlegi etiam necdum conglutinati; magnopere certe & argumentum totum, & ratio tuæ scriptionis, & obseruationes omnes placuerunt. Quod tu de nonnullorum præpostero & ἐγχαϊσμῷ studio ais, iampridem cum *Priuata.*

stomacho aduerti: sed quid vis? cuique suum est ingenium, cuique suus genius & mos: & in hac ingeniorum, iudiciorum, studiorũ varietate non minus, mihi crede, elucet admirabilis & nunquam satis laudata opificis sapientia, quam in infinita plantarum, stirpium, arborum, animalium, metallorum, atque omnium deniq; rerum mirificè variegatâ diuersitate. Tui iudicij moderatam ἐπιχὴ seu potius mediocritatem laudo. Quod autem ita affirmatè testaris volumen esse ipsius Aristotelis, velim quibus id firmamentis nixus sentias, mihi non graueris indicare. Ego certe tam præclarum opus tam præclaro authori lubens adscripserim: sed, verum dicam, reclamat stylus, & vniuersa scribendi ratio. Aristoteles nusquam se extollit, vbique pressus, vbique acutus, leni verborum defluit agmine: hic sæpè turget, & aliâ, quantum ego possum videre, insistit viâ: vbi tamen erit compaginatus, examinabo diligentius,

tius, & tuum iudicium, quod certè faciam maximi, præstolabor. Venio ad meos Psalmos: illi tandem ad calcem perducti, nihil nisi Canticorum Biblicorum, quæ ego ad XXII numero putaui adiungenda, comitatum expectant, edendi tum in lucem, modo etiam Catechismus, in quo nihil ego, neque addam, neque detraham, adiectus fuerit. Dices, montis esse partum: fateor, sed non prodibit mus ridiculus, saltem suo argumento, suaque virtute. Quod enim à me habet, ridiculum poterit nonnullis videri: sed rei maiestas sarciet quod in dicendi explicandive ratione desiderabitur. Egi cum nostris mercatoribus, qui faciunt impensas: ij dedere schedulam hîc adiunctam omnium eorum nomine conscriptam, de qua mentem eorum intelliges, cui vt acquiescas rogo te vehementer: puto enim & æquam esse, & tum bono publico, tum tuis etiam rationibus consentaneam. Certe nihil discrepat ab

eo,

eo, quod alias affirmasti tuam esse mentem. Itaque cupio vt illis tui priuilegij facias copiam, si tibi videbitur probum satis esse & pollens: sin autem putabis esse innouandum, esto id tui arbitrij. Ex Anglia non esset extra rem aliquid eiusmodi obtineri: sed iam defuncto Walsingamio, ego neminem habeo, à quo id sperem posse impetrari: tu pro tua sapientia, quid hac in re statuendum sit, & iudicabis, & præstabis. Et, si gratum facere voles, primo quoque die ad me responsionem tuam dabis. Vale. Ex suburbio nostro Suburgano, ad XIII Aprilis, die Paschatis, M D XCI.

Tui amantissimus

PHIL. MARNIXIVS
S. Aldegondius.

SERIES

Anno cIↃ IↃ XIX.

XCIX. *Adrianus Cardinalis Dertusens. Barchinona ad M. Laurentium du Bliou, in Belgicam.*

C. *Idem ad M. Florentium Oem .....*

An. cIↃ IↃ XXVIII.

LX. *Erasmus Rotterod. Audomaro Edingo Gandauum.*

An. cIↃ IↃ XXIX.

LVIII. *Erasmus Rotterodamus Friburgo ad Guiliel. Montiiouiū in Angliam.*

cIↃ IↃ XXX.

X. *Erasmus Rotterod. Friburgo ad Cardinal. Campegium.*

cIↃ IↃ XXXI.

LXII. *Erasmus Rotter. Friburgo, P. Vulcanio in familia D. Montioij.*

cIↃ IↃ XXXIII.

LVI. *Erasm. Rotter. Friburg. ad Dn. Vincentium Cornelii Thesaurarium Caroli V. per inferiorem Germaniam, in Holl.*

cIↃ IↃ XXXIV.

LXIV. *Erasm. Rott. Friburg. ad Dn. Vincentium Cornelii.*

cIↃ IↃ XLII.

VI. *Eustathius à Knobelsdorff, Lutetia, Brugas Cassandro.*

cIↃ IↃ XLV.

I *Henr. Bullingerus Tiguro, Cassandro Argentoratum.*

V. *Martinus Bucerus Argentorato ad Ioannem à Lasco agentem in Frisia Orientali.*

cIↃ IↃ XLVI.

VIII. *Seb. Castalio. Bas. Georg. Cassandro.*

cIↃ IↃ XLVIII.

IX. *Ioan. à Lasco Emdæ Geor. Cassandro.*

III. *Iaco-*

cIↃ IↃ XLIX.

III. *Iacobus à Burgundia Genabo, Georgio Caßand. Coloniam.*

cIↃ IↃ LIII.

VII *Andreas Hyperius Marpurg. Geor. Caſſandro, Coloniam.*

cIↃ IↃ LVI.

XV. *Guilielm. Electus Monaſterienſ. ex Aßus, Georg. Caßandro, Coloniam.*

XVI. *Georg. Caßander Colon. Guiliel. Electo Monaſt. Ahuſium.*

XX *Guil. Electus Monaſt. Ahuſio, Caßandro, Coloniam.*

XXI. *Georg. Caßander Colonia, Guil. Monaſt. Ahuſium.*

XXII. *Guilielm. Electus Monaſt. Caßandro.*

XXIII. *Georg. Caßand. Guil. Elect. Monaſt.*

cIↃ IↃ LVII.

XXX. *Franciſcus Balduinus Francofurto, Georgio Caßandro, Coloniam.*

cIↃ IↃ LVIII.

XVII. *Henric. Bullingerus Tiguro, Georgio Caßandro, Colon.*

XVIII. *Hermannus Comes à Nuenare Morſa, Geor. Caßandro.*

cIↃ IↃ LIX.

XIX. *Henric. Bullingerus Tiguro, Georg. Caſſandro, Coloniam.*

cIↃ IↃ LX.

II. *Richardus Coxus Epiſc. Elienſis Londino, Georgio Caßandro, Coloniam.*

XXVII. *Henric. Bullinger. Tiguro, Georgio Caßandro, Colon.*

cIↃ IↃ LXI.

XXVIII. *Adrian. vander Myle Pictauio, ad Carolum Francor. Regem.*

XXXVI. *Ioachim. Hopperus Bruxella, Gern. VVouters, Colon.*

cIↃ IↃ LXII.

XXXIX. *Ioach. Hopperus Bruxella, Georgio Caßandro, Colon.*

Franci-

XXXVI. *Franciſc. Balduinus Francofurto, Georgio Caßandro, Duisburgum.*

XXXVII. *Antonius Rex Nauarræ Lutetia, Georgio Caſſandro Coloniam.*

XXXVIII. *Fr. Balduinus Lutetia, Georg. Caſſandro Coloniam.*

LXX. *Sebaſtianus Caſtalio Baſilea, N.... amico Belgæ.*

cIↃ IↃ LXIII.

XXXI. *Ioan. Metellus Sequanus Col. Cornelio Gualtero Bonnã.*

XXXIV. *Ioan. Metellus Colon. Georg. Caſſandro Coloniam.*

XXXV. *Sebaſtian. Caſtalio Baſilea, Geor. Caßandro Colon.*

XLVII. *Georg. Caſſander Colonia, Ioachimo Hopper. Bruxellam.*

LV. *Ioannes Metellus Colonia, Cornelio VVoutero Colon.*

LXXV. *Aggæus Albada Spira, Adriano vander Myle. Venetiam.*

cIↃ IↃ LXIV.

XXXIX. *Ferdinandus Imperator Vienna, Georgio Caßandro Coloniam.*

XL. *Georgius Caßander Colonia, Ferdinando Imperatori Viennam.*

XLI. *Ferdinandus Caſſandro iterum.*

XLII. *Maximilian. Imperator Vienna, Georg. Caßandro Col.*

XLIII. *Maximilianus Imperator iterum.*

LXVIII. *Ioannes Metellus Colonia Georg. Caßandr. Duiſburgum.*

cIↃ IↃ LXV.

XLIV. *Maximil. Imperator Vienna, Georg. Caßand. Duiſburg.*

XLV. *Georgius Caßander Duiſburgo, Maximiliano Imperat. Viennam.*

Maxi-

XLVI. *Maximil. Imper. Cassandro iterum.*

XLIX. *Ioannes Hessels, Louanio, Georgio Cassandro. Coloniam.*

L. *Geor. Cassand. Colonia. Ioanni Hessels Louanium.*

LI. *Ioannes Hessels Louanio, Geor. Cassandro Coloniam.*

LII. *Andreas Masius ex Zeuener, Geor. Cassandro, Coloniam.*

LIII. *Ioan. Metellus Colonia, Petro Ximenio, Coloniam.*

LIV. *Georgius Cassand. Xantis, Corn. VVouteri, Gandauum.*

LV. *Georgius Vicelius Moguntiaci, Georg. Cassandro, Cleuis agenti.*

LXI. *Ioan. Metellus Colon. Georgio Cassandro, Xantis.*

LXIII. *Ioan. Metellus Colon. Cassandro.*

LXV. *Ioan. Metell. Col. Georgio Cassandro, Xantis.*

LXXI. *Georg. Vicelius, Moguntiaco, Georgio Cassandro.*

LXXII. *Ioan. Metellus Colon. Georgio Cassandro, Xantis.*

cIↃ IↃ LXVI.

LXXIII. *Georgius Ratallerus Mechlinia, Adriano vander Myle, Venetias.*

cIↃ IↃ LXVII.

LXXIV. *Ioachimus Hopperus Madrito, Adrian. vander Myle, Venet.*

cIↃ IↃ LXVIII.

LXXX. *Ioachimus Hopperus, Madrito, Adriano vander Myle, Venetias.*

LXXXIII. *Georg. Ratallerus, Mechlinia, Adriano vander Myle, Venetias.*

cIↃ IↃ LXIX.

LXXVI. *Aggæus Albada, Spira Adrian. vander Myle, Venetias.*

LXXIX. Io-

LXXIX. *Ioachimus Hopperus Madrito, Adriano vander Myle, Venetias.*

cIↃ IↃ LXX.

LXXVII. *Aggæus Albada Spira, Adriano vander Myle Venetias.*

LXXVIII. *Adrianus vander Myle Venetijs, Aggæo Albadæ Spiram.*

LXXX. *Ioachimus Hopperus Madrito, Adriano vander Myle Venetias.*

LXXXI. *Nicasius Ellebodius Patauio, Adriano vander Myle Venetias.*

LXXXII. *Aggæus Albada Spira, Adriano vander Myle Venetias.*

LXXXVI. *Philip. Marnix. Bernar. Boenio.*

LXXXVII. *Philip. Marnixius Heidelberga, Aggæo Albadæ.*

LXXXVIII. *Aggæus Albada Philippo Marnixio Heidelbergam.*

LXXXIX. *Philippus Marnixius Heidelberga, Aggæo Albadæ.*

XCVI. *Obertus Giphanius Argentorato, Adriano vander Myle Venetias.*

6. *Georgius Ratallerus Traiecto, Adriano vander Myle Patauium.*

cIↃ IↃ LXXI.

LXXXIV. *Georgius Ratallerus Traiecto, Adriano vander Myle Venetias.*

XCII. *Aggæus Albadæ Francofurto, Adriano vander Myle Venetias.*

XCVII. *Nicasius Ellebodius Patauio, Adriano vander Myle Venetias.*

9. *Nicasius Ellebodius Patauio, Adr. vander Myle Venetias.*

12. *Adrianus vander Myle Venetijs, Nicasio Ellebodio Patauium.*

XC. *Georg. Ludou. Huttenus Adriano vander Myle.*

XCI. *Adrianus vander Myle Spira, Georgio Ludouico Hutteno Venetias.*

XCIV. *Aggæus Albada Herpib. Adrian. vander Myle Venetias.*

XCV. *Nicasius Ellebodius Posonio, Adriano vander Myle Venetias.*

7. *Nicasius Ellebodius Posonio, Adriano vander Myle Patauium.*

8. *Theodorus Beza Geneua, Thomæ Tilio Heidelbergam.*

10. *Petrus Rosinus Venetiis, Adriano vander Myle.*

11. *Theod. Beza Geneua Thomæ Tilio Heidelbergam.*

13. *Ludou. Huttenus Venetiis, Adrian. vand. Myle Heidelbergam.*

14. *Theodorus Beza Geneua, Thomæ Tilio Heidelberg.*

17. *Theod. Beza Geneua, Thomæ Tilio Heidelberg.*

20. *Aggæus Albada Herbipoli, Adriano vander Myle Spiram.*

1. *Adrianus vander Myle Spira, D. Zindelino Venetias.*

2. *Theodorus Beza Geneva, Thomæ Tilio Heidelbergam.*

15. *Aggæus Albada Herbipoli, Adriano vander Myle Coloniam.*

16. *Georgius Ratallerus Traiecto, Adria. vander Myle Coloniam.*

18. *Aggæus Albada Herbipoli, Philippo Marnixio in comitatu Ill. Principis Auraſi.*

19. *Aggæus Albada Herbipoli, Adriano vander Myle.....*

cIↃ IↃ LXXIV.

XCVIII. *Aggæus Albada Fran-*

da Francofurto, Adriano vander Myle....

5. Theodorus Beza Geneua, Thomæ Tilio Hidelberg.

23. Theodorus Leewius Delfo, Adriano vander Myle Colon.

24. Theodorus Leewius Delfo Adria. vander Myle Coloniam.

25. Adrianus vander Myle Dordrechto, Bonauenturæ Vulcanio Coloniam.

26. Adria. vander Myle Dordrechto, Bonavent. Vulcanio Coloniam.

27. Theodor. à Leevven Delfo, Adriano vander Myle Coloniam

28. Bonauen. Vulcanius Colonia, Adriano vander Myle.....

29. Bonau. Vulcanius Colonia, Adr. vander Myle....

cIↃ IↃ LXXV.

3. Petrus Sborouius Patinus Cracouiensis Illust. Principi Guil. Nassouio.

4. Petrus Sborou Cracouia, Philippo Marnixio.

30. Theodor. à Leevven Delfo, Adriano vander Myle Dortrecht.

31. Daniel Rogersius Brila, Adriano vander Myle Dordrech.

32. Thod. Leeuius Delfo, Adriano vander Myle Roterodamum

cIↃ IↃ LXXVI.

22. Theod. Beza Geneua, Thom. Tilio Heidelbergam,

33. Gerardus Falkenburg. Colonia, Bonauenturæ Vulcanio Basileam.

34. Guiliel. Feugueræus Leida, Adria. vander Myle Rotterodam.

35. Philip. Marinixius Vlissinga, Adriano vander Myle Dordrechtum.

36. Nannius Foresius

Alcmaria, Adriano vander Myle Rotterodamum.

37. Philippus Marnixius Mittelburgo, Adriano vander Myle Dordrechtum.

38. Philippus Marnixius Mittelburgo Adrian. vander Myle Roterodamum.

39. Phil. Marnix. Mittel. Adriano vander Myle Delfum.

40. Rudolphus Gualterus Tigur. Bonauenturæ Vulcanio Basileam.

41. Phillippus Marnixius Delfum, Adriano vander Myle Rotterodamum.

45. Rudolphus Gualterus Tiguro, Bonauenturæ Vulcanio Basileam.

cIↃ IↃ LXXVII.

42. Philippus Marnixius Mittelburgo, Adriano vander Myle Delfum.

43. Rudolph. Gualterus Tiguro, Bonauenturæ Vulcanio Basileam.

47. Rud. Gualterus Tiguro, Bon. Valcanio Basileam.

48. Agg. Albada Antverpia, Adriano vander Myle Dordrechtum.

cIↃ IↃ LXXVIII.

44. Philippus Marnixius Franckenthalia, Elberto Leonino Dordrechtum.

46. Bon. Vulcanio Antverpia, Adria. vander Myle Hagam Com.

52. Rudolph. Gualterus Tiguro, Bon. Vulcan. VVormaciam.

53. Georgius Ratallerus Traiecto, Adriano vander Myle Dordrechtum.

cIↃ IↃ LXXIX.

54. Ioan. Serran. Lautero, Bon. Vulcanio Antverpiam.

55. Gui-

55. Guilielmus Princeps Arauſionenſis, Antvverpia, Lagatis Ordinum generalium, Coloniam.

56. Adrianus vander Myle Colonia, Ludouico Hutteno Herbipolim.

57. Obertus Giphanius Argentorato, Adriano vander Myle Coloniam.

cIↃ IↃ LXXX.

58. Philippus Marnixius Antvverpia Adriano Mylio.....

59. Loſ. Villerius Antvverpia, Adrian. Mylio Dordracum.

60. Philippus Marnixius Adriano vander Myle Dordr.

61. Philip. Marnixius Antvverp. Adriano vander Myle Dordracum.

62. Philip. Marnixrus ex fontibus Bedoini flum. Bon. Vulcanio Antvverp.

63. Agg. Albada Colon. Adriano Myl. Hagæ Com.

64. Philippus Marnixius Antvverpia, Adriano Mylio Hagæ Com.

64. Philip. Marnixius Antvverpia, Adriano Mylio Hagam Com.

65. Ag. Albada Colon. Adr, Myl. Dordr.

66. Phil. Marnix. Antvverp. Adria. Mylio Dordrac.

67. Philip. Marnix. ex vico Fleſche, Adr. Myl. Dordrecht.

68. Philip. Mar. ex Fleſchio, Bon. Vulcan. Antvverp.

71. Phil. Mar. Bon. Vulcanio VVormatiæ.

72. Ag. Albada Adria. Colon. Mylio Dordrechtu m.

cIↃ IↃ LXXXI.

69. Ag. Albada Colon. Adria. Mylio Dord.

70. Theologi plures Ill.

Principi Ioan. Nassou. Gubern. Geldriæ.

73. Ag. Albada Colon. Adrian. Myl. Dordr.

85. Phi. Marnix. Lond. Adriano Myl. Antverpiam.

cIↃ IↃ LXXXII.

74. Ag. Albada Colon. Ad. Myl. Antverp.

75. Ag. Alb. Colo. Adr. Myl. Antverp.

76. Ag. Albad. Colon. Adr. Myl. Antverp.

77. Phil. Marnix. Antverp. Bon. Vulc.

78. Ag. Alb. Colo. Adr. Myl. Antverp.

79. Ag. Alb. Colo. Adr. Myl. Antverpiam.

80. Ag. Alb. Colon. Adr. Myl. Antverp.

81. Phil. Marnix. Lond. Adr. Myl. Antverp.

82. Ag. Alb. Colon. Adr.

83. Ag. Alb. Colon. Adr. Myl. Antverp.

cIↃ IↃ LXXXIII.

84. Ag. Albada Colon. Adria. vander Myle Antverpiam.

87. Agg. Albada Colonia, Adriano vander Myle Antverp.

89. Ag. Albada Colon. Adria. vander Myle Antverpiam.

cIↃ IↃ LXXXIV.

90. Ag. Albada Colon. Adrian. vander Myle Antverpiam.

91. Elbert. Leonin. Haga Comitis, Adriano vander Myle Traiectum.

cIↃ IↃ LXXXV.

88. Elbertus Leoninus Leida, Adria. vander Myle Hagam.

92. Phil. Marnix. Antverp. Adr. vander Myl. Hagam.

93. Elbertus Leoninus Lugduno Batauorum. Adriano vand. Myle Hagam.

94. Hubertus Giphan. Altorphio, Adriano vander Myl. Hag.

cIↃ IↃ LXXXVI.

95. Theo. Beza Geneu. Adr. Myl. Hagam.

Errata

Bayerische Staatsbibliothek München

Errata

IN CENTVRIA I.

PAG. 8. lin. 16. *certiores.* pag. 13. lin. penult. *manant.* p. 22. lin. 7. *clarique.* p. 81. lin. 17. post fuisse, inducatur comma. 87. lin. 15. *initio* 89. lin. 17. *defendendum.* 105. lin. vlt. XXII. *Doctiß.* 115. lin. 8. *iurisiurandi.* 121. lin. 4. à fine *adstipulari.* 123. numerus paginæ corrigendus est. lin. 14. *Valesiani.* 124. lin. 11. *Froschouerum.* 128. lin. 12. post pluuiæ expungatur comma. 130. lin. 3. *euacuauerat.* 131. lin. 4. *funera.* lin. 9. *Martemq;.* 132. lin. 3. *depellito.* & lin. 16. *vicinas.* 142. lin. 4. *Lutetiæ.* 151. lin. 19. *consecutum.* 154. lin. 14. *Duisburgum.* 155. lin. 16. *atrociſſimo.* 156. lin. vlt. XIMENIVS. 174. lin. 19. & 20. pro Georgio Cassandro, repone, *Cornelio Wouters.* 184. inscriptio quæ linea 8. legitur in autographo literis regijs subiecta est, non præmissa. 189. ad marginem adscribe, *Edita est, & inserta consultationi.* pag. 190. lin. 15. dele XXIV. 198. ad oram nota, *Etiam hæc consultationi præfixa est.* 196. lin. 15. pro XXVIII, repone XVIII. 209. linea pen. induc *tuus.* 238. lin. 13. pro . repone , 303. lin. 13. insere ERASMI. 309. lin. 7. hunc. 347. lin. 2. *Sceppero.* 349. lin. 11. nota; transposita hæc esse, & referenda ad finem epistolæ LXIII. 351. lin. 19. *nauigio.* & 24. *duos.* sequente, post libet expunge comma. 357. lin. 18. *Renardum.* 368. lin. 11. lege *tionem, imo.* 383. lin. 6. *Bircmannum.* 398. lin. 19. *feceris.*

feceris. 405. lin. 14. repone *vestrum*. 408. lin. 8. *Scoltetum*. 427. lin. 2. *Marnixius*, & *Boenio*. 497. lin. 6. à fine, ἀναλυθέντα. 502. li. 11. *Christum*. 506. lin. 6. à fine *Mat.* 511. l. 11. γενηθῆς. 514. lin. 14. θεότητα. 520. lin. 5. Ιησοῦς. 527. lin. 4. à fine pro ξ, pone ξ. 540. l. 11. ζωὴ. 563. lin. 1. CENTVR. I. 567. lin. 14. *curiale*.

IN CENTVRIA II.

PAgina 572. lin. 2. *Roevvenium*. lin. 11. *sano*. 575. lin. 3. à fine, *periculoso*. 581. lin. vlt. pro meas repone *tuas* 583. lin. 19. *equitatum*. 588. lin. 1. *summam*. 589. lin. 15. *si quid*. 598. lin. 16. *fortiter*. 600. lin. 13. *silentium*. 602. lin. 3. pro Venetijs repone *Patauium*. 607. lin. 11. *opus* induc. 609. lin. 5. *interturbatus*. 620. lin. 5. esto annus LXXIII. 627. omissa est subsignatio, AG. ALBADA. 682. lin. 17. *Gallia*. 644. lin. 6. à fine *Dordraci*. 649. lin. 14. *incipiebant*. 650. lin. 1. *Psalmus*. 657. lin. 1. *Mollerus*. & lin. vlt. *illum*, 667. lin. 10. ROGERSIVS. 669. lin. vlt. *scelus*. 670. lin. 9. *spoliare*. 679. lin. 8. *fœtido*. 709. lin. 13. Fonckium. 710. lin. 12. dele *bus*. lin. penul. *Poluierum* 711. lin. 6. *Manipuli*. 713. lin. 6. *adhibeatur*. lin. 21. *te*. 730. lin. pen. induc. *fra*. 740. lin. 17. *finis*. & 22. *omuem à me*. 742. lin. 20. *sorte*. 744. lin. 1. *ille totis hebdomadibus*. 752. lin. 4. θεολόγων. 757. lin. 5. pro eam, *ea*. 774. lin. 4. à fine *siue*. 776. lin. 4. Achitophelis. 777. esto annus MDLXXVIII. 779. lin. 5. μετ' lin. 13. *Nostrarum*.

ſtrarum.lin.21.*grauiſſimæ*.785.lin.8.*Brachero*. 791.lin.vlt.in margine,*reformatæ*.794.lin.10. PET. LOS. VIL. 800.lin. 4. *proficiſceremur*. 801.lin.4.induc.*Curiæ*.805.lin.19.*vitæ*.807. lin. 9.*inde ante abire*.811.lin. 6.à fine *grauiſſimus*. 817. lin.11. *addubito*. 825. lin. 6. à fine *Staffordij*.834. κ̃ ληκτικῶς & ἀναλήκτ.847. lin.5.*reatu*.870.lin.3.*certet*.887.lin.2.*ire*.892. lin. 5. expunge alterum *ne*. 895. LXXXII. 915. lin.penult.*diſcrucient*.933.lin.7.*indicem*. 934. lin.1. eum. & lin. 7. ἐ ὑγιαίνειν δ 947.lin. vlt.*formam*. 952.lin.vlt. LEONINVS. 970. linea 9.*Quoniam*.

FINIS.

Lugduni Batavorum,
Typis Isaaci Elzevirl.
Anno cIↃ IↃ c xvii.

Digitized by Google

Joh. Eckert (5 / Gründe)

+73. 76. 157 ff. 287. (323. 326. 331 ff
344)
(351. 361). 371

Über
Zarzaparilla S 157 ff
S 165 und Visbrouns gemacht
159 u.
Vesalius S 372 f.

Digitized by Google

Digitized by Google